M. TULLI CICERONIS

LAELIUS

SEU

DE AMICITIA DIALOGUS

RECENSUIT ET ANNOTATIONE PERPETUA

INSTRUXIT

CAROLUS BEIER.

LIPSIAE

SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCXXVIII.

PRAEFATIO LIBRARII.

In collectione scriptorum Graecorum et Romanorum, quae meis sumtibus et typis prodiit, diu desiderata est editio operum M. Tullii Ciceronis, propterea quod nemo inveniebatur, qui tam ampli operis edendi curam susciperet. Tandem mihi circumspicienti sese obtulit b. Beierus, in hac literarum universitate professor meritissimus, qui in primariis otii literarii negotiis id sibi posuerat, ut Ciceroni emendando explicandoque operam impenderet, et diuturno studio, quo in eum recte intelligendum incubuerat, tantam sibi paraverat omnium rerum, quibus in eo edendo opus esset, scientiam cum ingenii sagacitate iudiciique maturitate coniunctam, ut praestantissimis horum librorum arbitris non meo sed publico virorum doctissimorum iudicio annumeraretur. Ab eo igitur multum excitando et efflagitando impetravi, ut in Ciceronis libris edendis suam operam mihi sponderet eosque recensitos et annotationibus instructos meo sumtu typis mandare susciperet. Promissioni ab anni proxime praeterlapsi parte extrema satisfacere coepit atque, cum per aliquod tempus dubius haesisset, quo potissimum libro editionem inchoaret, Laelium elegit, a quo opus exordiretur. Rem autem ita instituit, ut duplicem editionem proponeret, alteram minorem, quae scholarum usui destinata esset, alteram maiorem, quae apparatu critico et commentario pleniore, quantum satis esset, emendationum vindicias et locorum difficiliorum interpretationes exhiberet. At vero viri praestantissimi consilio fatum non addixit, atque cum editionis filum deducere vix incepisset, vitae filum immitis Parca praesecuit. Amplissimi operis partem exiguam tantum, Laelium, absolvit, sed ita absolvit, ut ne in hoc quidem dialogo omnia, quae voluerat, ipse absolveret. Etenim cum luce

PRAEFATIO LIBRARII.

In collectione scriptorum Graecorum et Romanorum, quae meis sumtibus et typis prodiit, diu desiderata est editio operum M. Tullii Ciceronis, propterea quod nemo inveniebatur, qui tam ampli operis edendi curam susciperet. Tandem mihi circumspicienti sese obtulit b. Beierus, in hac literarum universitate professor meritissimus, qui in primariis otii literarii negotiis id sibi posuerat, ut Ciceroni emendando explicandoque operam impenderet, et diuturno studio, quo in eum recte intelligendum incubuerat, tantam sibi paraverat omnium rerum, quibus in eo edendo opus esset, scientiam cum ingenii sagacitate iudiciique maturitate coniunctam, ut praestantissimis horum librorum arbitris non meo sed publico virorum doctissimorum iudicio annumeraretur. Ab eo igitur multum excitando et efflagitando impetravi, ut in Ciceronis libris edendis suam operam mihi sponderet eosque recensitos et annotationibus instructos meo sumtu typis mandare susciperet. Promissioni ab anni proxime praeterlapsi parte extrema satisfacere coepit atque, cum per aliquod tempus dubius haesisset, quo potissimum libro editionem inchoaret, Laelium elegit, a quo opus exordiretur. Rem autem ita instituit, ut duplicem editionem proponeret, alteram minorem, quae scholarum usui destinata esset, alteram maiorem, quae apparatu critico et commentario pleniore, quantum satis esset, emendationum vindicias et locorum difficiliorum interpretationes exhiberet. At vero viri praestantissimi consilio fatum non addixit, atque cum editionis filum deducere vix incepisset, vitae filum immitis Parca praesecuit. Amplissimi operis partem exiguam tantum, Laelium, absolvit, sed ita absolvit, ut ne in hoc quidem dialogo omnia, quae voluerat, ipse absolveret. Etenim cum luce

vitali privaretur, minor tantum dialogi editio in vulgus edita erat, maior adhuc prela exercebat, quippe perducta usque ad p. 219. et destituta tum excursus, quem *de formulis dubitanter decernendi* inchoaverat, parte extrema, tum praefatione, in qua de consilii ratione, operis descriptione et ordine, subsidiis criticis aliisque rebus, de quibus in praefationibus verba fieri solent, disputare constituerat. Excursus tamen supplendi facile fuit negotium, cum tota disquisitio ad finem perducta in schedis inveniretur et in eo tantum manca esset, quod vir beatus integro et continuo disputationis exemplo adscripserat alia, quibus sententias primum propositas ampliaret, suppleret et confirmaret, quae orationi intertexenda et in ordinem redigenda erant. At longe infelicius res cessit in praefatione. Quae enim in hac expositum iri Beierus in Praefat. editionis minoris spoponderat, eorum fere nihil chartis mandatum reliquit. Praeter paucissima, quae annotationibus addere voluerat, et praeter notitiae literariae partem exiguam, in qua de editionibus nonnullis, veluti Graeviana, Büchlingiana, Wetzeliana, Seibtiana, Gernhardiana, Billerbeckiana, et de aliquot versionibus Hispanorum Francogallorumque sententiam tulerat, in schedis inventum est nihil, quod huc pertineret; et deerant omnia, quae de textus emendandi consilio et ratione, de subsidiis criticis, de codicum mss. indole, de editionum veterum auctoritate, de orthographia, de aliis pluribus dicenda sibi servaverat. Quem quidem defectum mecum dolebunt omnes, qui intellexerint, non facile quemquam inventum iri, a quo haec omnia rite et plene suppleantur. Interim tamen propter hunc defectum totum opus incassum abiicere nolui, sed meo nomine absolvendum et praefandum sumsi, sperans, me viris doctis et harum rerum amantibus gratificaturum esse, quod servaverim, quae servari possent. Quantumvis igitur desperandum fuit, me praefationem scribere posse vel e longinquo similem ei, quam Beierus ipse addidisset, tamen eius supplendae periculum feci.

Quem apparatum criticum Beierus in hac editione paranda adhibuerit, ex annotationibus satis apparebit, atque ipse in Praefatione editionis minoris de eo iam paucis lectores admo-

nuit. In quibus subsidiis criticis habuit hos libros, quos primum ad partes vocavit:

Codicem *Altorfinum* (Altf.) chartaceum saeculi XIV. aut XV., cuius descriptionem dedit Beierus in annott. ad Cap. 1, 4. [10.] p. 6.

Codicem *Bernensem* (Bern.), cuius collationem ei suppeditavit Bremius, V. s. V. Scriptus saeculo XII. in membranis, servatur in bibliotheca Bernensi, insignitus *Nr.* 514. *c.*, et Ciceronis Laelium usque ad Cap. XXVI. §. 99. verba: *nisi qui admodum est excors. Callidus*, continet. Pro more illius aevi, a quo originem ducit, in universum satis accurate exaratus, in paucis perversam vocabulorum scripturam exhibet, veluti 1, 4. *g. leleii*, 1, 5. *mutius*, 5, 8. *t. coruncarium* et *concerdant* pro *concedant*, 5, 19. *uniunt* pro *vivunt*, 8, 28. *sputium elium* etc. In aliquot locis prior scriptura partim a prima, partim a secunda manu radendo et corrigendo emendata est; plura textus vocabula in versibus omissa iis habet superscripta.

Tres codices mss. *Berolinenses* (bRl. γ, δ, ε.), quorum collationem a Zumptio, V. Exc., accepit. De iis nihil annotatum invenio, nisi quod codex ε recentior, codices γ et δ antiquiores appellantur. Codex δ mutilus est et finitur in Cap. 13. extr. verbis: *non tantum valet.* Idem in aliquot locis manum emendatricem expertus est, quae aut varias lectiones inter versus adscripsit, aut verba primum scripta erasit et cum aliis commutavit.

Quatuor codices *Dresdanos* (D.) membraneos, quos Ebertus in *Geschichte und Beschreibung der Dresdner Bibliothek* p. 263. et 268. descripsit et numeris 106. 119. 120. 121. insignivit. Iisdem numeris in hac editione leguntur. Codicis 106., anno 1460. in Italia eleganter scripti, varias lectiones Cl. Stallbaumius suppeditavit. Hic liber etiam alia Ciceronis scripta continet, eoque in libris Academicorum, de legibus et Tuscul. quaestionum iam usus est Goerenzius, qui in Praefat. *Opp. philosoph. Cicer.* Tom. I. p. IX. eum cum melioribus libris plerumque consentire dixit. Codicis 121., qui saec. XV. in Italia exaratus est, paucissima tantum excerpta Beierus habuisse videtur. Codices 119. et 120.

Osannus contulit variasque lectiones cum **Gernhardo** communicavit. Gernhardus cod. 119. *Dresdanum b.*, cod. 120. *Dresdanum a.* appellavit et de eorum indole et auctoritate disputavit in Praefat. ad *Laelium* p. IX. sq. Non recte tamen cod. 120. papyraceum dixit; certe Ebertus eum in membranis scriptum esse affirmavit. Idem ille ignoravit, in cod. 119. duplex dialogi Ciceroniani de amicitia apographum contineri, quorum alterum fol. 1. sqq., alterum fol. 117. sqq. legitur. v. Beier. ad Lael. p. 9. 10. etc. Gernhardus prioris tantum apographi lectiones suae editioni inseruit, Beierus utriusque excerpta habuit quaedam, quibus Osanni collationem aliquot in locis emendaret (v. Beier. ad Lael. p. 11. 13. etc.), eaque in lectionibus commemorandis literis *a* et *b* distinxit. Codicis 120. denique lectiones a Gernhardo sumsit.

Codicem *Erfurtensem* (Erf.) membraneum saec. XII. aut XIII., cuius, iam olim a **Petro Suffrido** et **Lenzio** pertractati, lectiones diligenter notavit indolemque enucleavit **Eduardus Wunderus** in *Variis lectionibus librorum aliquot Cic. ex cod. Erf. enotatis*. Lips. 1827. 8. Cf. **Beier** in *Iahnii Annal. philol. et paedag.* Vol. IV. p. 31.

Quinque codices *Guelpherbytanos*, in membranis scriptos: Gudianum 335. in 12mo, saec. X.; Augustanum 51, 12. in octonis, saec. XII.; Gudianum 2. in fol., saec. XIV.; Gudianum 160. in quaternionibus, saec. XIV.; Gudianum 107. in quatern., saec. XV.: qui in Eberti *biblioth. Guelferb. codd. Graecis et Latinis classicis* p. 37. sq. nr. 267. 265. 263. 269. et 268. enumerantur. Hos codd. Cl. **Schoenemannus** cum editione Gernhardiana usque ad Cap. 3. §. 12. (9.) contulerat eorumque lectiones Beiero speciminis loco miserat eo tempore, quo editionis primae plagulae typis iam mandatae erant. Quapropter hic pauca tantum ex iis in editione minore commemoravit. Omnes, quibus ab huius editionis textu discedunt, lectiones hoc loco sic addere liceat, ut codices eo ordine, quo supra leguntur, literis A, B, C, D, E signemus, ita ut litera A codici Gud. 335., lit. B cod. Augustano, lit. E Gudiano 107. respondeat. Cap. I, 1. *augur cevola* B. *dubitare* deest in D, *illum* deest in A., sed in mar-

gine adscriptum est. 2. *deductus eram* A. *eram adductus* C. 3. *prudenter ab eo* C. *multa etiam* A, B, D, E. 4. *nunc redeo ad augurem* omnes. 5. *fere multis erat in ore* A, C. 6. *hominum esset* A. 7. *itaque cum Scaevola in eam m.*, omissa voc. *cum*, A. *Laelii* omnes, et sic ubique in his genitivis. 8. *quas in hoc libro arbitratu meo exposui* D, E. 9. *introduxi* C, D, E. *induxi* A. *sermo haberi* C. *hab. sermo tē videretur* D. 10. *mecum o attice ageres* B. *mecum ageres attice* E. *de amicitia ut scriberem* D. (Duo Aldi codd. omittunt *ut.*) *tum omnium cogn.* B, D, E. *prodessem de amicitia multis* E. 11. *ut in C. Maiore feci* omnes. *scriptus est* C. *est in scriptus* A. *Catonem induxi senem disputantem* omittit E. *nulla* deest in D. *de illa aetate loq. quam eius* omnes. *et senex diutissime* B. *prae ceteris* E. *memorabilem maxime* D. *idonea mihi Laelii* omnes. *visa* abest a C. 12. *videtur* omittit E. *ipse* deest in D. *ipse in ea legens* C. *ipse legens mea scripta* E. *sic afficior interdum mea legens* D. 13. *ut tunc* B. *ut tum ad te o attice senem* A. *ad senem senex* B, C, D, E. *hoc in libro* C. *in hoc libro* D. *ad amicum* omittit D. *ad vnicum* C. *in hoc libro amicus amicissimus scripsit de amicitia* E. *scripsi de amicitia* A, B, C, D. *Tum Cato est l.* C. *quo erat* omnes. *fere nemo* B. *enim est habitus* omnes. *de amicitia loq.* omnes. *loquitur* D, E. *loquatur* C. 14. *Tum velim* E. *a me animum* A, B, C. *animum a me parum ut advertas* E. *velim paulisper ad me animum advertas* D. *loqui ipsum* A, B, C, D. *laelium l. ipsum putes et non me* E. *respondit* C. *tu* omittunt A, B, C. *quam tu legens* E. *te ipse* D. Cap. II, 1. *Sunt ista sicut dicis L.* A. *Sunt ista L. ut dicis* B. *Sunt ista ut dicis leli* D. *Sunt ista vera ut dicis leli* E. *vir* deest in E. *existimare* omnes, sicut etiam in reliquis vulgarem scripturam sequuntur. *in te* omissum in E, super versu scriptum in D. *nunc* ignorant omnes. *oculos in te* A, B, C. *et existimant sapientiam* E. 2. *acilium... acilius* B, C. *acilius... accilius* D. *acilium... attilius* E. 3. *habebat* omnes. 4. *Te alio autem* E. *et studio* C. *esse sapientem* A, B, D, quibus glossae loco in A superscriptum *s; exstimant. esse sapien-*

tem existimant C, E. *nec solum volgus* A, sed superscriptum: *vel sicut.* Verba *nec sicut vulgus . . . sapientem* a textu cod. D absunt et in margine leguntur. *qualem in gretia reliqua neminem* A. *q. in reliqua gretia n.* B. *q. in gretia reliqui n.* C. *q. nem. in Gr. tota reliqui* D. *q. reliqua in Gr. nem. relinqui* E. 5. *ista* deest in C. *sapientum* B. *eum quidem etiam* omnes. *sapientissimum esse iudicatum* E. *hanc esse* A, B, D, E. *hanc sap. in te esse* C. *sapientiam in te* D. *in te p. dicas* C. *in te p. esse dicas* B. *in te p. esse ducas* A. *interposita esse dicas* E. *esse posita in te ducas* D, sed *esse* punctis subductum est. *inferiores* omnes, et sic ubique in hoc accusativo. 6. *credo ex hoc item Sc.* A, B, E. *cr. ex hoc idem* C. *cr. ex hoc Sc. item* D. *quo pacto* C, D. *quod in proximis n.* B. *in hiis proximis* C. *hortis* A. *hortos* reliqui. *bruti decii* C. *venissemus* omnes. 7. *Scev. quidem. Quaerunt quidem* E. *Quaeritur* B. *multum* A, sed superscr. *vel multi. ut dictum est a F. Sed ego respondeo id* C. *animum adverti* A. *tum s. v. tum* B, C. *tum amantissimi* C. *id tuae humanitatis* D. 8. *quod autem nonis* A. *q. aut his nonis* C. 9. *q. autem in nonis* B. *q. autem in hiis nonis* E. *in collegio nostro* A, C, E. *non fuisses* B. *valetudinem respondeo* c. A, B, C. *invalitudinem respondeo* E. *causae* A. *causent* E.

Sed cod. D in litura: *Quod autem in* ~~coll~~ *egio* ~~nro~~ *affuisses!*
in his nonis ... *am*
ualitudinem repperires respondeo cause. 9. *q. tu quidem respondisti et vere*, omisso v. *Scaevola*, C. *Neque enim* D, E. *adduci* A, sed correctum est *abduci.* 10. *quod mihi* B, D, E. *quod aut mihi tribui tantum* C. *tantum atribui* E. *nec ego agnosco* C. *ego nec adcognosco nec postolo* A. *nec recte* B. *nemo fuit quod* E. *ille fuit sapiens* D. 11. *videram Gaium* A, C, D. *videram graecum* B. *Meminerum Gaium, videram paulum* E. *Sed hi* [*hii* D.] *nec comparantur catoni perf. et sp. v.* A, D, E. *sed nec hi comparantur C. p.* C. *sed hi quidem nec comparantur C. p.* B. Verba *in pueris* nullus cod. agnoscit. 12. *Catoni cave ant.* B, D. *ut dicis* B.

cum utroque vestrum A, C, D. *loquar cum utroque vestrum* C. *ut utroque cum utroque iam loquar* E. Cap. III, 2. *amico orbatus* omnes. Voc. *et*, ante *ut*, ignorant omnes, nisi quod in D voculae *ut* superscriptum est *et*. *possim* D. 3. *quia me ipse* E. *solatio consolor quia eo* C. *solatio quod ego illo err.* D. *discessu* B, C, D, E. *solent angi* D. 4. *enim* abest ab A et D. Verba *si quid accidit* A in margine tantum exhibet. *Si quid accidit*, *michi accidit* C. *non est amicum* E. 5. *Non enim* E. *quod ille minime* A, C, D. *minime quod putabat ille* B. *quod putabat minime ille* E. *non adeptus est* A, B, D, E. *petivit nunquam* A., B. *nunquam petivit* C, D, E. *factus est consul bis* C. *factus consul est bis* A. *cons. factus est bis* B, D, E. *sed reipublicae* E. *sero pene* D. *inimicissimus* A., sed spscr. *vel inimicissimis*. *non modo praesentia, sed futura b. d.* C. 6. *Quid de moribus dicam* D. *facillimis* pro var. lect. A, in textu: *facilluminis*. *fun. iudicatum est* A, E. 7. *igitur hunc p.* A, B, C, E. *paucorum accessio annorum* E. *accessio hunc iuvare* D. *uno anno a.* E. *quam* [ed. E. coniunctim *antequam*] *est mortuus* A, B, D, E. *quam mortuus est* C. *in qua etiam nunc e.* B, D. *in qua n nunc erat*, E. *in qua erat tunc* C. 8. *nihil et posse* C. *posset accidere* E. *moriendi* B, C, D, E. *mortis quid credendum sit diff. dictu est* B. *vos videtis* E. *hoc vere tamen* B. *hoc vero tamen* A, E. In sqq. in omnibus legi videtur *a P. R. sociis*, praeter quod B praepos. *a* omittit.

Duos codices *Lipsienses*, chartaceos, saec. XVI. exaratos, qui in bibliotheca Academica servantur. Uterque, in forma maxima scriptus, a Beiero ipso collatus est. Primus eorum, quem L. α appellavit, numerum 545. habet, et plura scripta de monachorum professione, vita etc., praecepta medica de unguentis componendis, tractatum de vita et moribus philosophorum et denique in foliis XIV., quarum paginae singulae XXXV. vel XXXVI. versibus implentur, *librum tullii de amicicia* continet, in cuius fine leguntur haec: *Explicit liber tullii de amicicia qui dicitur lelius.* Descripsit eum Fellerus in *Catalogo codd. mss. bibliothecae Paulinae* p. 198., ubi in Repositorii theologici IV. Serie III. in fol.

Nr. 18. mstorum theologicorum obtinet. Secundus (L. β) apud Fellerum p. 349. inter libros philosophicos in Repositorii secundi Serie III — V. Nr. 1., nunc inter libros mss. Nr. 1332. notatur, et praeter Platonis Timaeum Latine versum, Boethium de consolatione et Sallustii Catilinam et Iugurtham complectitur Ciceronis librum de senectute, Laelium, paradoxa, de officiis et aliquot orationes. Laelius inscriptus est: *De amicicia tullii*, et paginis XXII. continetur. Uterque liber male pictus, sed, si perversam aliquot vocabulorum scripturam, illo aevo usitatam, exceperis, accurate et diligenter scriptus est. Primus plerumque facit cum codice Vimariensi apud Gernhardum. His libris accessit eiusdem bibliothecae codex chartaceus saec. XIV. vel XV., Nr. 795. notatus, qui post *Iohannis Damasceni vitam servorum dei Barlaam et Iosaphat* excerpta ex aliquot scriptoribus antiquis exhibet, quibus etiam nonnulla ex Ciceronis Laelio addita sunt. Quorum lectiones variae in hac editione nomine *excerptorum Lipsiensium* (Excpt. L.) significantur. v. Beier ad Lael. p. 28.

Denique apparatus criticus editionis veteris sine loco et anno (ed. vet. s. l.) et duarum Venetarum a. 1474. et 1477., nec non excerptorum in Alberti ab Eyb *margarita poetica* variis lectionibus auctus est. Editio sine loco et anno est Romana Vdalrici Galli (Ulrich Hahn) a. 1469. impressa, cuius exemplari, quod Lipsiae in bibl. academica servatur, vir doctus passim varias lectiones adscripsit. v. annot. p. 42. 62. 84. 102. etc. Margaritae Eybianae editio a. 1493. collata est.

His autem libris omnibus, qui nunc primum ad textum emendandum adhibiti sunt, Beierus ita usus est, ut eorum lectiones et a prima (m. 1.) et a secunda manu (m. 2.) correctionesque vel in margine (in marg.) vel super versu adscriptas (superscr.) quam plenissime recenseret enumeraretque. Praeter haec subsidia diligenter consuluit varias lectiones, quae a prioribus editoribus collectae sunt. Quas tamen non omnes enumeravit, sed selegit eas tantum, quae ad suam rem facerent, secutus in his eandem rationem, quam iam olim

in Praefat. ad *Cic. libb. de offic.* p. IX. professus erat. Pauca igitur huc transtulit ex editionibus Graevii, Ernestii, Facciolati aliorumque, quarum fidem in re critica satis suspectam habuit. Quod nemo mirabitur, qui meminerit, quo modo editores illi codices mss. contulerint et in usum vocaverint. Etenim pro suae aetatis more Ciceronis scripta potius ex suo aliorumque ingenio, quam ex libris emendaverunt, certe codices passim tantum inspexerunt. Saepius commemoravit codicum Oxoniensium (Oxx.) lectiones, inprimis quatuor potiorum, qui literis *E*, *η*, *σ* et *ψ* insigniuntur. Quorum librorum descriptionem ex editione Oxoniensi a. 1783. repeti iussit Beckius in Praefatione ad *Cicer. Opp. Vol. II.* p. LIII. sqq. [cf. Gernh. Praef. ad Cat. Mai. p. V.] et integram lectionis varietatem suae Laelii editioni Gernhardus addendam curavit. Maximo autem usui fuit ipsius Gernhardi editio, qui, vir in rebus criticis exercitatissimus, primus non solum in Laelio emendando meliorem viam iniit, sed etiam octo codicum, trium Cizensium (Ciz. A. b. C.), duorum Dresdanorum (D. 119. et 120.), duorum Gothanorum (Goth. 48. et 117.) et Vimariensis (Vim.), lectiones publici iuris fecit, indolemque et auctoritatem descripsit in Praefat. edit. suae p. VI. sqq.

Ex his igitur sumta et in notas relata sunt, quaecumque ad textum corrigendum momentum haberent aut mutationes factas vindicarent argumentoque confirmarent. Quotquot enim in hac editione correcta sunt, nihil tamen praeter orthographiam et interpunctionem, nisi ad fidem librorum manu scriptorum, novatum et ubique annotatum est, quorum librorum auctoritate hoc factum sit. Atque si nihilominus huius editionis textus a priorum editorum recensionibus multum distat, haec res argumento esse potest, quam parum illi codices curaverint. Beierus igitur tantulum Ciceronis dialogum tot locis corrigendo, non novarum sed priscarum rerum cupidus fuisse videri debet, cum in his tantam religionem adhibuerit, ut, ubi singulae literae invitis libris e coniectura (ɔi.) mutanda essent, nisi hoc ad orthographiae constantiam pertineret, id et ipsa typorum forma abnormi et annotatione indicaret. Id quod ipse testatus est in editionis mi-

noris praefatione eo loco, quo de consilio et ratione sua verba fecit. Quae ne huius editionis lectores lateant, ex illo loco haec transscripsi:

„In orthographia constanter antiquissumorum codicum „palimpsestorum cum veteribus monumentis utrimque a Ci- „ceronis aetate proxumis, ut lege Servilia, ut monumento „Ancyrano, ut cenotaphiis Pisanis, denique cum priscorum „Grammaticorum testimoniis consensum secutus sum. Est „sane *usus* tyrannus, *quem penes arbitrium est et ius et nor-* „*ma loquendi*, nec minus scribendi. Sed cuinam usui con- „cedendus hic dominatus? recentiorumne librariorum, qui „ultimis barbariei saeculis sexcenties repetitos adulteratosque „codices denuo repetierunt et suo ritu emendarunt videlicet, „an ipsius antiquitatis? Qui fit, ut antiquior orthographia fe- „re servata reperiatur in Varronis et Sallustii libris? Num „quia hi cascis ineptiis delectabantur? Musae meliora! Pau- „ciores qui extant codices ab origine sua propiores, minus „corrupti sunt immutandi licentia. Itaque codices non nume- „randos sed aestumandos censeo et in senatu librariorum de „orthographia consulendo minume valere debet ius senato- „rium, ut discessione facta singuli pedibus eant in divisas „sententias; nec magis de vocabulis insiticiis: quae saepe „multa in plerisque libris inveterarunt."

„Id genus verba uncis notavimus, quum vel transposi- „tione, quam indicavimus hoc signo ×, vel quod a singulis „libris abessent, aliave lectionis varietate in suspicionem ve- „nissent. Vtiliter lectores, qui ipsis his signis animum adver- „tere volent, suspecta vocabula ad genera quaedam revoca- „bunt. Sic perennes quidam additamentorum fontes invenien- „tur apparebitque, quodnam interpretamenti genus in hoc „dialogo foedissume corrupto quam maxume sollemne sit. „Tum demum nos in his suspicionibus movendis haud ni- „mis intemperantes fuisse videbimur."

„Ceterorum signorum a me adhibitorum vis haec est:

„Omissio <; accessio >. ~ ampliat de lectione notabi- „liore; * indicat satis probabilem, † damnat futilem."

„Paginae in margine notatae sunt foliorum Aldinorum,

„quorum numeros sequitur Nizolius in *thesauro Ciceronia-„no* ante Facciolati editionem rariorem apud Nostrates."

Quae vero vir beatus in huius libri praefatione de prioribus Laelii editoribus interpretibusque disputare constituerat, ea nunc omittere consultius esse duxi. Cum enim lectores de his non meum, sed illius iudicium exspectent, ille autem paucissima tantum de hac re chartis mandaverit, haec pauca si adderem, deessent plura, quae unde sumerem, non haberem. Addenda igitur restant pauca, quae ille tamquam annotationis auctarium reliquit, in quibus tamen delevi ea, quae ipse editioni minori iam inseruerat. Sunt autem haec:

C. 1. §. 2. extr. *numquam disced.*] cf. *ad Q. fr.* III. *epist.* 1. sect. 6. (Schütz. 8. p. 435.) *iubes eum mihi esse affixum tamquam magistro.* — C. 3. §. 1. Vv. *Scipionis me moveri desiderio* ab interprete e sqq. petita videntur. — C. 4. p. 21. annot. v. 3 post vv. *praecise dici possit* insere: e. gr. *offic.* II. 20, 71. — P. 26. annot. vers. 19. post vv. *modo spero* adde: ut *de or.* II. 28, 122. *quod iam sperare videor.* — P. 32. ann. v. 3. lege: Cf. Minucius in *Octav.* p. 4. l. ult. ed. Ouzel. *et in ludicris et seriis.* Cic. — Cap. 6. §. 6. pr. Cf. Seneca *epist.* 3. Ennius ap. Gellium XII. c. 4. — Ibid. p. 36. annot. 1. add. Cic. *pro Caelio* 7, 15. *pro Sextio* 69, 145. *in Vatin.* 6, 14. *pro Plancio* 29, 71. *N. D.* II. c. 37. — P. 41. annotationi paenult. ad 7, 9. adhibe annot. paenult. ad 27, 4. De Pacuvii aetate v. Gellius l. VII. c. ult. extr. Vellei. Pat. II. 9, 3. — C. 7. §. 13. pr. *Tum* etc. Cf. VI. *ad Att. epist.* 2. sect. 3. pr. — C. 10. §. 6. extr. Cf. Aristot. *eth. ad Nicom.* IX. c. 6. f. — Cap. 10. §. 10. annot. ultimae add. *fin.* IV. 7, 17. *re p.* II. 36. f. — C. 11. §. 10. extr. ed. vet. s. l. *memoriae traditum est.* V. Klein in Friedemanni et Seebodii *miscc. critt.* I. 3. p. 501. Cf. I. *re p.* c. 10. med. — C. 12. §. 9. p. 69. annot. versui 5. insere post expulsi: Augustus in *Monument. Ancyr.* tab. I. a laeva v. 8. *in exilium expuli.* Ut in eadem §. extr. verbum activum post passivum, sic vicissim idem verbum, quod modo in activo genere adhibitum fuerat, in passivo subauditur II. *N. D.* c. 27. f. — C. 14. §. 4. p. 78. annot. versui paenult. post v. *amicitiam*

add.: Cum sententia comp. Iacobi ad Luciani *Tox.* *prolegg.* p. XIV. *) et Obbarii comment. ad Hor. *epist.* I. 10, 8. p. 9. s. — C. 16. §. 11. annot. paenult. adde I. *de re p.* c. 5. *cum impuris atque immanibus adversariis.* — C. 17. §. 1. extr. cf. Plutarch. περὶ πολυφιλ. in f. — C. 17. §. 4. annot. 1. adde: Cf. II. *fin.* 7, 20. *ibi hoc dicit*, *ubi omnis eius oratio* (h. e. omnia, quae dicit) *de summo bono:* ubi in aliis libris alio loco inculcatum *est* Grz. cum Gud. 2. recte expunxit. — C. 21. §. 4. annot. paenult. adde: Seneca *de benef.* I. 6. *nec in victimis quidem deorum est honos; sed pia ac recta voluntate venerantium.* — C. 23. §. 5. annot. paenult. adde Ennii versus ap. Gell. XII. c. 4.

Haec habui, quae de hoc ultimo eruditionis Beierianae monumento dicerem. Quod opus si dotibus suis internis viris doctis placuerit — placere autem debet —; nec displicebit, spero, externo habitu, quo ut rite ornatum incederet, operam dedi diligentem ac sedulam. Qua in re egregie etiam adiutus sum ab iis, qui plagularum a typothetae mendis purgandarum curam susceperant. Quantum enim video, remanserunt errores admodum pauci, quorum nihil gravius inveni, quam quod p. 12. annot. versu 25. *unquam* et *maerebat* pro *umquam* et *maerebit*, p. 24. annot. vers. paenult. *LIII.* pro *XXVI.*, p. 202. v. 4. a fine *an* pro *aut* exaratum est.

Dabam Lipsiae pridie Kal. Octobr. a. MDCCCXXVIII.

M. TVLLI CICERONIS
LAELIVS
SIVE
DE AMICITIA DIALOGVS
AD
T. POMPONIVM ATTICVM.

INTRODVCTIO.

Duplicem hic dialogus habet inscriptionem et a persona primaria et ab argumento: in quo Platonis imitatorem agnovit Fischerus ad *Euthyphron.* p. 5. quamquam huius duplicem inscriptionem grammaticis deberi censuit Stallbaumius. Dialogi utique ficti (ut c. 1. §. 11. ss. significatur), sed, quemadmodum auctor videri voluit, paucis post Africani minoris exitum fatalem diebus habiti scaenam suppeditat annus V. C. DCXXIV. (c. 1. §. 7.) Scriptus est autem a. V. DCCIX. ante libros *de officiis* (v. *l. II. de off.* c. 9. pr.); sed aliquanto post *Catonem maiorem*, Attici rogatu (v. h. l. c. 1. §. 10. s.). Nonnulla scriptor videtur debere Theophrasti περὶ φιλίας libris tribus (v. A. Gellius I. 3. VIII. 6. in argumento capitis), ita tamen, ut Peripatetici philosophi, qui virtutis nervos incidisset, computum utilitatum ad honestatis rationem revocarit. Quippe persuaserat sibi, Platone et Stoicis maxume auctoribus, veram amicitiam nisi inter bonos esse non posse (18, 6.). Non tamen eandem, quam Pythagoras et Plato in *Lyside*, divinam amicitiae originem ex augusto quodam religionis sensu agnovit. Antiqui scriptoris de amicitia, Carneisci, fragmenta quaedam in XIII laterculis voluminum Herculanensium exarata legi feruntur. Hoc vero libello Tullius ea, quae ipse pro animi sui candore sentiret et in omnis vitae perpetuitate usu comprobata reperisset, exposuit; pariterque, ut in officiorum libris, omnia exemplis iisque maxumam partem domesticis

confirmavit. Prudenter vero Laelium illum sapientem sublatis iis, quos ipse constituit, amicitiae terminis futuros ex improborum consensione casus rei publicae iam tum aliquantulum labefactae longe prospicientem facit c. 12.

De utilitate huius libelli, quamvis in eo dialogi varietatem, quae artificio suo maxume delectare solet, desideres et in exposito, quem ipse auctor a Q. Scaevola accepisset, sermone Laelii laudari omnis disputationis auctorem Africanum (12, 1. 17, 4.) aegre feras, adhibe, sis, C. G. Schellii quaestionem: *Welche alte klassische Autoren, wie, in welcher Folge und Verbindung mit andern Studien, soll man sie auf Schulen lesen?* Lips. 804. vol. I. p. 396. 419—425. 436. s.

---

1 **Q.** Mucius augur multa narrare de C. Laelio socero suo 1
memoriter et iucunde solebat nec dubitare illum in omni ser-
2 mone appellare *sapientem*. Ego autem a patre ita eram
deductus ad Scaevolam sumpta virili toga, ut, quoad possem
3 et liceret, [a senis latere] numquam discederem. Itaque

C. 1. < Bern. L. α, β, bRl. γ, δ, ε, Erf. *augur Scaevola;* deinde plerique *Gaio*, ut ubique in hoc praenomine.

et] Bern. *ac* et cum L. α, β *iocunde*, ut ubique in hoc voc. derivatisque.

§. 2. *a patre*] Runkelius, Cratini instaurator, suppeditavit mihi similem l. *or. pro Caelio* 4, 9. *qui* (pater) *ut huic virilem togam dedit;* — *hunc a patre continuo ad me esse deductum.* Cf. Taciti *dial. de or.* c. 34. Seq. part. *ita*, h. e. *eo consilio*, suppleta videtur propter seq. *ut.* Omnino haec suspecta fiunt librorum dissensu. × L. β *ita* (ed. vet. s. l. *sic*) *eram a patre* < Ox. ν *a patre meo* × Pithoean. *a patre meo eram ita d.* × Vimar. *ita a p. ded. eram* × Ciz. A. *eram ded. ita.* Glossatori acceptum si mecum tuleris *eram*, subaudias licet *sum*, nisi forte hoc ipsum ante *sumpta* excidit, cum iteranda syllaba semel esset scripta: cuiusmodi corruptelae exemplum in *or. pro Tullio* §. 21. pr.

a senis l. n.] × Ciz. b. *nunquam latere* × L. α *nunquam ab eius latere:* ut haec *a senis latere* interpolationis suspicionem moveant, quamvis proverbialiter dicta. Rectius autem scribitur *numquam*, licet Moserus ad l. I. *de re publ.* 9. p. 43. spreverit auctoritatem vetustissumorum codicum rescriptorum.

multa [ab eo] prudenter disputata, multa breviter et commode dicta memoriae mandabam: fierique studebam eius pru-
4 dentia doctior. Quo mortuo me ad pontificem Scaevolam contuli, quem unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissumum audeo dicere. Sed de hoc alias; ad augurem redeo.

---

§. 3. >< L. β, D. 119 a. *ab eo multa* < Bern. *multa ab eo pr. d.*, *etiam multa* >< volgo: *multa etiam*: quam part. praeter edd. Ven. 474. et Frcf. 490. excludunt tres codd. Aldi nec non duo Goerenzii, cuius V. D. et magni harum rerum arbitri in Iahnii *annal. philol.* a. 1826. Vol. I. P. II. p. 294. ss. moderamen passim nostrum iudicium reget. Delendam esse, quia, item ut *ab eo* in priore membro, infringeret vim epanaphorae, ipsi iam iudicavimus in relationum de literis philol. nunciis scholasticis a. 1826. adiunctarum P. II. (*Pädagogisch-philol. Literaturblatt zur allgem. Schulzeitung* 1826. *Abtheil. II.*) n. 9. p. 77.

breviter et c. dicta] >< L. α *breviter dicta et commode.* Significat ἀποφθέγματα. Cf. *or.* II. c. 83. f. *off.* I. 29, 104. Talia apprime conveniunt *ioculari seni*, qui dicitur Scaevola in lib. IV. *ad Att. ep.* 16. Teste Cic. in *Bruto* 26, 102. et *de or.* I. 41, 185. prudentia iuris maxume inclaruit.

mandabam] Erf. *commendabam.* — L. α < *fierique . . . doctior.* De ratione et docendi et discendi ius civile v. *orat.* 41, 142. s.

§. 4. *et ingenio*] > L. β *ingenio.* Ed. vet. s. l. *praestantissimum et ingenio et iustitia;* al. *et industria;* al. *et doctrina.* Quamquam *unus* cum Superlativo eleganter iungitur, tamen utrumque nullo substantivo addito iunctum cum Genitivo me magis offendit, quam laus illa prorsus singularis. Itaque suspicor legendum *quem virum nostrae civitatis praestantissumum.* Cetera nescio an debeantur docto librario. Cf. simile elogium in *Cat. mai.* 17, 9.

de hoc alias] np. *loquar*, e. g. *de off.* III. 15, 62. 17, 70. Ius civile, cuius in eo peritiam laudat Vellei. P. II. 9. §. 2., primus constituit, generatim in libros decem et octo redigendo: id quod discimus a Pomponio *de orig. iur.* in *D.* l. I. t. II. fr. 2. §. 41. et a Gellio VII. 15. quae omnia ad *augurem* transtulit Maius in *prosopographia dialog. de rep.* in Moseri ed. *praef.* p. LXVII. Pontifex M. iste proconsul a. V. C. DCLVII. Asiam iustissume rexerat. Huius legatus, auguris praetoris quaestor cum fuerit P. Rutilius Rufus: factum est, ut pontificem Scaevolam cum augure confuderit etiam Asconius ad *divin. in Caec.* 17, 57. pr. quod patefit comp. Liv. *lib. LXX. epitom.* Vid. annot. ad or. *pro Scauro* I. 2. Pigh. *annal.* III. p. 179., qui tamen et ibi et pp. 69. 71. ipse fidem habuit confuso Asconii testimonio. Cf. Schützii *lex. Cicer.* t. I. *indic. histor.* p. 283. s. et Io. Henr. Martini Ernesti *clav. Horat.* indic. I. nominum p. 130.

ad augurem redeo] Sic Vim. L. α < Ed. vet. s. l. *nunc ad a. r.* >< volgo: *nunc redeo ad a.* Particulam *nunc* compensat chiasmus. Si-

5 Quom saepe multa, tum memini domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, quom et ego essem una et pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere, qui 2
6 tum [fere omnibus erat] in ore (meministi enim profecto, Attice, et eo magis, quod P. Sulpicio utebare multum, quom is tribunus plebis capitali odio a Q. Pompeio, qui tum erat

---

militer *de off.* II. c. 2. f. III. c. 9. f. libri quidam recte excludunt *iam*, quae quidem abest ib. c. 4. f.

§. 5. *Quom saepe multa*] Cave subaudias simpliciter *memini*, sed, ut adv. *saepe* postulat, *narrare illum de C. Laelio.* Cf. ad h. cap. §. 11. f. < Ven. 474. *Cum saepe multa narraret.* Ed. vet. s. l. bRl. *s narrabat, γ Quem saepe ita tunc memini in hemjciclo* (ed. vet. illa *emiciclo*) *sedentem domi* × Goth. a. *in eius hemiciclio domi*, quasi hoc voc. domum irrepserit foris. De *hemicyclio*, h. e. loco multarum sellarum capace, v. Plutarch. in *Alcib.* p. 199. *e.* in *Nicia* p. 531. *b.* περὶ ἀδολεσχίας p. 502. *e.* Sueton. in *Verrio Flacco* c. 17. et Ioann. Marii Matii *annot.* c. 34. extr. in *Triga opusco. critt.* (Traj. ad Rh. 755.) p. 135.

quom et ego] > L. *a cum ego e. u. et pauci familiares* (superscripto tamen voc. *admodum*) et cum ed. vet. s. l. *in eum sermonem incidere, qui tunc fere omnibus erat* × quinque libri Aldi *erat omnibus.* Erf. Ven. 474. *tum fere* (L. *β vere*) *multis.* × Bern. *tum multis fere.* × bRl. *γ, δ, s multis in ore erat.* Quamquam lectio *multis* interpretatio videatur verborum *fere omnibus*, tamen mira ista varietas mihi item, ut Laurentio Vallae, suspectum reddidit Dativum et particulam *fere*, in duobus Aldi libris omissam, adeoque ipsum v. *erat.* Cf. *leg.* I. 2, 6. *si — — ad eum, qui semper* (np. *tibi*) *in ore est, Catonem venias.* *Tusc.* I. c. 49. pr. *Harmodius in ore et Aristogiton, Lacedaemonius Leonidas, Thebanus Epaminondas vigent.* *Nostros non norunt*, np. rhetores, de quibus praecessit: *veniunt inde ad propiora.* Contra *Att.* VI. *ep.* 3. *Tibi autem valde solet in ore esse.* II. *de fin.* 23, 76. Terent. *adelph.* I. 2, 13. *in ore est omni populo.*

§. 6. *Profecto*] Codd. Oxx. *ut opinor* < ed. vet. s. l. Ven. 747. *profecto, ut opinor:* quae tria vv. > Oliv.

utebare m.] × Ed. vet. s. l. *multum uteb.* — × Bern. *tribunus is.*

capitali odio] h. e. internecino, tamquam inimicus *capitalis*, qui *caput* adversarii peteret. Hunc enim *spoliare instituit omni dignitate.* Vid. *de or.* III. 3, 9. et Wetzelii *erklärende Anmerkungen zu Cic. Brutus* p. 291. s. append. I. προσωπογραφία dialogorum *de oratore* n. 9. Cf. Horat. *S.* I. 7, 13.

Pompeio] L. *a Pompilio.* — Ed. vet. s. l. *qui tunc.*

consul, dissideret, quocum coniunctissume et amantissume vixerat, quanta [esset] hominum vel ammiratio vel quere-
7 la); itaque tum Scaevola quom in eam ipsam mentionem 3.
incidisset: exposuit nobis sermonem Laeli de amicitia habitum ab illo secum et cum altero genero C. Fan-
8 nio, M. F., paucis diebus post mortem Africani. Eius dispu-p.96.
tationis sententias memoriae mandavi: quas hoc libro exposui a.

---

quocum] L. β ed. vet. s. l. et Ven. 474. *quicum:* quae forma propria est proverbialium locutionum, ad quarum similitudinem haec accedunt, ut illa 21, 5. *de fin.* II. 26, 85. pr. quae tamen fateor indefinitius dici, quam nostro h. l. Recte igitur Gernh. *quocum*, ut 4, 9. Cf. Seyfert's *auf Geschichte und Kritik gegründete lat. Sprachlehre* §. 1138. *a.*

quanta esset hominum] Sic pro volg. *q. hom. esset* ✕ L. *a*, *β*, bRl. *γ*, *δ*, *ε*, Erf. probante Goerenzio, ut praeponderet v. *quanta*. Bern. *quanti esset h.* Verbum *esset* hic non magis necessarium, quam 8, 4. f.

vel ammiratio] > L. *a* † *admiratio.* Idem sonat q. *miratio*, quo voc. utitur Cicero *de div.* II. 22, 49. notante Mosero.

§. 7. > L. *a cum Scaevola in.* Sed *tum* est eo tempore, quo sermo de P. Sulpicii a Q. Pompeio dissidio hominibus erat in ore. Adverbii *tum* (de quo cff. Garatonius ad Cic. *Phil.* VII. 5. ed. Wernsd. t. II. p. 213. Handius ad Statium t. I. p. 365.) ἐπεξήγησιν faciunt interposita, *cum — incidisset.* Gernhardo discrimen adverbiorum *tum* et *tunc* constituenti praeter censorem Gotting. 1826. Dec. n. 206. 7. p. 2050. assentitur Moserus in Myrtilletan. annall. critt. litt. a, 1826. X. p. 974. ablegans ad suam annot. in II. *de re publ.* c. 9. p. 227. laudato Iahnio ad Virg. ecl. III. 10. Propter particulam *itaque*, quae ad interrupta respicit, indicavimus parenthesin, quam rite incipit *enim.*

exposuit n. sermonem] h. e. ea, quae in sermone disputata erant, i. q. mox *disputationis sententias*, ut §. 5. *incidere in sermonem*, i. e. in mentionem rei, de qua tum esset sermo, vel, „in rem sermone excutiendam", interprete Goerenzio ad *leg.* I. 4, 13.

genero] < L. *a genere* (sic) *suo fanio.* De Laelio et utroque eius genero v. *Brut.* 26, 101. et Ang. Maii *prosopographia dialogorum de re publ.* in secunda et duabus ultimis personis.

§. 8. Ven. 474. *Cuius disputationis.* Aptius sic infra 4, 3. *disseruit de re publica: cuius disputationis* etc. — bRl. *γ mandabam* †.

hoc libro] < Bern. ed. vet. s. l. Ven. 474. Olivet. et, ut proinde suspicere, codd. Oxx. *in hoc libro.*

9 arbitratu meo. Quasi enim ipsos induxi loquentes, ne *Inquam* et *Inquit* saepius interponeretur atque ut tamquam a
10 praesentibus coram haberi sermo videretur. Quom enim sae- 4
pe mecum ageres, ut de amicitia scriberem aliquid, digna [mihi] res quom omnium cognitione, tum nostra familiaritate visa 'st. Itaque feci non invitus, ut prodessem multis rogatu
11 tuo. Sed, ut in *Catone Maiore*, qui 'st scriptus ad te

---

arbitratu meo] Sic Bern. Erf. L. *α*, *β* probante Goerenzio p. 295. verba sic structa in clausulis, comp. *l. VII. ad fam. ep.* 1. §. 15. (cf. ib. §. 4.) *de fin.* IV. c. 1. extr. V. 29. extr. Adiungas etiam I. *de off.* 2, 6. extr. ✕ Volgo: *meo arbitratu.* Sed verbis sic collocatis solet fere aliquid interponi, ut in *Bruto* c. 11. pr. I. *de fin.* 8, 28. *Tuo vero id quidem, inquam, arbitratu.*

§. 9. *introduxi* ed. vet. s. l. ut in codd. Barberinianis n. 1412. 1413. aliisque h. l. itemque §. 11. in Barberin. n. 869. *Catonem introduxi* legi testatur Bardilius in Seebodii biblioth. crit. nova a. 1826. vol. I. P. 6. p. 600. qui de horum verborum confusione observationem laudat Garatonii ad *or. pro Caelio* c. 15. p. 449. Sed in *oratore* 40, 138. προσωποποιΐα describitur sic, *ut muta quaedam loquentia inducat.*

Inquam et i.] L. *α i. vel inquit* ✕ Bern. *inquit et inquam.* — < Ven. 474. *atque ideo feci, ut.*

§. 10. ✕ Bern. L. *α*, Ven. 474. *mecum saepe.* Verbo *ageres* (de cuius vi cf. c. 4. fin. et Gebhardi annot. 5. ad Cic. *l. V. ad famil. epist.* 2.) in L. *β* superadditum *attice* insertumque, ut in ed. vet. s. l., *tibi* ante *scriberem.*

mihi res] ✕ bRl. *γ res mihi.* Cf. §. 11. < Ed. vet. s. l. *res hic tum.* Bern. bRl. *γ*, *δ*, *ε*, Ven. 474. *tum omnium;* L. *α*, *β cum omni.*

feci] > Ven. 474. et seq. *multis* > cod. mspt. chartac. forma quadruplicata saec. XIV. vel XV. quo cum *Ciceronis de amicitia dialogi collati* (a C. G. Schwarzio) *VV. LL.* ex epistula societatis latinae Altorfinae nomine typis Io. Adami Hesselii 4. a. 1772. m. Ian. exscripta repeti curavit G. Seebode in sylloge inscripta: *Archiv für Philologie* etc. collection. secundae ann. 1825. fasc. I. p. 133.

rogatu tuo] Sic L. *β*, bRl. *γ*, *δ*, *ε*, Bern. Erf. ed. vet. s. l. Albertus de Eyb in *margarita* et codd. Goerenzii l. c. ✕ Al. *tuo rogatu.* Cf. § 3. Extra clausulam tamen I. *N. D.* 6, 15. *ipsius rogatu arcessituque*, ut ap. Plaut. in *Stich.* II. 2, 3. *tuo arcessitu venio huc.*

§. 11. *in Catone Maiore*] L. *α in C. maiori* et cum *β*, bRl. *γ*, *δ*, *ε*, Bern. Erf. ed. vet. s. l. Ven. 474. addit v. *feci.*

de senectute, Catonem induxi [senem disputantem], quia nulla videbatur aptior persona, quae de illa loqueretur, quam qui et diutissume senex fuisset et in ipsa senectute praeter ceteros floruisset: sic, quom accepissemus a patribus, maxume memorabilem C. Laeli et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea Laeli persona visa 'st, quae de amicitia ea ipsa
12 dissereret, quae [disputata ab eo] meminisset Scaevola. Genus autem hoc sermonum, positum in hominum veterum auctoritate, et eorum illustrium, plus (nescio quo pacto) videtur habere gravitatis. Itaque ipse [mea] legens sic af-

---

induxi] Cf. §. 9. pr. × D. 119 a. *senem induxi* × Ed. vet. s. l. *disputantem senem.* Haec item ut aliorum librorum adiectio *de senectute* videtur petita e seqq., ubi alioqui taedium moverent denuo inculcata. Ox. ψ < *Catonem . . . disputantem.* — L. α *qua* pro *quia.*

de illa] Sic Ox. *E* < volgo: *de illa aetate* × D. 119 a. *de aetate illa* × bRl. γ *de illa loqueretur aetate.* Sic 8, 4. f. post pron. *illa* inculcatur *res.*

quam qui] Sic ed. vet. s. l. < volgo: *quam eius, qui.* Scilicet glossatores ferre noluerunt Synesin.

diut. sen.] × Bern. Erf. *senex diutissime.* — *Praeter ceteros* bRl. γ, Bern. Erf. ed. vet. s. l. et omnes libri Iani Gulielmii *in Plauti asinar.* (scen. ult. v. 6.) *quaest.* c. 7. in Gruteri *thes. crit.* III. 2. p. 340. Cf. Horat. *epod.* III. 9. Cic. *or.* III. 25, 99. Sic Gr. *μάλιστα τῶν ἄλλων.* bRl. δ p̄ *ceteros.* Hinc ε, L. α, β aliique *prae ceteris.*

quom accepissemus] Ed. vet. s. l. *cum accepimus.* — × Ven. 474. *familiaritatem, C. Laelii persona visa est idonea fuisse:* quo v. omisso ed. Lugd. et Facciol. hic in clausula > *mihi* × L. β *mihi lelii ydonea* etc. × Volgo: *idonea mihi.* Cf. statim ante: *nulla videbatur aptior persona* et §. 10. pr.

ea ipsa] Ed. vet. s. l. *et ipsa*, quasi sit Nominativus > L. *a ipsa,* quasi Ablativus.

ab eo] L. α *ab ipso* × Ed. vet. s. l. *ab eo disputata,* quae spuria suspicor comp. supra §. 5. pr. — Ven. 474. *magister meus* (> cet.) *Scevola.*

§. 12. × *sermonis in h. v. positum* < ed. vet. s. l. *sermonis positum est in — videretur.* Idem usu venit in legendis libris sacris: quorum auctoritas cum vetustissuma sit, mirificam habent vim in hominum, qui istam oraculorum auctoritatem agnoverunt, animos, ut quasi deus nobiscum loqui videatur: unde existit saepe nescio quo pacto furor quidam fanaticus in dissentientes, quasi improbos deique supremi hostes temerarios.

mea] L. β *nra*, h. e. *nostra* × Ed. vet. s. l. *mea ipse* × Dr. 119 a. *ipse legens mea.*

13 ficior interdum, ut Catonem, non me loqui existumem. Sed ut tum senex ad senem [de senectute], sic hoc libro ad amicum amicissumus [de amicitia scripsi]. Tum 'st Cato locutus, quo nemo [fere] senior temporibus illis, nemo prudentior; nunc Laelius, et sapiens (sic enim habitus) et
14 amicitiae gloria excellens, loquetur. Tu velim animum a me parumper avertas; Laelium loqui putes. C. Fannius et
b. Q. Mucius ad socerum veniunt post mortem Africani; ab his sermo oritur; respondet Laelius: cuius tota disputatio 'st de amicitia, quam legens tu te ipsum cognosces.

---

§. 13. Volgo: *ad senem senex* < Erf. *Attice* ✕ L. *α Sed tum a te* (corruptum ex *a d te*), *o attice*, *senex* (< *ad* L. *β* cum Goth. *a*. < *te* Bern.) *senem:* quem chiasmum praetulimus volgato ordini. His volgo adiecta vv. *de senectute* > Vimar. Retinendum dumtaxat ab hoc item omissum adv. *tum*, illis relictis utique otiosum, quum statim iteretur facileque intelligatur ex opposito: *sic* (bRl. *γ*, *ε*, Bern. > *in*) *hoc libro* < Ed. Frcf. 590. Lugd. 608. *scripsi* ✕ Bern. Erf. L. *α*, *β*, bRl. *γ*, *ε ad amicum a. scripsi* (ed. vet. s. l. *scripsit*) *de amicitia* ✕ Ven. 474. *de am. scripsit*, volgo *scripsi:* quod v. iustissuma suspicione notavit Goerenz. eliminandumque iudicavit, ut oratio fieret et concinnior et gravior, comp. *off.* I. c. 2. pr. Otiosa adiectio *de amicitia*, quae suspecta est etiam c. 5. §. 3. c. 10, 2. (ubi cf. item §. 6.) hic certe itemque extr. hac §. adversatur concinnitati, si quidem recte cum Vim. repudiavimus *de senectute.*

Tum] Bern. L. *α Tunc* — ✕ bRl. *γ fere nemo* < Bern. L. *α erat fere n.* ✕ L. *β*, bRl. *ε*, D. 106. *erat nemo fere* ✕ bRl. *δ nemo erat fere.* Goerenzius restrictionem istam *fere* putida quadam religione et cautione asseverandi adiectam putat. Denatus est enim Cato senex iam octoginta quatuor annorum, et quod excurrit, a. V. DCIV.

sic enim] Ox. *ν* < *est* volgo ✕ L. *α sic est enim* ✕ D. 119 a. *sic e. habitus est.* Extr. hac §. inconcinne volg. *de amicitia* (> Ciz. A) *loquitur*, Bern. Erf. *loquetur*, quod ipsum verbum e superioribus, ubi perfectum tempus adfuit, supplendum, nescio an glossatori debeatur una cum illa adiectione *de amicitia*, ut modo ante.

§. 14. Erf. L. *β Tum velim* et cum bRl. *γ*, *ε*, Ven. 474. *a me animum* ✕ Ed. vet. s. l. *an. parumper avertas* (L. *α* <) *a me.*

loqui] Ox. *η* < *ipsum* volg. ✕ L. *β*, bRl. *γ ipsum* (bRl. *ε ipse*) *loqui.* Cf. supra §. 12. ad f. — Ven. 474. *ab iis.* L. *α ab hys.* — L. *β respondit.*

tu te ipsum] h. e. „Praeclarum illud amicitiae castissumae exemplum, quod Laelius proposuit, intuens, tuam ipsius speciem, in Laelio quasi te

2 Fannius. Sunt ista, Laeli. Nec enim melior [vir fuit] 6
Africano quisquam nec clarior. Sed existumare debes omnium
in te oculos esse coniectos unum; te sapientem et appellant

---

ipsum cognosces, talem firmissumae amicitiae imaginem, quali te mecum coniunctum esse laetor." Guil. Aug. Frid. Gen**ssler** in Seebodii bibl. crit. nov. 1820. vol. II. P. IV. (fasc. X.) p. 828. *tu* > Erf. L. β *te ipse.* Ed. vet. s. l. Ven. 474. *tu ipse.* In libris confunduntur hic *cognosces* et *agnosces*, ut eadem verba III. *or.* c. 59. f. itemque *cognitio* et *agnitio* I. *N. D.* 1, 1. Sic in *or.* 56, 189. *eos versus facile agnoscit auditor*, ubi quidam libri *cognoscit.* V. Bremium et Goerenzium ad l. II. *de fin.* c. 26. pr.

C. 2. < Ed. vet. s. l. *Vera sunt ista, lelii.* ✕ bRl. γ, δ, L. α, Ven. 474. *Sunt ista vera, L.* In bRl. δ superscriptum a m. 2. *ut dicis.* Bern. *Sunt ista, quae dicis, Laeli.* Erf. *leli, ut loqueris* et particulae *ut* superscripta *ita* < L. β *Sunt ista, leli, vera, ut dicis* ✕ bRl. ε, D. 120. *vera, ut dicis, Laeli* ✕ D. 119 a. *Sunt* (pronomine *ista* superscripto) *leli, ut dicis, vera.* Sed alterum apographum in eod. codice post libros *de off.* (D. 119 c.) *Sunt ista vera, o Lelii.*

nec enim] Ciz. C.* *neque enim* — ✕ bRl. γ, ed. vet. s. l. *vir melior f.* ✕ L. β, D. 106. *melior fuit vir* ✕ bRl. ε *quisquam melior vir fuit.* Multi codd. < *vir*; quod magis necesse fuit addi in *Cat. mai.* 23, 12. (84.) *quo nemo vir melior natus est*, quam hic, ubi adiicitur *quisquam*, et ipsum v. *fuit* suspicione notari potest: nam ✕ Vim. et Ciz. A. *fuit vir melior.*

omnium] Eyb: *hominem.* Ergo olim alii: *hominum.* D. 106. *in te oculos* < *nunc*, ut > ed. vet. s. l. et ✕ Bern. D. 119 a. 120. L. α, β, bRl. γ, δ, ε, Eyb: *oculos in te* ✕ Ed. vet. s. l. *esse coniectos in te* < volgo: *oculos nunc in te*, quod tuetur P. Suffridus, scilicet ut Laelius opponatur L. Atilio et Catoni pridem defunctis. At spectant haec simpliciter ad Africani familiarissumum, quem quaerebant homines quonam pacto Africani mortem ferret, ut disertius dicetur §. 6. Facile tamen h. l. compendium scribendi *nc̄* ante *in* potuit neglegi. Ad similitudinem loci *in Verr.* V. 14, 35. interpunctionem, volgo ante voc. *unum* positam, post id demum adhibui, ut existeret pronominis ἐπαναφορά, quemadmodum *de re p.* VI. 12. (*somn. Scip.* c. 2. §. 3. f.) ubi simili locutione declaratur maior quaedam expectatio. V. ibi Moseri annot. p. 476. a. cll. *de off.* II. 13, 44. f. *or.* II. 7, 28. *pro Cluent.* 19, 54.

te sapientem] < L. α *te esse s.* > Ven. 474. *te sapientem appellant.* — L. α *estimant.* Recentiorem orthographiam *existimant* constantiae causa secutos edd. laudat Moserus provocans ad praefationem suam ed. libb. *de re publ.* p. IX. s. Nos cum bona pace illorum antiquitatis fidem constanter sequemur.

2 et existumant. Tribuebatur hoc modo M. Catoni; scimus L. Atilium apud patres nostros appellatum esse *sapientem.* Sed uterque alio quodam modo: Atilius, quia prudens esse
3 in iure civili putabatur; Cato, quia multarum rerum usum haberet (multa eius et in senatu et in foro vel provisa prudenter vel acta constanter vel responsa acute ferebantur), propterea quasi cognomen iam habebat in senectute *sapien-*
4 *tis.* Te autem alio quodam modo, non solum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina sapientem, nec sicut

---

§. 2. *Attribuebatur* Ven. 474. ✕ L. β *Tribuebatur M. Catoni hoc modo* <L. α *hoc nomen sapientis Cathoni.* D. 121. *h. modo sapientia M. Catoni.* D. 106. 120. *Tribuebant h. m.* (< D. 119 a. *sapientiam*) *M. C.* sed D. 119 c. (np. alterum in eod. cod. apographum) confirmat receptam lectionem. *Modo* h. l. non valet *tantum*, sed *nuper admodum;* opponitur enim *apud patres nostros.*

Atilium] bRl. γ, δ, ε, Bern. Erf. *Acilium* et sic ubique. Ven. 474. *Accilium.* Ed. vet. s. l. *Actilium* et mox *L. Actilius.* ✕ L. *α apud patres nostros L. Attillium.*

uterque]. *Cato et Attillius uterque* L. α < *esse.*

§. 3. *haberet*] h. e. habere putabatur. Cf. 4, 9. Garatonius ad *Phil.* II. c. 8. p. 210. ss. tuetur hunc Optativum testaturque inveniri in ed. Ven. 498. cum Omniboni commentario, in Froben. 528. in ed. Sebast. Gryph. 549. quarum non sit vilis auctoritas; denique in ea, quam Martialis Rogerius emisit (Paris. ap. Mathurinum du Puys a. 1547. 4.) quinque pervetustis MSis usus ex Parisiensi bibliotheca S. Victoris, uno Lemovicensi et plus XXVIII editionibus antiquis, qui libri omnes, duobus tantum exceptis, auctores huius lectionis Rogerio fuerunt. Al. nostrique omnes libri *habebat.*

multa] < *que* Ven. 474. Olivet. et, ut proinde suspicari licet, codd. Oxx. Nos parenthesin indicavimus, ut placuit Goerenzio quoque. > *multa eius in s.* Bern. L. α, β. Probabilius certe in seqq. L. α < *in.* Ac satis exquisita foret lectio *et in senatu et foro.* V. obs. ad c. 5. f. Sed cf. *off.* II. 14, 49. *et apud iudices et apud senatum dicendo laudem assecuti.* — ✕ L. α *vel acta constanter vel provisa prudenter.* — L. β *acuta responsa* ✕ — L. α < *iam.*

§. 4. *autem*] L. α *non*, sc. e confusione compendiorum *a* et *n* cum lineola superaddita. — *alio quodam modo* < *dicunt* Ven. 474.

verum] Eyb: *sed*; quippe liberius excerpsit. — L. β *constat esse* > *sapientem* < *esse* (✕ L. α *esse sap.*) *existimant* Bern. Cf. *off.* II. 9, 33. *hanc enim utilem omnes existumant veramque prudentiam.* 10, 36. *quos improbos, maledicos, fraudulentos putant.* Erf. < seqq. *nec sicut — sapientem.* Eyb: *neque sicuti.* Pro seq. *ut* Bern. *et*, L. α *sicut* — Eyb: *so-*

volgus, sed ut eruditi solent appellare sapientem, qualem in Graecia neminem (nam qui septem appellantur, eos, qui 7 ista subtilius [quaerunt], in numero sapientium non habent), Athenis unum accepimus, et eum quidem Apollinis oraculo

---

lent, *appellant:* quo admisso supra voc. *sapientem* foret delendum, quia statim sequitur. > Ed. vet. s. l. *nec sic vulgus*, *sed eruditi s. appellare.*

in Graecia] < bRl. δ, Bern. D. 106. 120. Ven. 474. Olivet. *in reliqua Graecia* ✕ L. β *reliqua in Gr.* superaddito v. *audivi.* bRl. γ *reliqui in Graecia* < Schwarzii Altf. cod. *in Graecia tota reliqui* ✕ bRl. ε *in tota Gr. r.* ut de se testetur Fannius, 'quum ipse Athenis Panaetium audiendi causa commoratus esset.' L. α *in Gr. reliqua neminem scio.* D. 119 a. *in reliqua* (non, ut Gernhardi auctor Osannus testatur, *in tota*) *Gr. inveni neminem* ✕ > Ed. vet. s. l. *inveni neminem in Gr.* In Lallemandi cod. Regio optumo retinetur *in tota Gr.*, h. e. *quanta quanta est*, *uno excepto Socrate:* sicut ad oppositum *Athenis unum* prospiciens interpretatur Goerenzius l. c. nec incongrue. Solent enim Latini et Graeci, ubi *totius* et *partis* nomina ita ἐκ παραλλήλου iungunt, ut per se appareat, hanc excipiendam esse, (non, ubi in diversis sententiis ponuntur, ut in volgata, quae interpungendo haec divellit ac discerpit) non semper hoc verbis significare, sed, omissis vocibus *reliquus*, *ceteri*, cogitandum relinquere: ut observat Ioh. Nic. Madvig *emendatt. in Cic. libros philosophicos* P. I. p. 197. comp. loco Caesaris *de b. G.* VI. 24, 2. *Eratostheni et quibusdam Graecis*, laudatisque Gronovio et Drakenb. ad Liv. III. 25, 4. Davisio ad Cic. *Tusc.* IV. 5. pr. Cf. Oudendorp. ad Caesar. l. c. Enimvero neutrum nec *relicua* nec *tota* habet Erf. probante Ed. Wundero in *praef.* ad *VV. LL.* p. CXXIII. Alia quaedam, sed similis tamen oppositionis ratio est I. *de re p.* c. 3. *Hinc enim illa et apud Graecos exempla* —. *Nec vero levitatis Atheniensium .. exempla deficiunt, quae, nata et frequentata apud illos, etiam in gravissumam civitatem nostram dicuntur redundasse.*

§. 5. *septem*] L. α *semper.* — ✕ bRl. γ *nam eos qui s. appellantur, qui.* Nescio consultone Madvig l. c. omiserit *eos*, < L. β *illi* > D. 106. *qui ista subtiliter*, D. 119 a. *subtili'*, D. 120. *inquirunt*, quod pariter ac *quaerunt* a glossatore suppletum est ad praecise dictum, ut 5, 5. (18.).

sapientium] bRl. γ, ε, ed. vet. s. l. Ven. 474. *sapientum.* Sic L. α quoque et deinceps *Athenis quidem unum et eum q.* (< volg. *etiam*) *A.* Particulae *etiam* ab Ox. I. quoque et Schwarzii Altf. cod. omissae vis iam inest in adiectione *et eum quidem.* Lucian. *amor.* 48. Χρησμὸν ἀληθείας ὁ Πύθιος ἐθέσπισεν, „ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος."

sapientissumum iudicatum; — hanc in te sapientiam existumant, ut omnia tua in te posita ducas humanosque casus vir-
6 tute inferioris putes. Itaque ex me quaerunt, credo item ex hoc [Scaevola], quonam pacto mortem Africani feras, eo-

---

esse in te sap.] Sic volgo ed. × bRl. δ *sapientiam esse in te* × bRl. γ et Eyb: *sap. in te* (L. α, bRl. ε <) *esse*. Cf. *off.* II. 10, 36. *eos — contemnunt, in quibus nihil virtutis . . putant.* Ceterum parenthesin non indicavit Nobbius. Gernh. assentiente Mosero l. c. p. 982. eam ante haec demum verba finiverat. Nos auctoribus Goerenzio et Madvigio p. 194. ss. illa tantum *nam — non habent* parenthesi comprachendimus, ut ista *qualem — neminem . . accepimus* constructione cohaereant. Aliud enim ista nec habent, quod repetatur verbum, nec, si proxume praecessisset, repeti posset in hac verborum iunctura. Neque ad illa superiora *Te autem alio quodam modo . . sapientem* repetere licet *scimus appellatum esse*, interpositis Nominativis (*Atilius* et *Cato*); sed Fannius orationem sic exorsus, ut nihil amplius expectaretur praeter *existumant*, quod ipsum quidam codd. superioribus vv. adiiciunt, pluribus interpositis eam immutavit et, quum priora aliis verbis (*hanc in te sapientiam*) repetisset, terminavit omissis particulis, quae orationem in ordinem redire significarent: unde orta quaedam orationis perturbatio. Satis perspicue tamen pron. *hanc* sic initio positum sine ulla coniunctionis particula significat orationis ad superiora reditum et cum iis nexum arctissumum.

ut] Eyb: *quod* — bRl. γ < *tua*. Tum *ducas* est in D. 119 a. a m. 2. nam manus 1. cum Ven. 474. *dicas* < D. 120. L. α *esse dicas*. bRl. γ, δ, ε, Bern. Erf. ed. vet. s. l. Eyb: *esse ducas* × L. β *esse posita dicas*. Similiter extr. hac §. Ven. 474. *esse* > *putes*. Cf. *Tusc.* V. 12, 36. ubi laudatur praeceptum illud vetus de moderato, forti ac sapiente:

Neque enim laetabitur unquam, nec maerebat nimis,
Quod semper in se ipso omnem spem reponet sui.

§. 6. < Ed. vet. s. l. *crebro quaerunt, credo ex Scaev. hoc item ut ex me* > bRl. γ *et credo ex hoc Scev.* bRl. δ, ε *cr. item ex hoc Sc.* × Bern. Erf. L. β *cr. ex hoc item Sc.* < Ven. 474. *cr. et ex hoc item Sc.* L. α. † *credo idem ex te, o Sc.* > volgo: *cr. item ex te, Sc.* Sed tum ad hunc, non ad Laelium spectarent seqq. *quonam pacto . . . feras.* Debebat etiam §. 7. Scaevola respondere sic: *Quaerunt quidem, Fanni, multi [ut est a te dictum].* Et vix dialogus hunc illum respicientis orationis tam citam conversionem ac paene confusionem excusarit. *Ex hoc* simpliciter spectat ad alterum, qui adest, generum, ut c. 9. f.

que magis, quod proxumis Nonis, quom in hortis D. Bruti auguris commentandi causa, ut assolet, convenissemus, tu non affuisti: qui diligentissume [semper] illum diem et illud munus solitus [esses] obire.

7 SCAEVOLA. Quaerunt quidem, C. Laeli, multi [ut est 8
a Fannio dictum]. Sed ego [id] respondeo, quod animad- p. 97.
verti, te dolorem, quem acceperis quom summi viri tum a.
amicissumi morte, ferre moderate: nec potuisse non com-

---

proxumis] bRl. γ, Bern. Erf. D. 119 a. in quo ante hoc voc. eadem manus superscripsit ī (h. e. *in*) aliaque recentior manus *his* < bRl. ε, ed. vet. s. l. *in prox.* D. 120. *his prox.* superaddita praepos. *in.* < bRl. δ *in his prox.* Pron. otiosum cum ceteris libris nostris tuetur Moserus l. c. p. 975. comp. *epp. ad. famil.* I. 9, 54. (ed. Martyni-Lag. 10. p. 44.) *quem proxumis superioribus diebus acerrume oppugnasset:* sed ibi illis coniunctis exprimitur perpaucorum dierum intervallum, ut magis notetur inconstantia repentinae defensionis. Hic autem omisso pronomine, quod indicaret Nonas *ante hoc colloquium*, commode eaedem intelliguntur Nonae, sed tamquam proxumae *post amici decessum.*

in hortis] Bern. et D. 106. cum volg. *in hortos.* L. α *in ortis* (sic L. β quoque) *d. auguris.* D. 119 a. cum volg. *ut* (non, quod Osanno auctore Gernh. retulit, *uti*) *assolet.* L. β *ut adsolet.* D. 120. *uti assolet.* D. 106. 120. L. α *convenissemus* pro volg. *venissemus.* In comp. l. *de divin.* I. 41, 90. *congregari commentandi causa Nonis quondam soliti augures* dicuntur.

tu] Ed. vet. s. l. *vel tu.* L. α *tu nec affuisti,* β *adfuisti.* — × D. 119 a. *illum diem semper*, quod adv., ut videtur, ascitum e §. 9., hic nimis otiosum, quum satis fuerit dici *qui diligentissume . . solitus* [*esses,* D. 106. Oxx. *E,* η *es* × L. α *esse solitus*] *obire.*

§. 7. < D. 119 a. *Respondit Scaevola*, non, ut Gernh. significare videtur, × *Scaev. respondit.* — bRl. δ, D. 120. *ut dictum est a Fannio* × bRl. γ *a Fannio ut est dictum.* Agnoscisne, Lector, ludi magistri emblema, cuius geminum illud c. 4. §. 10. pr.?

id respondeo] < D. 106. *et resp. id* † — Erf. *qui animum adverti — acceperas.* — Bern. L. β, bRl. γ, δ, ε, D. 106. Ven. 474. *tum summi viri* [< *causa* D. 121.] *tum amicissimi* [< *sumi* D. 119 a. non, ut est ap. Gernh., *simul*] *morte.* D. 119 a. *mortem* × Ed. vet. s. l. *tum s. viri mortem tum amicissimi ferre m. n. potuisse te comm. nec f. id tuae humanitatis:* ut pron. *tuae* in clausula sententiae eiusque generalis suspectum fiat eo magis, quod Scaevola non haec loquitur, ut blandiatur praesenti socero suo, homini verecundo; sed repetit excusationem quasi absentis.

8 moveri; nec fuisse id humanitatis tuae: quod autem in collegio non affuisses, valitudinem causam, non maestitiam fuisse.

9 LAELIUS. Recte tu quidem, Scaevola, et vere. Nec enim ab isto officio, quod semper usurpavi, quom valerem, abduci incommodo meo debui: nec ullo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, ut ulla intermissio fiat of-

---

§. 8. *in collegio*] Sic cod. Vrsini < *nostro* L. α × *in nostro collegio* Palatt. 1. 2. < *Nonis in coll. nostro* Erf. L. β, D. 119 a. (× *N. in nostro coll.* bRl. γ, s Schwarzii Altf. cod.) < *Nonis his* D. 106. × D. 120. *his* (ed. vet. s. l. *hiis*) *N.* < Bern. *his proximis* (Ven. 474. *in pr.*) *Nonis in collegio nostro.* Pronomen praemissum in Oliv. ed. et, ut credibile est, in codd. Oxx. omnibus tuetur Goerenz. l. l. p. 296. comp. *Cat. mai.* 18, 7. pr. (64.) *ad Fam.* X. 12, 7. *Brut.* 1, 1. *interitu talis auguris dignitatem nostri collegii deminutam dolebam.* Ego vero Vrsino, cuius fides suspecta eidem V. D., credidi, cum II. *N. D.* 7, 11. simpliciter dicatur: (*Gracchus*) *ex provincia literas ad collegium misit.* In istis locis alia fuit causa pronominis addendi. Interpolationes repetitae videntur e §. 6.

valitudinem] < L. β, bRl. γ, Ven. 474. *respondeo* (Erf. <) *causam.* Bern. *valet. respondero* (*respondeo* bRl. δ, s et Schwarzii Altf. cod.) *causae* D. 119 a. 120. *invalet.* (L. α *invalit.*) *respondeo* c. D. 106. *invalet. respondero c.* Mosero Gernhardus videtur parum constanter in contextu reliquisse *invalitudinem*, in annot. recte probasse medium *valetudinis* vocabulum. At vero censorem parum attentum fefellit corrupta annotationis interpunctio. Aliis potius locis *epistt.* XIV. 4. *in Pis.* 6, 13. *Cat. mai.* 11, 35. ille V. D. *valetudinis* voc., cuius significatus nostro etiam loco satis apparet, retineri voluit. Sed *invalitudinis* voc. bis tantum in epistolis lectum h. l. reiecit Goerenz. quippe suorum codd. auctoritate destitutum. Ceterum scripsimus per *i*, non per *e*, quia descendit a Supino. Quam laudata Grotefendi *orthogr. lat.* §. 127. Moserus l. l. p. 976. probat literam *e*, recte ea scribitur in *consuetudine* a *consueto* deducta.

§. 9. *tu*] > L. β *R. q. Sc.* < D. 106. *Sc. putas et vere.* Erf. *Scaev. tuere*, sed superscriptum: *l' et vere.* L. β *tueris*, cui v. item superscripta correctio editionis vet. s. l. *et vere existimas.* D. 106. *et v. respondisti nec ab isto.*

quom] Bern. † *dum* — L. β *meo incommodo abduci* × Goth. 117. *abduci ullo incommodo.* Goth. 48. *abduci nisi incommodo.*

nec ullo] L. α *nec illo.* Bern. *ne ullo.* — L. α < *homini*, quod subst. *constanti* ceteri addunt. Cf. *off.* I. 23, 80. f. — Bern. E. b: † *ut nulla.* — L. α *fiat* × *intermissio.*

10 ficii. Tu autem, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quan- 9
tum ego nec agnosco nec postulo, facis amice; sed, ut mihi
videris, non recte iudicas de Catone. Aut enim nemo, quod
quidem [magis] credo, aut, si quisquam, ille sapiens [fuit].
11 Quomodo (ut alia omittam) mortem filii tulit! Memineram
Paulum; videram Gallum. Sed hi in pueris; Cato in per-
12 fecto et spectato viro. Quam ob rem caue Catoni antepo-
nas ne istum quidem ipsum, quem Apollo [ut ais] sapien-
tissumum iudicavit. Huius enim facta, illius dicta laudan- 10
tur. De me autem (ut iam cum utroque loquar) sic habe-

---

§. 10. *Fanni*] > Eyb et cum Bern. Erf. L. α, β, ed. vet. s. l. Ven. 474. *quod* ∼ pro *qui*. Cf. *ad fam.* I. 9, 2. pr. — Eyb: *tanti* et cum ed. vet. s. l. *attribui*.

videris] L. α *videtur* — × L. β *recte non* — *quod magis quidem cr. a. si quisquam* < ed. vet. s. l. *fuit*; Ven. 474. *est.* — Gud. *fuit* × *sap.*

§. 11. *Quomodo*] < Bern. *Quonam modo*; Ven. 474. *Quomodo enim, ut aliam o.* Exclamationis affectus neglegit coniunctiones. D. 106. *ut illa omittam.*

Paulum] simplici lit. *l* cum cod. Vatic. libb. *de re publica* scribit ubique Bern. — *Gallum* Ven. 474. mutat in *Gracchum*. Erf. Bern. L. β, ed. vet. s. l. *Gaium* < D. 106. * *Gaium Gallum* et cum ed. vet. s. l. *Sed hi nec* (bRl. ε *hii non* × L. α *nec hi*) *comparantur* (bRl. γ *nc hii comparentur*) *Catoni maximo* (bRl. γ, Bern. Erf. L. β *Catoni perfecto* < *in veris* bRl. ε) *et sp. viro* × ed. vet. s. l. *viro et expectato.* Ven. 474. *Sed caue praeponas Catoni hos quidem maximo et sp. v.* Goerenzio l. l. placuit *sed hi non in pueris, Cato in — viro?* quem interrogationis affectum convenire volebat praecedentis orationis vigori: *Quomodo — tulit?* Sed, quae attulit V. D. exempla, non praestant particulam *non* in bimembri interrogatione. De Paulo orbato filiis v. Senecae *consol. ad Polyb.* c. 32. ad fin. *ad Marciam* c. 13.

§. 12. *caue Catoni*] > L. α < D. 106. *Catoni* < D. 120. *caue hoc Catoni* × D. 119 a. *cave Catoni hoc.* Ed. vet. s. l. *Caue ne me Catoni anteponas, istum quidem*, sed manus docta in margine exempl. Paul. biblioth. inseruit *ne* ante *istum q.* — L. α < *ipsum.* — Al. *ut aiunt*; al. *ut dicis.*

illius d.] < D. 106. ed. vet. s. l. *illius vero dicta et eventa laudantur.* Scilicet haec ad Catonem retulisse videtur corrector. Pronominum h. l. positorum rationes explicanti Gernhardo quam considerate oblocutus fuerit Moserus, ipse viderit: perhibet enim Socratem longe ante Catonem §. 4. commemoratum esse, quo respiciat pron. *istum.* Quasi vero non ante ibid. §. 3. commemoratus fuerit Cato.

ut] L. β *nunc* et cum D. 106. Erf. L. β, ed. vet. s. l. *cum utroque ve-*

3 tote. Ego si Scipionis desiderio me moveri negem: quam
2 id recte faciam, viderint sapientes; sed certe mentiar. Moveor enim tali orbatus amico, qualis, ut arbitror, nemo umquam erit; ut confirmare possum, nemo [certe] fuit.
3 Sed non egeo medicina: me ipse consolor, et maxume illo solatio, quod eo errore careo, quo, amicorum decessu,
4 [plerique] angi solent. Nihil enim mali accidisse Scipioni

---

strum >. — *Habetote* semper incipit sermonem estque exordientis auditoremque erigentis; *habes* vel *habetis* respicit peractum sermonem in eiusque clausula usurpatur: ut II. *or.* 85, 350. pr. 88, 361. pr.

C. 3. × *me Scipionis desiderio* bRl. *γ*. — × L. *α quam recte id.* Scilicet offendit scribam hyberbaton. Cf. Ellendt ad *Brut.* 33, 126. *Id* respicit non ad v. *negem*, sed totam sententiam, quasi sic esset elata: *si — non movear.* Praesentia autem Optativi hic ambigue posita pro Imperfectis. Ego haec vv., quae Goerenz. l. l. p. 296. parenthesin facit, accipio pro apodosi. Nam I. *ad famil.* 9. §. 45. ubi ante partt. *sed certe* Martyni-Lag. (in cuius ed. est *epist.* 10.) bis indicavit parenthesin, non praecessit protasis conditionalis. Neque necessitatem perspicio verba extra parenthesin sic struendi: *sapientes viderint.* Obsecutus Goerenzio sum in tollenda virgula post *Ego.*

§. 2. × Volgo: *tali amico orbatus* × Bern. *amico tali orb.* quo verbo cum L. *α* interposito gravius pondus cadit in singula vocabula. — Ed. vet. s. l. *erit umquam.* Plato in *Critone* c. 3. ἐμοὶ οὐ μία ξυμφορά ἐστι.. ἐστερῆσθαι τοιούτου ἐπιτηδείου, οἷον ἐγὼ οὐδένα μήποτε εὑρήσω. Nescio an ibi nostri loci meminerit Ulricus in Plat. diall. IV a Gedikio conversorum ed. II. (Berol. 1821.) p. 40. cuius annotationem indicavit mihi Runkelius.

ut] Erf. L. *α*, *β* < volgo: *et ut.* D. 106. *utique.* — L. *α* * *affirmare* et cum D. 106. *nemo umquam f.* × L. *β certe nemo f.*

§. 3. *nec egeo* ed. vet. s. l. < Bern. *non ego egeo* — Erf. *me ipsum.* In *ep.* 16. l. V. *ad fam.* §. 9. *temporis medicinae* praeferenda ducitur ea, *quam repraesentare ratione possimus*, h. e. consolatio.

et] > Ed. vet. s. l. — × L. *β eo solatio — illo errore.* L. *α ego errore* < D. 106. *eo ego errore.*

amicorum decessu] h. e. cum amicorum aliquis mortuus est. V. annot. ad I. *off.* 23, 81. t. I. p. 156. s. L. *α*, Ven. 474. *amicorum discessu* × L. *β discessu amicorum.* — L. *α angi solent* × *plerique:* ut suspicionem moveat hoc voc., cum suapte sponte *imperitum volgus* intelligatur, vel simpliciter *amici* v. *homines.*

§. 4. *enim*] > Bern. L. *α*, bRl. *γ*, *δ*, Erf. Ven. 474. al. Reticeri potuit particula, quum Laelius hic graviter cum quodam affectu loquatur, ut supra §. 11. pr.; sed facillume particulae compendium ante lit. *m* potuit neg-

puto. Mihi accidit, si quid accidit. Suis autem incommodis graviter angi, non amicum, sed se ipsum amantis est. 5. Cum illo vero quis neget actum esse praeclare? Nisi 11 enim, quod minume putabat, immortalitatem optare vellet: quid non [est] adeptus, quod homini fas esset optare, qui summam spem civium, quam de eo iam puero habuerant, continuo adulescens incredibili virtute superavit; qui consulatum petiit numquam, factus [consul] bis: primum

---

legi. — bRl. *δ, s si quid accidit* (ed. vet. s. l. *acciderint*), × *mihi accidit.*

graviter angi] × Bern. *angi graviter non est amantis amicum.* Cf. *ad fam.* V. *ep.* 16. §. 7, *Brut.* 1, 8. (§. 5.) de Hortensii decessu: *nostrum est id malum: quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, sed ad domesticam utilitatem referre videamur.* Plato *Phaedone* c. 66. *ἀπέκλαιον ἐμαυτόν· οὐ γὰρ δὴ ἐκεῖνόν γε, ἀλλὰ τὴν ἐμαυτοῦ τύχην, οἵου ἀνδρὸς ἑταίρου ἐστερημένος εἴην:* ubi v. Fischeri annot. 19.

§. 5. *esse*] > *praeclare actum* ed. vet. s. l. ut l. III. *in Verr.* 50, 119. *secum male actum putet.* Cf. infra 4, 8. pr. — L. *α Nisi ille, quod minime p.* × volgo: *quod ille minime* (Erf. *minimi*) *p.* — × D. 106. *q. ille putabat minime* × Bern. *q. put. m. ille* × bRl. *γ q. min. put. ille.* Expunximus pron. cum uno cod. quem laudat Grz. l. l. p. 296. s. observans modo praecessisse *cum illo* etc. Gernhardus vetat h. l. subaudire *optandum.* Sed quum pron. *quod* prospectet ad seqq.: equidem illinc petierim *homini fas esse optare.* Mortis maturae desiderium ipse ostendit Scipio ap. Cic. in *somn. Scip.* c. 3. §. 6. *de re p.* VI. 15. pr.

quid] Bern. *qui* — Erf. L. *β*, ed. vet. s. l. *adeptus* × *est:* quo supplemento expuncto ad participium subaudiatur licebit *videtur* vel *censetur.* Interrogationis signum hic volgo adhibitum ulterius removimus. Tum × D. 106. *puero iam*, quae partic. ante voc. *puero* posita deberet accipi pro *adhuc*, quod eius vis non patitur, neque adhibita est in simili l. *or. de imper. Pompei* 10, 28. nec in fragm. *or. pro Flacco* III, 5. *Etenim puer cum patre consule ad bellum est profectus.* Sed part. *iam* h. l. simul pron. eo traheret secum. Quod quum codd. tueantur, appositio h. l. quasi participialiter adhibita videtur, *quam de eo iam tum, quom puer esset, habuerant*, L. *α habebant.* Plutarch. in *v. Pauli* c. 22. de Scipione filio: *Πᾶσι ἀγαστὸς ἦν εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς πρὸς ἡγεμονίαν καὶ πολιτείαν, ὡς ἄλλος οὐδεὶς τῶν συγγενῶν* (h. e. fratrum), *κεκραμένος τὸ ἦθος.*

factus consul bis] Sic unus Aldi Manutii < octo: *factus est bis consul* × unus: *consul est f. b.* × unus: *est factus consul bis* × Bern. L. *β consul factus est bis* × L. *α factus consul est* (× volgo: *est consul*) *bis.* Consul intelligitur in *ipso consulatu*, cuius modo

ante tempus; iterum sibi suo tempore, rei publicae paene sero; qui duabus urbibus eversis, inimicissumis huic imperio, non modo praesentia, verum etiam futura bella dele-
6 vit? Quid dicam de moribus facillumis, de pietate in matrem, liberalitate in sorores, bonitate in suos, iustitia in omnis? Nota sunt [vobis]. Quam autem civitati carus [fue-
7 rit], maerore funeris indicatum 'st. Quid igitur paucorum annorum accessio iuvare potuisset? Senectus enim quamvis non sit gravis (ut memini Catonem anno ante, quam mortuus, mecum et cum Scipione disserere): tamen aufert

---

mentio facta, ubi Bern. Ven. 474. *petiit* pro volg. *petivit.* Cf. *pro Mur.* 8, 18. pr. *Quaesturam una petiit et sum ego factus prior*, ibique annot. Augusti Matthiae.

ante tempus] De Scipionis legibus soluti praematuro consulatu v. Plutarch. in *rei publ. ger. praecept.* c. 10. cf. *ἀποφϑέγμ.* p. 200. A. III. IV. de altero ib. p. 201. A — E. XV — XX.

duabus urbibus] *De re p.* I. lib. extr. Laelius Scipioni: *Quis te potius dixerit . . de consiliis in posterum providendis, quom tu duobus huius urbis terroribus depulsis in omne tempus prospexeris?* Cf. *pro Mur.* 28, 58. (108. pr.) *Cat.* IV. 10, 5. (§. 21.) *off.* I. 22, 9. pr. (76. ad f.) II. 22, 3.

§. 6. *liberalitate*] < Ed. vet. s. l. *d e l.* Interrogationis signa singulis ἐπαναφορᾶς membris interposita sustuli. In virtute, continentia et pietate Scipionis laudanda Cicero hic partim secutus videtur Polybium XXXII. 12. sq.

vobis] unus Aldi Man. *omnibus* < Ven. 474. *Haec nota sunt vobis* < Eyb: *Haec omnia/n. s. nobis. Q. a. huic civ. c. fuit.* × D. 106. L. α, bRl. γ *carus fuerit civitati.* Potuit *carus* absolute dici aeque ac *gratiosus*, vel ex superioribus *in omnis* intelligi *omnibus.* Certe in suspicionem venit *fuerit*, pro quo Ox. ψ quoque *fuit.* Nam post part. *quam* absolute positam verbum utique reticeri potuit, ut 15, 5. Nec dum emortua erat ista caritas. — † *iudicatum est* D. 106. Erf. L. β, ed. s. l. Ven. 474. Eyb.

§. 7. *igitur*] L. β, Eyb: *ergo* > D. 106. Particulae compendium perfacile potuit neglegi; sed tam otiosa videtur, quam §. 4. pr. *enim.* — Gen. *annorum* in Erf. non in ipso versu legitur, sed superscriptus tantum. Schwarzii Altf. cod. *Q. igitur* (< volgo: *hunc*) *pauc. ann.* (< bRl. γ *hunc*) *accessio* < Eyb: *hunc* — Ed. vet. s. l. *adiuvare p.?*

anno] > bRl. γ < bRl. δ, D. 106. ed. vet. s. l. Ven. 474. *uno anno.* bRl. ε *in illo anno.* — bRl. ϑ *ante quam mortuus* < *est* volgo; al. *esset* v. *fuisset* × bRl. γ *est* (bRl. ε *sit*, L. β *esset*) *mortuus* — Bern. Erf. D. 106. L. β, Ven. 474. *etiam nunc.* Ed. vet. s. l. *etiam tunc.*

8 eam viriditatem, in qua etiamnum erat Scipio. Quam ob 12
rem vita [quidem] talis fuit vel fortuna vel gloria, ut nihil
posset accedere; moriundi autem sensum celeritas abstulit.
Quo de genere mortis difficile dictu [est]; quid homines su-
9 spicentur, videtis. Hoc tamen [vere] licet dicere, P. Sci-
pioni ex multis diebus, quos in vita celeberrumos laetissu-
mosque viderit, illum diem clarissumum fuisse, quom senatu di-
misso domum reductus ad vesperum 'st a patribus conscriptis,
populo Romano, sociis et Latinis, pridie quam excessit e vita:

---

§. 8. × D. 106. *talis fuit quidem*, quae part. certe 4, 2. librariis debetur. — *nihil* < Eyb: *ultra*. Ed. vet. s. l. *nihil mali possit accidere* † — *est* × *dictu*.

quid] Erf. *quod* † < Ed. vet. s. l. † *quid autem h. suspicentur, vos videtis*. Comp. 12, 5. v. Excursus I.

§. 9. *tamen vere*] × L. β, bRl. δ, Bern. D. 106. Erf. ed. vet. s. l. *vere tamen* (bRl. γ hic pro *tamen* habet compendium pronominis *mihi*) × bRl. ε *tamen licet vere*. Haec varietas *vere* suspectum reddidit Goerenzio p. 297. Eandem vocem a glossatoribus intrusam notavimus III. *off.* I. §. 2. t. II. p. 187.

viderit] L. β *viderat*. Scipionis vitam a se conscriptam Plutarchus testatur ipse in *Ti. Graccho* p. 834 *D* et in *C. Graccho* p. 839 *C*, ex qua excerpta sunt ἀποφθέγματα p. 199. *F*. Vt singularem librum memorat Lamprias in *catalogo* n. XXVIII. Auctores secutus videtur Plutarchus potissumum Polybium et Panaetium Rhodium, Scipionis aequales et familiares. Praeter Antonii Bendinellii *vitam Sc.* (Florent. 1549.) extat Car. Sigonii *de vita et rebus gestis P. Scipionis Aemiliani liber*, editioni Aurelii Victoris adiunctus, cuius *commentarii* quoque in *fastt. et triumphh. Romm.* itemque Pighii *annales* eandem illustrant. Cf. Ang. Maius in *prosopographia dialog. de re publica*, subiecta eiusd. *praefationi*, ubi est persona princeps.

quom] Erf. L. β *quo* — Ven. 474. *r. ad vesperam est* × D. 106. *est reductus ad vesperum*.

populo Romano] Sic (sed *sociis* >) L. β. Ambigue L. α, bRl. γ, δ, ε, Bern. *P. R.* × Erf. ed. vet. s. l. *R. p.* < D. 106. *a populo R.* Ceteri *a populi Romani s.* Cf. *de re p.* VI. 12. (*somn. Scip.* c. 2. ad f.) *te senatus, te omnes boni* (i. q. h. l. *populus Romanus*, nam *agripetae*, quorum *noverca Italia*, hic nullo in numero habentur), *te socii, te Latini intuebuntur*.

excessit e vita] L. β *exc. a v.* Tres codd. penes Goerenz. *exc. de v.*, ut item duo codd. III. *fin.* 18, 60. *de vita excedere*. Sed cf. *off.* I. 43, 5. (143.) Bern. *exisset de v.* Cf. infra 4, 8. *De vita decesserunt* dici

ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur po-
4 tius, quam ad inferos pervenisse. Neque enim assen- 13
p.98. tior his, qui haec nuper disserere coeperunt, cum corpori-
a. bus [simul] animos interire, atque omnia morte deleri. Plus
2 apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum ma-
iorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt (quod

---

pro Rab. perd. r. c. 11. pr. observat Goerenzius. Africanus quum pridie mortis suae a M. Fulvio pro rostris conviciis esset proscissus: (ut scribit Orosius *histor.* lib. V. c. 8.) *de salute sua desperans, animo depresso de periculo salutis in senatu contestatus est, quod sibi pro patria laboranti ab improbis et ingratis civibus denunciari cognovisset.* Nimirum occlamarant *tollendum tyrannum* teste Plutarcho ἀποφθ. στρατ. p. 201. F n. XXIII.

dignitatis gr.] ✕ L. α, Vim. ed. vet. s. l. *gradu dignitatis*, ut suspectus fiat Genitivus, quum satis e superioribus intelligatur. Neque semper additur, e. g. in *Phil.* VI. 7, 18. *quis est civis, praesertim hoc gradu, quo me vos esse voluistis, tam inimicus dignitatis suae.* II. *off.* 18, 62. *altiorem gradum ascendere*, np. fortunae et dignitatis. Ibid. III. c. 26. f. idem Genitivus excluditur a cod. Erlangensi, in quo legitur: *tenere consularis gradum.*

ad superos v.] L. β, Ven. 474. cum multis aliis < Bern. D. 106. Erf. L. α, bRl. γ, δ, ε, ed. vet. s. l. *deos:* quam adiectionem Moserus l. c. p. 975. repudiat, ne referatur item ad seqq. *quam ad inferos*, ut ap. Liv. XXXI. c. 30. et 31. cuius ambiguitatis evitandae causa Cic. in *top.* 23, 90. *superis diis* opposuerit *manes* et *homines.*

C. 4. *his*] Sic Bern. D. 106. L. β, quod aptius quam volg. *iis* ad seqq. *qui haec* (L. α, β *hoc*) *nuper* > Ciz. A. *qui nuper.* Sed seqq. pendent a superiore v. *assentior.* — D. 106. Ven. 474. *simul animas* ✕ L. β *animas simul*, ut item unus Aldi *animos simul.* Haud dubie haec part. insiticia. Cf. *Tusc.* I. 9, 18. — Vnus Aldi < *omnia*, h. e. *omnem sensum* (cf. infra §. 6. s.), ut seq. verbum pertineat ad *animos:* ✕ Bern. L. α † *morte omnia.*

§. 2. ✕ L. α *auctoritas valet antiquorum.* — D. 106. *iura tradiderunt* †. Cf. *Tusc.* I. 12, 27. Cic. IV. *de re p.* 8. ap. Nonium v. *sanctitudo* p. 174. ubi e nostra coniectura a Mosero p. 411. repetita omnino legendum: *Eosdem terminos hominum curae atque vitae significat* (pro *sic*) *pontificio iure sanctitudo sepulturae*, h. e., ut hominum curae, ita ne vitae quidem ullos esse terminos. His et seqq. adhibeas Bardilii commentat. *de origine doctrinae de immortalitate et animarum migratione* in Berolin. libro menstruo (*Berlinische Monatschrift*) Febr. 1792.

non fecissent [profecto], si nihil ad eos pertinere arbitrarentur); vel eorum, qui in hac terra fuerunt magnamque Graeciam, quae nunc deleta 'st, tunc florebat, institutis et praeceptis suis erudiverunt; vel eius, qui Apollinis oraculo sapientissumus [est iudicatus]: qui non tum hoc tum illud, ut in plerisque,

---

non fecissent profecto] >< Bern. *non profecto f.* Melius certe tres Aldi: *profecto non f.* Tum Bern. < *pertinere*, quod tamen superscriptum. Ciz. A. a 1. manu *pervenire.* Licet in finita oratione praecise dici possit: *hoc nihil ad me*, atque ex Goerenzii observatione ad I. *leg.* 4, 15. extr. I. *Acad.* 4, 15. extr. etiam Infinitivi omissio in similibus locutionibus Ciceroni placuerit: hoc tamen l. verbum retinendum duxi. V. Ochsner. ad h. l. in Oliveti *eclogg. Cic.* c. X. p. 229. et ibid. p. 207. ad *Cat. mai.* c. 7. §. 24. extr. c. 23. pr. et ibid. p. 224. ad *Tusc.* I. c. 38. pr. comp. eiusd. l. c. 14. pr.

arbitrarentur] Ed. vet. s. l. *arbitrentur* †. Temporum in apodosi et protasi conditionali hic et in gemino loco *Tusc.* I. 12, 27. ratio eadem, quae *de sen.* 23, 82. pr. *pro Arch.* 7, 16. ubi v. Weiske et Ochsnerus l. l. pp. 111. 229. — De *magna Graecia* v. Cic. *de or.* III. c. 34. f. Plin. *H. N.* III. 5. Mazocchi *commentar. in tabull. Heracleenss.* p. 9. ss.

nunc] Erf. < volgo: *quidem.* Cf. 3, 8. pr. — Bern. et ed. vet. s. l. *tunc florebat.* Quod h. l. *nunc* praepositum maiorem habet vim, ea non satis idonea causa visa est, cur *tunc* in aliis quoque libris repertum posthaberemus volgato *tum*, cum respondeat opposito *nunc*, ut c. 11. fin. *Phil.* VII. 5, 14. Atque etiam II. *de off.* 24, 5. (84.) malim cum quibusdam libris *nunc victor*, *tunc* (quod in plerisque corruptum est in *nunc*) *quidem victus*, quam *tum quidem.* Nam *tunc* plerumque habet vim oppositionis; poniturque, ubi sola et certa temporis singularis cuiusdam monstratio obtinet; *tum* non habet istam vim oppositionis et indicat tempus aliquod latius patens. V., sis, quos laudat Kraftius ad *Mureti epistolas* p. 255.

erudiverunt] Sic Erf. L. β pro volg. *erudierunt.* Eadem varietas in l. I. *de off.* c. 44. pr. — >< L. β *oraculo Apollinis sap. e. i.* >< Bern. D. 106. *iudicatus est;* D. 119 a. *est appellatus.* Interpolationes e c. 2. §. 5. 12. repetitae. Ad vv. *qui . . sapientissumus* subaudies *fuit* v. *habendus est.* Ceteroqui usitate sic dici *sapientissumum iudicatum* docuit Goerenz. ad I. *Acad.* 4, 16. p. 26.

in plerisque] Sic Erf. D. 106. L. β (in quo cod. interpres superscripsit *fit*). Atque hanc quidem lectionem, in qua acquievisset Wyttenbachius in *comment. de vett. philoss. sentt. de statu animm. post mortem* p. XL. contra nuperos editores, qui praeferunt *ut plerique*, quod est item in Bern. L. α et Goerenzii libris, tuetur Moserus l. l. p. 976. quia *tum hoc tum illud dicere* utique *in plerisque* erat Socraticum et proprium Academiae ab illo profectae. Eodem modo statuerat Hildebrandus in huius dia-

sed idem semper, animos hominum [esse] divinos, hisque, quom e corpore excessissent, reditum in caelum patere, optumoque et iustissumo cuique expeditissumum.

3 Quod item Scipioni videbatur: qui quidem, quasi praesagi- 14
ret, perpaucis ante mortem diebus, quom et Philus et Manilius adessent et ali plures, tuque etiam, Scaevola, mecum venisses, triduum disseruit de re publica: cuius dispu-

---

logi versione Lipsiae ap. Suicertum edita. Cf. XIII. *ad Att.* 25, 3. *O Academiam volaticam et sui similem, modo huc, modo illuc!* — L. *α ut plerique dicebat*, quod v. post *sed idem* volgo additum ab eodem libro ibi cum Bern. et Erf. omissum, in L. *β* superscriptum, ab aliis alio loco insertum suspectum iam fuit Mosero et Goerenzio. Apte Ochsnerus l. l. comparat *N. D.* I. 18, 47. ad f. Additur tamen *ait* l. I. *de divin.* c. 30. pr., si quidem genuinum.

hominum esse d.] × Erf. *esse hom. d.* Infinitivus insiticius videtur, ut 14, 6. itemque II. *or.* 89, 364. *Quid enim poterit dicere* (× Erlang. b. *dicere poterit*)? *consularem se* (Erl. b. < *esse*) *hominem et censorium.*

hisque] e Bern. et ed. vet. s. l. pro volg. *iisque.* Cf. *somn. Scip.* c. 3. (VI. *de re p.* 15.) *homines hac lege sunt generati — hisque animus datus est* etc.

e corpore] Bern. Erf. L. *α*, *β ex* (> D. 106.) *corp.*, ut perperam VI. *de re p.* 14. (*somn.* c. 3.) in edd. est *ex corporum vinculis:* ubi Moserus credit *ex* respicere ad locum, unde aliquid proficiscatur, *e* ad distantiae spatium: quae distinctio subtilior, quam verior.

in caelum] Ven. 474. *ad c.* Ed. vet. s. l. *in celis.* — Erf. *optimo* < *que.* Cf. 3, 3. — D. 106. *expeditissimum* (>) *iter*, quod voc. in L. *β* versui superscriptum. De sententia cf. *Tusc.* I. 30, 72. 31, 75.

§. 3. *Quod et eidem* ed. s. l.; ceteri libri nostri *quod idem*, q. d. hanc ipsam neque aliam fuisse Scipionis sententiam. Sed *item* tuetur Goerenz. comp. I. *or.* 39, 177. pr. III. *off.* 3, 15. ut sententia haec sit, illorum antiquorum auctoritatem apud Scipionem quoque pariter atque apud Laelium valuisse.

qui quidem] Haec part. pronomini subiecta ex multis, quae afferri possint, argumentis praecipuum quoddam exempli causa seligit. Bern. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. Ven. 474. *quique idem.* Eadem varietas III. *de off.* c. 3. ad fin. — Ed. vet. s. l. *pro paucis ante* > *suam.* — Bern. *cum phylus et* (cum L. *α*) *Manlius*, bRl. *γ Mallius*, *ε Malius.* — Erf. *adesset.* — L. *α aliique.*

trid. disseruit] × Ven. 474. *disseruit triduum* × ed. vet. s. l. *trid. de re publica disseruit:* quod verbum a scriptore omissum equidem minus mirarer, comp. l. *de fato* c. 1. extr., quam hanc librariorum in

tationis [fuit] extremum fere de immortalitate animorum. quae se in quiete [per visum] ex Africano audisse dicebat.
4 Id si ita 'st, ut optumi cuiusque animus [in morte facillume] evolet tamquam e custodia vinclisque corporis: cui censemus cursum ad deos faciliorem [fuisse], quam Scipio-
5 ni? Quocirca maerere hoc eius eventu vereor ne invidi

---

eo transponendo petulantiam atque insolentiam. Compensatur adiectis vv. *cuius disputationis* etc., quae ipsa nescio an supplementum istud suppeditarint.

fuit extremum] × D. 106. *extr. fuit* × Vim. *extr. de immort. f u i t.* — D. 119 a. Ox. η < *fere.* Ang. Maius in annot. ultima: „post somnium narratum statim fere dialogum absolutum fuisse arbitror paucis verbis adiectis": np., ut nos quidem auguramur, ad eius veritatem confirmandam adhibito Ennii epigrammate in Africanum, cui caeli porta patuerit item ut Herculi, *qui ob virtutem clarissumus et quasi Africanus inter deos habeatur:* quae servarunt Seneca *epist.* 108. et Lactantius *instt.* I. 18. et ib. c. 9. Vide in A. Maii *praefatione* testimonia 29. 30. et librorum *de re p.* incertorum fragm. antepaenult., quod Nobbius Ang. Maio auctore in l. III. c. 28. transtulit.

per visum] Tres Aldi: (< unus: *ex*) *visu*; unus et Ciz. C. *visa*; Ox. *x perviso*; E, U, η et quinque Aldi: *viso* × D. 119 a. *ex Afr. v i s o.* < Locupletior supplementis Goth. 48. *p e r v i s i o n e m in quiete i n v i s i o n e.* — D. 106. L. *a ab Africano.* — Goth. 48. *audisse d i s s e r e b a t* × Bern. *d i c e b a t audisse.* Verbum dicendi per synesin ex antecedd. potest intellegi. Solet tamen hoc verbum non modo adhiberi, verum etiam iterari in re mira, cuius fidem is, qui refert, volt esse penes auctorem.

§. 4. × Bern. *i n m o r t e evolet f a c i l l i m e* × Ciz. C. *f a c i l l. i n m o r t e evolet* × Vim. *evolet i n m o r t e f a c i l l i m e*, cuius e seq. comparativo suppleti voc. vis quadam tenus inest in verbo *evolandi.*

e] L. β α. Pro volg. *vinculisque* contractiorem formam exhibent Bern. Ven. 474. et alius liber Goerenzii p. 298. probatam eidem V. D. *Tusc.* I. 31, 75. 49, 118. VI. *de re publ.* 14. (*somn. Scip.* 3.) Adde *or. pro Scauro* II. 4. *off.* III. 18, 73.

faciliorem f u i s s e] × D. 106. *f u i s s e faciliorem.* Infinitivus verbi substantivi, de cuius ellipsi cf. in primis infra 7, 9. f. c. 10, 8., ad Accusativos omittitur etiam *de off.* III. c. 9. f. 15, 63. f. ib. 62. *alios bonos, alios sapientis existumant.* Cf. c. 5. f. Ibid. c. 2. f. cod. Erlang. omittit *esse.* De Indicativi prima persona in interrogatione cf. obs. ad *or. pro Scauro* 43.

§. 5. *eventu*] Ablativum et omnes nostri codd. firmant et Rogerii quattuorque Barberiniani teste Garatonio ad *or. in Vatin.* c. 13. p. 353. In aliis quibusdam est Accusativus.

6 magis, quam amici sit. Sin autem illa veriora, ut idem interitus sit animorum et corporum nec ullus sensus maneat:
7 ut nihil boni [est] in morte, sic certe nihil mali. Sensu enim amisso fit idem, quasi natus non esset omnino: quem tamen natum et nos gaudemus et haec civitas, dum erit,
8 laetabitur. Quam ob rem cum illo quidem [ut supra dixi]
b. actum optume [est]; mecum incommodius: quem fuerat
9 aequius, ut prius introieram, sic prius exire [de vita]. Sed tamen recordatione [nostrae amicitiae] sic fruor, ut beate

---

§. 6. *illa veriora*] D. 106. L. α, ed. vet. s. l. Ven. 474. *illa vereor* < Erf. *haut illa vereor.* Bern. *sin aut illa vereor ut* superscripto *haut.* L. β *Sin haut illa vereor ut n idem i. s.* ✕ ed. vet. s. l. *sit interitus.* De usu part. *ut*, adiungentis ea, quibus praecedens substantivum aut adverbium *ita*, *sic* dilatando explicetur, v. Ochsner. ad Oliveti *eclogg. Cic.* c. 4. de l. *Tusc.* IV. 6. *Est Zenonis haec definitio, ut . . . sit.* Brevius et obscurius nostram sententiam commemoraverat Gernh., quam ut nos amice concordare intellegeret censor Halensis a. 1826. m. Aug. n. 196. p. 742.

boni est] Erf. *bonum est.* Bern. Ox. o *boni sit* ✕ D. 119 a. *b. in morte est*, quod v. alii item paenultimo loco ante seq. *mali* inserunt. In eiusmodi antithetis reticetur. Cum sententia cf. *ad fam.* V. *ep.* 16, 4. *Axiochum* c. 16.

§. 7. *enim*] Erf. *igitur;* Bern. *autem* sollenni permutatione compendiorum. — L. α *fit homo idem.* Deinde volg. *esse* (> bRl. γ) *natum et n. g.* ✕ L. β *gaudemus nos.*

§. 8. Ed. vet. s. l. *ut predixi.* Emblema ludi magistri, quale illud 2, 7. pr. 12. — ✕ D. 106. *actum est optime.* Cf. 3, 5. pr.

mecum] < *autem* L. α, ed. vet. s. l. item Ven. 474. quae deinde *quem fuit;* L. α *cum fuerat.* De usu hoc Plusquamperf. Indicativi v. Seyfert's *auf Geschichte und Kritik gegründete lat. Sprachlehre* §. 2539. Ed. veteris s. l. compendia legi possunt vel *qui quidem*, vel *qui*, *quam* (cum vi exclamandi fere i. q. *quantum* v. *quantopere*) *fuerat aeq.* eademque cum Bern. *exirem de vita.* D. 106. *introieram in vitam* cum ed. vet. s. l. et deinceps ✕ *prius sic de vita exire.* Interpretis istud supplementum, *in vitam*, quod in multis libris non comparet, secum trahit eiusdem farinae alterum, quod concinnitati officere videatur. His detractis elegantius in tropum mutabitur metaphora, quam unde ducta sit aperit Cic. I. *fin.* 15, 49. *aequo animo e vita, quom ea non placeat, tamquam e theatro, exeamus.* Imagine paulo alia eaque Aristotelica utitur Horatius *S.* I. 1, 118. s. De Scipionis et Laelii aetate v. Ellendtii *histor. eloquent. Rom.* editioni *Bruti* praemissa p. LIII.

§. 9. *recordatione nostrae amicitiae*] ✕ Ciz. b. *nostrae am. re-*

vixisse videar, quia cum Scipione vixerim, quocum [mihi] coniuncta cura de publica re et de privata, quocum et domus et militia communis, et id, in quo [est] omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. Itaque non tam ista [me] sapientiae [quam modo Fannius commemoravit] fama delectat, falsa praesertim, quam quod amicitiae nostrae memoriam spero sempiternam fore: idque eo magis cordi, quod ex omnibus

---

cord. × Bern. *rec.* *amicitiae nostrae.* Supplementum hoc ductum e seqq. Ibi L. *β* *viderer* et pro *quia* bRl. *γ* *qui*, ut voluerat Graevius.

quocum] L. *α*, ed. vet. s. l. *cum quo*, itemque post. Cf. ad 1, 6. × Ciz. A. C. *quocum coniuncta mihi.* In volgato vv. ordine *quocum mihi coniuncta* societatis notio efferri ad maiorem quandam aequabilitatem videbatur Gernhardo. Nobis Dativus suspectus.

de publica re] Sic Bern. L. *α*, *β*. Ex male intellectis literis *d. p. r.* Vimar. effinxit *de Populo Romano.* × Volgo: *de re publica et de* (*de* > L. *α*.) *p. fuit.* Continuata eadem constructione, qua *vixerim* pendet a *quia*, Erf. Bern. L. *β*. *fuerit* > Vimar. Tum L. *α* < *et* (> Ven. 474.) *domus* (ead. cum bRl. *γ*, *δ*, *ε*, Erf. D. 106. et ed. vet. s. l. > *fuit*) *et.* Cf. 27, 9.

vis] Bern. *ius*, ut regimen medium interpositum sit Genitivis; sed inepte. ∼ D. 119 a. *amicitiae vis* × D. 106. *omnis vis est* < L. *β* *est et omnis vis.* Haec est formula definitionem proponendi. Sed verbum substantivum, quod in relativo membro, tamquam parenthesi, non necessario addendum fuit, ipsa transpositione suspectum fit. Cf. 21, 10. *off.* I. 20, 67. pr.

§. 10. *me*] L. *β* *meae.* L. *α* † *me ista sapientiae fama, quam modo F. commemoravit.* Quid opus his verbis? non magis, quam supplemento illo c. 2, 7. pr. Pronomen *ista* per se respicit ad superiora 2, 10. × Vim. *me tam ista:* quo etiam suspectius fit pron. personale, cuius Accusativus ad affectuum verba solet omitti item ut Dativus statim post ad *cordi* (np. *est*) in L. *α* et Goth. 117., alibi ad v. *placet* aliaque huiusmodi, perspicua quidem sententia. Hic modeste supprimeretur. — Ed. vet. s. l. < *falsa.*

fore] > L. *β*. Cf. 10. et *Catil.* III. 11, 26. *eandemque diem* (h. e. diuturni temporis seriem) *intellego, quam spero aeternam fore, et ad salutem urbis et ad memoriam consulatus mei propagatam:* quem integerrumum locum nollem a VV. DD. conclamatum.

eo magis] bRl. *γ* *mihi est* < L. *α* *eo magis est;* D. 106. *eo magis mihi* × Erf. L. *β* *eo mihi magis.* < *est* bRl. *ε* × bRl. *δ*, Bern. *eo magis est mihi* × Vim. *eo magis mihi cordi est* × D. 119 a. *mihi eo m. cordi est* × Volgo: *mihi* (> Goth. 117.) *eo m. est c.* Goerenz.

saeculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum: quo in genere sperare videor Scipionis et Laelî amicitiam notam posteritati fore.

11 Fannius. Istud quidem, Laeli, ita necesse. Sed quoniam amicitiae mentionem fecisti et sumus otiosi: pergratum mihi feceris (spero, item Scaevolae), si, quemadmodum soles de ceteris rebus, quom ex te quaeruntur, sic de amicitia disputaris quid sentias, qualem existumes, quae praecepta des. 16

12 Scaevola. Mihi vero [pergratum]; atque id ipsum

(cuius cod. quidam < *eo*) observat, non solere ap. Cic. alibi *id* vel *hoc* cum *eo* iungi, sed alterutrum poni ad Comparativos *magis* vel *minus*, praeterquam in I. *de re p.* 10. *Atque hoc eo magis est in Romulo ammirandum*, licet dicatur *off.* III. 2, 8. *quod eo magis miror.* Adde ib. II. 19, 5. (65.) *idque eo indignius*, et *or.* I. 3, 12. pr. *Pro Archia* 6, 13. *Atque hoc adeo mihi concedendum est magis*, ubi Lamb. *eo*, malim ex aliqq. codd. *ideo.* Hic *idque eo magis cordi* arcte cohaeret cum antecedd. *amicitiae nostrae memoriam spero* etc. Sin malueris cum Goer. comparandi casum *eo* excludere: Comparativus *magis* referetur ad antecedd. *non tam — delectat*, ut *pro Scauro* §. 11. *etiam plus* repetitio est vocularum *magis etiam* in §. 10.

saeculis] Bern. *seclis* — *quatuor* < *ipsi* ed. vet. s. l. Scripsi autem non *quattuor*, sed *quatuor* secutus orthographiam a Ramshornio demonstratam in Iahnii annall. philol. vol. III. (a. 1827. vol. I.) fasc. IV. p. 97. s. Plutarch. *περὶ πολυφιλίας* c. 2. p. 93. E. *κατὰ ζεῦγος φιλίας λέγονται Θησεὺς καὶ Πειρίθους, Ἀχιλλεὺς καὶ Πάτροκλος, Ὀρέστης καὶ Πυλάδης* (v. h. dialog. 7, 9), *Φιντίας καὶ Δάμων* (v. III. *off.* 10, 45.), *Ἐπαμινώνδας καὶ Πελοπίδας.* Cf. Luciani *Toxaris* c. 10.

sperare videor] i. q. modo *spero:* nisi forte leg. *sperare audeo.* — × Ven. 474. * *Scipionis amicitiam et Laelii.* — L. β *posteritate* †.

§. 11. *Istuc* Erf. itemque Bern., qui in sqq. *ita* habet versui superscriptum. Contra l. II. *de or.* c. 9. pr. in vv. *ut ita ista esse concedam* cod. Erlang. < *ista.* Tum ed. vet. s. l. *est necesse* × volgo: *necesse* (Vim. <) *est.*

de ceteris] L. α < *rebus* et cum Bern. D. 106. Erf. ed. vet. s. l. *quae* pro *quom.* Virgulam volgo ante haec vv. interpositam sustuli, ut subaudiatur *disputare quid sentias* e seqq. ubi L. α *disputaveris*, ed. vet. s. l. *disputamus.* Cf. 7, 11. *N. D.* I. 7, 16. *de quo libro, velim scire, Balbe, quid sentias.* Eodem modo interpunctio emendata ab Orellio est *de or.* II. 57, 233. pr.

§. 12. *M. vero pergratum erit* volgo ed. > L. β *Mihi* (< L. α

quom tecum agere conarer, Fannius antevortit. Quam ob rem utrique nostrum gratum admodum feceris.

5 Laelius, Ego vero non gravarer, si mihi ipse confide- 17
rem: nam et praeclara res est et sumus, ut dixit Fannius,
2 otiosi. Sed quis ego [sum]? aut quae in me facultas?
Doctorum ista consuetudo, eaque Graecorum, ut [iis] ponatur, de quo disputent quamvis subito. Magnum opus [est,
3 egetque exercitatione non parva]! Quam ob rem, quae disputari [de amicitia] possunt, ab eis censeo petatis, qui ista profitentur; ego vos hortari tantum possum, ut amicitiam p.99.
4 omnibus rebus humanis anteponatis: nihil a.

---

quidem, bRl. γ, δ, Ven. 474. *vero* < ed. vet. s. l. *id*) *erit gratum*. Bern. *Mihi vero gratum* < bRl. *s erit*. Subaudi potius *feceris*. Mihi etiam ipsum adiectivum de interpolatione suspectum. Nam responsio *Mihi vero* ex antecedd. supplenda, ut I. *de legg.* c. 3. pr. Alia res est, ubi nihil eiusmodi praecessit, quo constructio redintegrari possit, ut I. *de or.* c. 47. pr.

Fannius] L. β *Ennius*, quae nominum permutatio firmat emendationem nostram in *l.* III. *off.* 11, 47. pr. Antiqua orthographia *antevortit* debetur Erfurtensi. — Ed. vet. s. l. *admodum* × *gratum*.

C. 5. bRl. γ *Ego quidem* — D. 106. *non graviter*. — Ed. vet. s. l. *res est* > *visa* × Ven. 474. *visa res est*.

§. 2. *quid ego sum?* bRl. γ × bRl. δ, Ciz. C. Goth. 48. *quis sum ego?* Propter hanc inconstantiam carere otioso verbo malim, quum sic praecise interrogari soleat. Similiter pro volg. *in me est* × Bern. L. α, β, D. 106. Erf. *est in me*, praemisso verbo, quod ita valet i. q. *adest*. Sed potior vis h. l. in pronomine, quum *sibi* Laelius opponat *doctos*, h. e. σοφιστάς vel *in scholis philosophos*. Et hic ed. vet. s. l. et deinceps (ubi legebatur *doctorum est*) D. 106. < *est*.

eaque] Ven. 474. † *aeque*. — D. 106. *ut ponatur his*. L. β, Ven. 474. *ut iis* (ed. vet. s. l. *eis*) *praeponatur*, quod corruptum e lectione bRl. γ *ut his proponatur*: Bern. *ut his anteponat* > bRl. δ. Simpliciter absque Dativo personae *de or.* II. 27, 118. *Tusc.* I. 4, 7. f. *de fato* 2, 4. *poni* dicitur θέσις, h. e. ζήτημα, quaestio generalis. V. Cic. in *orat.* 14, 46. — L. α *eget* < *que*. Ox. η *disputatione*.

§. 3. × L. α † *de amicitia disputari*. Otiosa adiectione omissa fortior etiam oppositio erit in vv. *disputari* et *hortari*. Cf. 1, 13. c. 10. pr. — Bern. ed. vet. s. l. *ab his*. — L. α *ut* > *petatis*. — Eyb: *ego* > *vero* — L. α *possum* × *tantum* < *modo* D. 106.

§. 4. Bern. *nihil est* < volgo: *enim*, ad exemplum *or. pro Lig.* 12,

enim tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel secun-
5 das vel adversas. Sed hoc primum sentio, nisi in bonis 18
amicitiam esse non posse. Neque id ad vivum re-
seco, ut illi, qui haec subtilius [disserunt], fortasse vere,
6 sed ad communem utilitatem parum: negant enim quem-
quam bonum virum [esse], nisi sapientem. — Sit ita sane.
Sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc [mortalis]

---

37. f. I. *de legg.* 10, 29. pr. *Tusc.* I. 6, 11. *quis est enim tam excors* —? × L. *α* *N.* *enim est t. aptum naturae.* — L. *β*, Eyb: *tamque conveniens.* Sic item ed. vet. s. l. eademque *ad res secundas* < L. *α* *ad res vel iocundas* perpetua quadam horum vocabb. permutatione. > Excpt. L. (h. e. *Excerpta de libris Tullii de amicitia* in cod. Mspto bibl. Paulinae nostrae n. 795. ubi locum octavum tenent) *Nihil tam naturae aptum ad res secundas.* Ad v. *est* expungendum pronus iam erat Gernh.; et Goerenzius l. l. p. 299. comparat *Brut.* 56, 204. *Nihil enim tam dissimile, quam* etc. Adde infra h. dial. 14, 2. pr. 3. 5. et obs. ad I. *off.* 20, 68. t. I. p. 158.

§. 5. *primum sentio*] Eyb: *in primis censeo.* In prox. D. < *in.* Eyb: *inter bonos* ~ × ed. vet. s. l. *amicitiam nisi in bonis*, ut 18, 6. De sententia ipsa v. annot. ad III. *off.* 10, 44. f.

Neque] < *enim* L. *α*. Sed *neque* ponitur pro *nec vero*, ut 6, 9. Cf. Ochsner. ad *Tusc.* I. 24, 58. f. in *Cic. eclogg.* p. 49. — Ed. vet. s. l. *neque id ad unum reseco.* L. *β* *nec id ad unum refero* †.

illi] > Bern. et cum ed. vet. s. l. *qui hoc* — L. *α* *subtilius dixerunt:* cui verbo unus Aldi liber *disseruerunt*, tres alii eiusdem substituunt *inquirunt.* Cf. 2, 5. — Pro *vere* ed. vet. s. l. *verum.*

communem] Erf. a 1. m. *omnem.* In seqq. D. 106. < *utilitatem.* Quid igitur, si, quum statim ante in L. *β* pro *subtilius* m. 1. peccarit *plenius*, ex huius stribliginis vestigiis nunc eruatur *opinionem?* Cf. II. *off.* 10, 35. Praeter necessitatem non tamen ausim mutare. Nam *ad communem utilitatem* i. e. q. ad usum vitae communis praeceptis officiorum conformandum. Cf. *off.* I. 3, 7.

§. 6. *bonum virum esse*] Sic Bern. Cf. 18, 7. pr. Volgo: *virum bonum esse* × Erf. L. *α* *esse virum bonum* × D. 106. L. *β* *virum esse bonum.* — D. 106. *sit* (< *ita*) *sane.*

eam] Bern. *etiam* †. Sententia haec est: *sapientiam interpretantur esse talem* vel *sic, ut talis sit.* — Erf. Bern. L. *α* *nemo* × *mortalis*, Ox. *v* *n. mortalium:* quae adiectiones debentur devotorum humilitati monachorum, quorum et auribus et animis inculcaretur *MEMENTO MORI.*

7 nemo ’st consecutus; nos autem ea, quae sunt in usu vitaque
communi, non ea, quae finguntur aut optantur, spectare
8 debemus. Numquam ego dicam C. Fabricium, M’. Curium,
Ti. Coruncanium, quos sapientis patres nostri indicabant,
9 ad istorum normam fuisse sapientis. Quare sibi habeant sa-
pientiae nomen et invidiosum, et obscurum; concedant, ut
10 boni [viri] fuerint. Ne id quidem facient: negabunt id,
nisi sapienti, posse concedi. Agamus igitur pingui [ut 19

---

§. 7. *nos autem* D. 106. < *ea*. Pro *spectare* Erf. L. β, Ven. 474. *sperare* †.

§. 8. Ed. s. l. et a. (< *Ti.*) *Coruncanium*. Bern. t. *Coruncarium*. D. 106. *C. Coruncanium*. L. β *Gayum Marcum Titum Fabricium Curum Cornicanum*. Laudatur III. *de re p.* c. 3. extr. *M’ Curius, quem nemo ferro potuit superare nec auro:* similiterque *Fabricius* in Claudiani *bello Get.* 130. ss.

patres nostri] Sic e cod. Goerenz. l. l. p. 299. comp. 11, 10. Volgo: *nostri maiores* × L. α *maiores* > *nostri* Vim. cum alio nescio quo cod. Goerenzii, cui *sapientes* compendiose scripti *saptes* videntur extrusisse *patres* (*pres*).

§. 9. *invidiosum*] bene Gernh. accepit activa potestate. Hotomannus obs. V. 19. p. 59. maluerat *invisum*, h. e. nondum visum, nisi per somnium et optatum, quale fingi quidem potest, sed non extat. Cf. modo ante §. 6.

concedant] Bern. Erf. L. α, ed. vet. s. l. < *que* volgo adiecta. Nam, quas affectus loquentis neglegit copulas, supplere solent librarii, ut 27, 12. 15, 9. et h. l. in Ox. E. *tamen*. L. β. *aliis concedant*, et cum L. α, Bern. Erf. *ut viri boni fuerint*. < D. 106. *concedant, quod boni viri hi fuerunt*. Volgo: *ut hi boni viri fuerint*. Wunderus in *praef.* ad *VV. LL.* p. CXXIII. testatur praeter pron. etiam voc. *viri* a libris nescio quibus omissum. Ven. 477. *concedant his boni v. fuerint*. Sic concessive Subiunctivus absque particula *ut* ponitur pro *bonos fuisse*. Sed nisi retinuerimus particulam; hic quidem constructio non satis perspicua foret propter eosdem modos, quorum alter ab altero pendeat.

§. 10. *Neque id q.* Ven. 474. tum recepimus ordinem vv.. quem pro volg. *pingui Minerva, ut aiunt* × exhibent Bern. Erf. L. β, ed. vet. s. l. Eyb et nescio qui codd. Goerenzii, qui V. D. l. l. p. 299. observat, apud Cic. vv. *ut aiunt* proverbialibus locutionibus interponi fere media, ut *Phil.* III. 11, 27. XV. *ad div. ep.* 15, 7. f. itemque *a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis* ib. I. *ep.* 6, 3. Cf. *off.* I. 31, 110. f. At L. α, Ox. η < *ut aiunt:* et sane tam facile his caruerim, quam IX. *ad fam. ep.* 18, 5. pr. quamquam III. *off.* c. 7. f. simili proverbio praemittitur *ut dicitur;* nec vero eidem *ad fam.* I. *ep.* 3, 4. l. XII. *ep.* 25. pr.

11 aiunt] Minerva. Qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequitas, liberalitas, nec sit in eis ulla cupiditas vel libido vel audacia, sintque magna constantia, ut hi fuerunt, modo quos nominavi; hos *viros bonos*, ut habiti sunt, sic appellandos putemus; quia sequantur, quantum homines possunt, Naturam, optumam bene vivendi
12 ducem. Sic enim perspicere videor, ita natos esse nos,

---

§. 11 ✕ Erf. *se ita.* — Eyb: *qui* > *ita vivunt*, ut ἐπαναφορά complectatur etiam pron. relativum. — Erf. L. β, bRl. γ, δ, ε, ed. vet. s. l. Ven. 474. *aequalitas*, L. α, Eyb: *aequabilitas;* ut II. *or.* 85, 345. Sed Goerenzius apte comparat *fin.* II. 18, 59. Contra Billerbeckium, qui *aequitatis* notionem in ipsa *liberalitate* inesse censuisset ac concinne non nisi paria paribus opponi, tuetur hanc vocem Moserus l. c. p. 982.

eis] Sic cum nostris libris omnibus Eyb pro volg. *illis*, et excepta Ven. 474. iidem libri omnes nec non Schwarzii Altf. cod. ἀσυνδέτως *ulla cupiditas, libido, audacia sitque.* Sola ed. vet. s. l. *vel audacia sicque.*

ut hi] L. β *ut hii;* volgo *ut ii;* ed. vet. s. l. *ut hi fuere.* — Ven. 474. *quos* ✕ *modo.* Hanc voculam Goerenzius p. 299. observat aucta vi sic in principio poni II. *de or.* 12, 53. ad f. — bRl. γ *viros, ut habiti sunt, bonos* ✕.

sic] ed. vet. s. l. < volgo: *etiam.* — Erf. *putamus.* Sed cf. 6, 3. Ven. 474. *esse* > *putemus.* — bRl. ε cum volg. *quia sequuntur;* Bern. *quia secuntur;* L. α *qui sequuntur*, bRl. γ, ed. vet. s. l. Ven. 474. *qui assequuntur;* bRl. δ *qui assecuntur;* Eyb: *qui assequantur.* D. 106. cum aliis plurumis: *quia sequantur:* quem Coniunctivum vel potius Optativum orationis obliquae proprium recte tuetur Goerenzius, quum ex illorum philosophorum, potissumum Stoicorum, sententia Laelius *Naturam optumam bene* (Ven. 474. *recte*) *vivendi ducem* laudarit et ad horum opinionem se accommodans verbo *sequantur*, tantum ut invidiam atque arrogantiam affirmandi vitaret, minuendi causa addiderit: *quantum homines possunt.*

§. 12. *Sic etiam* Erf. sed superscriptum *vel enim* — Volgo: *mihi* (> Ciz. C.) *perspicere videor* ✕ D. 106. *mihi videor perspicere*, ✕ Eyb: *perspicere videor mihi:* qui Dativus necessarius videbatur Gernhardo, quippe in explicanda sui animi sententia. Sed v. 4, 9. 8, 6. f. 9, 1. *de or.* II. 10, 40. f. *videor debere; ad div.* VI. *ep.* 2. pr. *off.* I. 1, 1. *ut videmur*, et Wyttenbach. ad Plutarch. *de adul. et amico* 66. F. *animadvv.* p. 512. ed. Ox. — D. 106. *ita nos natos esse* ✕ Ciz. C. *ita nos esse natos*, ut I. *legg.* 10, 28. *nos ad iustitiam esse natos.*

ut inter omnis esset societas quaedam, ma-
13 ior autem, ut quisque proxume accederet. Itaque cives po-
14 tiores, quam peregrini; propinqui, quam alieni: cum his b.
enim amicitiam Natura ipsa peperit. Sed ea non satis ha-
bet firmitatis. Namque hoc praestat amicitia propinqui-
tati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex
amicitia non potest: sublata enim benevolentia amicitiae
15 nomen tollitur, propinquitatis manet. Quanta autem vis 20
amicitiae sit, ex hoc intellegi [maxume] potest: quod
ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa
Natura, ita contracta res est et deducta in angustum,
ut omnis caritas aut inter duo aut inter paucos iungeretur.

---

inter omnis] < *homines* Erf. D. 106. L. *α*. Vtrumque vocabulum in simili sententia saepe permutatur, ut, utrum praeferendum sit, ambigas, e. g. *de off.* III. 17, 69. Comp. ib. 12, 53. pr. magis h. l. placebunt *homines*, quam *omnes*.

esset s. q.] × Eyb: *societas q. sit* †. — L. *α propius* — Eyb: *accedit* †. Ed. vet. s. l. *adheret vel* > *accederet*.

§. 13. *potiores*] < *sunt* Ven. 474. Tum Bern. *propinquique*. Ed. vet. s. l. et al. *et propinqui*. Copulam neque codd. D. 106. Erf. L. *α*, *β*, bRl. *γ*, *δ*, *ε* probante Zumptio nec Eyb agnoscit. Nec vero copulari solent, quae ἐκ παραλλήλου sunt posita.

§. 14. *Natura ipsa*] Sic 8, 2. *de or.* II. 21, 89. 76, 307. f. c. 83. pr. *off.* I. 35, 126. × bRl. *γ ipsa* (> L. *β*) *natura*, ut §. seq. 7, 10. *N. D.* I. 16, 43. × Eyb: *natura ipsa peperit amicitiam: s. ea satis non.*

ex amicitia] < *autem* Ven. 474. — Bern. *tollitur* × *nomen*. — Ed. vet. s. l. *propinquitas*. Cf. Valer. Max. IV. c. 7. pr.

§. 15. × L. *β*, ed. vet. s. l. *maxime int. potest* × Eyb: *intelligi potest maxime*, quod duorum codd. suorum testimonio probat Goerenz. l. l. p. 300. compar. II. *leg.* 26, 66. et *off.* I. c. 2. pr. sed Superlativus ille tam otiosus, quam vagus est: nec huiusmodi augmentum habes in simili loco 7, 6. pr.

infinita] Ven. 474. *infinitate*. Tum × ed. vet. s. l. *humani generis*. Sic item D. 106. et Eyb, iidemque: *quam ipsa natura conciliavit*.

deducta] Sic L. *α* pro volg. *adducta*, h. e. propius propiusque attracta, ut homo amicitiae appetens in media societate generis humani tamquam in orbium, aliorum exterius, aliorum interius circumductorum, centro positus intellegatur. Sed cf. *N. D.* II. c. 65. in f. Eadem vv. confusa sunt II. *or.* 44, 184. f. × Eyb: *contracta res est in angustumque deducta*.

inter duo] Sic Gernh. Nostri libri cum volg. *inter duos*. Accusativ

6 Est enim amicitia nihil aliud, nisi divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensio; qua quidem haud scio an, excepta sapientia, nihil [quicquam] melius homini sit a dis immortalibus datum. Divitias alii praeponunt, bonam alii valitudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates.

---

formam *duo soles* habes ap. Cic. *de re p.* c. 10. c. 19. (ubi cf. Moseri annot. p. 59.) et II. 19. *duo filios.* Deinceps Eyb: *aut paucos* non iterata praepositione *. Cf. IV. *in Verr.* 1, 1: *nego ullam picturam neque in tabula neque textili fuisse*, ubi tamen alii *textilem:* aliterque de praepositionis in altero disiunctionis membro iterandae necessitate statuit Ed. Wunderus ad l. l. *de or.* 9, 36. in *praefat.* ad *VV. LL. librorum aliq. Cicer. ex cod. Erfurtensi enotatas* p. XVI. s. Aristot. *eth. ad Nicom.* IX. 10. *Οὐ γίγνονται γὰρ φίλοι πολλοὶ κατὰ τὴν ἑταιρικὴν φιλίαν· αἱ δὲ ὑμνούμεναι ἐν δυσὶ λέγονται.* Plutarch. *περὶ πολυφιλίας* p. 93. E. c. II. §. 5. pr.

C. 6. *Est enim*] Sic Eyb cum Vim. et nostris libris, nisi quod bRl. γ cum Ven. 474. et volg. *Est autem* idemque γ < *amicitia.* Vtriusque particulae compendia ubique confunduntur. Hic ex ipsa, quae praeponitur, amicitiae definitione efficitur, amicitiam inter paucos tantum iungi.

nisi divin. h. que] Sic L. β, ad quem prope accedens Goth. 48. *quam d. h. que* < Volgo: *nisi omnium div.* (× Vim. *divin. omnium*) *h. que* × D. 119 a. *humanarum divinarumque.* Ox. E. *div. ut humanarum*, quae lectio orta videtur ex *et.* Eadem et varietas et vv. inversio reperitur I. *off.* 43, 153. ut suspecta fiat copula in seiunctis et h. l. et I. *off.* 8, 26. *omnia iura, divina atque* (ubi item alii *et*) *humana.* V. annot. ad *or. pro Scauro* §. 35. p. 195 a. *Omnium* est superflua harum rerum interpretatio, ad cuius vim augendam accessit in volgg. libris etiam *summa* (> Bern. Erf. L. α, β, ed. vet. s. l. Eyb, except. L.) ante voc. *consensio* e 4, 9. extr. ubi ea adiectio utique necessaria fuit. — × Bern. *qua haud quidem* †.

nihil quicquam] Ci. Ernesti > *nihil* bRl. δ, D. 106. et ap. Gernh. XIII libri praeter Erf. in quo superscriptum *vel quicquid;* L. β *quid;* cum aliis plerisque Bern. L. α, bRl. γ, ε, ed. vet. s. l. Ven. 474. Eyb: *quicquam.* V. Excursus II.

melius h. sit] bRl. δ *m. hominibus s.* × bRl. ε, D. 106. *homini* (Goth. 48. *hominibus*) *melius sit;* L. β *melius sit homini*, bRl. γ, Eyb: *hominibus:* quem pluralem D. 119 a. post voc. *immortalibus* collocat. Fortasse cuipiam videatur interpretatio ascripta ibi ad lectionem antiquiorem, quam praebet Bern., *mortalibus*, *δειλοῖσι βροτοῖσι.* Cf. *Virg. Georg.* I. 237. Sed receptam lectionem tueare comp. 13, 5. *off.* III. 10, 44. pr.

praeponunt] Erf. *proponunt.* — D. 106. *non nulli* (L. α *alii*) *etiam vol.* — bRl. δ, ε *bestiarum* × Bern. *beluarum quidem* (bRl. ε <) *hoc*

Beluarum hoc quidem extremum; illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris, quam
2 in Fortunae temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem; sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet nec sine vir-

---

extremum] substantive dici pro *summo bono* videbatur Gernhardo in *add.* p. 274. quae eadem Wetzelii in priore editione interpretatio displicuerat iam Gensslero in Seebodii bibl. crit. a. 820. vol. II. p. 829. s. „Varios enim hominum ordines designat Cicero, prout alii divitias, alii singula, quae deinceps leguntur, amicitiae praeponunt. Qui hoc *extremum* (i. e. *voluptates*, quod verbum ultimo loco legitur) appetant in eoque sibi acquiescendum censeant, tanto magis vituperandos esse dicit, quo magis illud, quum tantum sit beluarum (scil. summum bonum), hominem suo nomine dignum dedeceat.“ bRl. γ, ed. vet. s. l. *est* > *extremum* × volgo: *extremum* < (L. α, β, bRl. δ, ε, D. 106. <) *est:* quod v. in Erf. superiori voci *beluarum* superscriptum repudiavimus iam in censura illa nunciis scholasticis Darmstad. adiuncta p. 77. Sic etiam in proxumis: *illa autem superiora* (< *sunt* ed. vet. s. l. Ven. 474.) *caduca* (< *sunt* L. α.); Eyb: *et caduca et incerta* > *sunt.*

in cons. nostris] Sic nostri libri × Ven. 474. Eyb cum volg. *in nostris cons.:* qua inconstantia pron., item ut §. 8., suspectum fieri potest. Nam in seqq. etiam *fortunae* < *nostrae* Schwarzii Altf. cod. et §. 3. *vitae* < *nostrae* Erf. Cf. *Tusc.* V. 9, 25. *Vitam regit Fortuna, non sapientia; — plus Fortunam —, quam consilium valere.* Hic tamen pronomine *nostris* carere non potuit pluralis *in consiliis*, qui, ut illud *Fortunae*, sic concinne opponitur *temeritati:* cui ipsa *Fortuna*, alia tamen potestate, opponitur in Pacuvii *Duloreste* ap. scriptor. *rhetor. ad Herenn.* II. 23, 36. Oppositionis autem nemo opinor h. l. desiderabit vim in chiasmo.

§. 2. *quidem illi* † Bern. × cet. *illi quidem* < *agunt* bRl. γ × Eyb: *illi quidem praeclare agunt* × bRl. ε pr. *illi faciunt* (quod v. in bRl. δ ab alia manu superscrpt.) *quidem.* — *Virtus amicitiam* (Bern. ed. vet. s. l. Ven. 474. < *et*) *gignit et continet*, h. e. in virtute inest amicitias expetendi colendique studium. Cf. 9, 3. Minus vera Hottingeri in *eclog.* p. 157. interpretatio *firmam et constantem reddit:* ut fere Billerb. quoque: „*continet*, np. *ne dissolvatur.*“

nec] Eyb: *quia* > *nec;* tum *ullo pacto esse potest* × *esse ullo potest pacto* Erf. × *potest ullo p. esse* unus cod. penes Goerenzium, qui V. D. l. l. p. 300., comp. V. *ad divv.* 17, 5. *nec praestare ullo pacto potest*, observat priore hic loco positum v. *esse* valere i. q. *locum habere.* Cf. etiam *off.* I. 2, 5. f. *esse certe nullo modo potest.*

3 tute amicitia esse ullo pacto potest. Iam *virtutem* ex con- 21
suetudine vitae sermonisque nostri interpretemur; nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur: virosque *bonos* eos, qui habentur, numeremus, Paulos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. His communis vita contenta [est]. Eos autem omittamus, qui omnino nusquam repe-
4 riuntur. Talis igitur inter viros **a m i c i t i a** tantas oppor-
5 **t u n i t a t e s h a b e t**, quantas vix queo dicere.

p. 100. a. Principio *qui potest esse vita vitalis* (ut ait Ennius), 22

---

§. 3. × bRl. γ *vitae n o s t r a e sermonisque* < *nostri* bRl. δ, ε. Deinde v. *docti* > in L. β, superscripta tamen. × Ven. 474. *nec m e t i a m u r eam, ut quidam i n d o c t i, v. magnificentia.* — D. 106. *viros* < *que.* Sed copula post negativam sententiam habet vim adversativam, ut *de off.* I. 7, 22. pr. — Ed. vet. s. l. *qui habeantur.* V. 5, 11.

Gallos] Nostri libri omnes *Caios* vel *Gaios*, ut 2, 11. De ceteris viris cf. *de or.* II. 37, 154. f. *pro Mur.* 31, 66. *pro Arch.* 7, 16. *de re publ.* III. 3. *quid P. Scipione, quid C. Laelio, quid L. Philo perfectius cogitari potest?* Ibid. c. 5. *L. Furius Philus* audit *quasi unicum exemplum antiquae probitatis et fidei:* ut reclamante Ciceronis sententia A. Maius ad III. c. 18. suspicatus sit Philum ap. Cic. contra iustitiam disserere (v. infra 7, 13.) propterea, quod paulo ante fuisset auctor violandi foederis Numantini, qua re nihil iniustius. Sed talem ignominiam animadversionemque censoriam ab optumo viro remotam voluit, quem pudenter oratione utentem aliena fecerit.

His] Ven. 474. *de* > *his.* — D. 106. *est* × *contenta.* — bRl. γ *eos* (< *autem*) *omittamus*, i. e. ab hoc sermone removeamus. — D. 106. *q. o. nunquam r.* Cf. 21, 14.

§. 4. *Talis e n i m amicitia* × *inter viros* L. β.

§. 5. *qui*] Sic Bern. D. 106. Erf. L. β, bRl. δ, ed. vet. s. l. Eyb, ut sit vel Ablativus pro *quomodo* (quod ipsum extat in bRl. δ a m. 2.) vel prisca Dativi forma pro hic volg. *cui.* V. annot. ad *or. pro Tullio* 54. ad f. bRl. ε *quis.* L. α, bRl. γ, Schwarzii Altf. cod. *quae* et mox cum Erf. *quae non*, ap. *vita:* ubi alii *qui non*, ut referatur ad Dat. ex volgata lectione *cui*, ap. *homini.* Vtramque illorum codd. lectionem probatam Zumptio recepimus.

vita vitalis] h. e. *suavis*, vel potius: *qui — vitalis?* d. pro: *nonne intolerabilis?* Cf. 23, 3. 27, 6. Extat Philemonis sententia: ἡμεῖς δ' ἀβίωτον ζῶμεν ἄνθρωποι βίον et βίος οὐ βίωτος ἀνθρώπῳ dicitur Platoni in *apol.* 28. Praeter Fischeri ibi annot. 4. v., sis, Hemsterhus. ad Aristoph. *Plut.* 970. et Valckenaër. ad Theocrit. *Adoniaz.* p. 215. C.

ut a i t Ennius] D. 106. *ut Ennius a i t* †: qua transpositione v. *ait*

quae nón in amici mútua benevoléntia
6 *conquiescat? Quid enim dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum?* Quî esset tantus fru-

---

paene suspectum fit. Apud Graecos certe in citandi formulis ellipsis verbi φησί sollennis est. V. Lamb. Bosii *ellipses* p. 376. (634. s.) 389. (659.) Sed non memini eiusmodi exemplum apud Latinos me legere. Nuper quidam VV. DD. Ennio nihil tribuerunt praeter vv. *vita vitalis.* Sed proh Apollinis et novem Musarum fidem! quid opus fuit propter haec vv. ex Elysio sanctos vatis citare Ennii Manes? Scilicet, ut poëtica vocabulorum cognatorum coniugatione sermonis Latini princeps ineptiret Cicero, ex Parnasso decerptum fronti praeponens flosculum! Sed tam parum poëticae orationis propria ista audacia, ut nulla excusatione opus esset. Rectius ergo hanc totam sententiam, *quae non — conquiescat*, Ennio tribuit Car. Ge. Iacobus ad Luciani *Tox.* in doctis *prolegg.* p. XXI. Locus extabat, si recte hariolor, in *Duloreste*, ex quo alios quos versus citat Nonius p. 90. ed. Merc. s. v. *Conciere*, cuius ego testimonio plus credo, quam Henr. Stieglitzii *de M. Pacuvii Duloreste* (Lips. 1826. 8.) p. 27. et 93. s. suscipioni, nullam hoc nomine fabulam Ennii inscriptam fuisse, sed illud a Nonio servatum fragmentum esse de Pacuvii fabula. At vero ex eadem fabula decerptus videtur ille, qui 17, 9. legitur senarius.

in] > L. *β amici benivolentia* < *mutua*, quae tamen vox superscripta. Id. cum ed. vet. s. l. *conquiescit.*

enim] *est* Bern. > ceteri libri ad similitudinem l. *fin.* II. 15, 50. *quid turpius, quam —?* < L. *a Quid dulcius, quid iocundius, q. h. cum quo* (sic *β* quoque pro *quicum*); Ven. 474. *quocum* (sic etiam bRl. *δ, ε*) *audeas sic omnia.* Bern. (< *sic*) *ac* pro *ut*, superscripta voc. *velut.* Particulam *enim* in quinque Manutii libris repertam tuetur Goerenz. l. l. p. 300. etiam suorum quorundam codd. MSS. auctoritate, observans alibi particulas *enim*, *autem*, *vero* interrogativo cum Comparativis adiici, ut 15, 10. II. *off.* 13, 55. f. Nos quoque retinuimus, metricas quamvis dissolutorum versuum rationes secuti. Senarii hi fuisse videntur:

> Principio „*quí vita ésse vitalís potest,*
> *Quae nón in amicí mútua benevoléntia*
> (*Secúra*) *conquiéscat? quíd enim dúlcius,*
> *Quam habére, quícum síc loqui, ut tecum, aúdeas:*“

quibus adiungimus alium latentem h. l. in voce *omnia*, ex interpolatione in l. II. *de fin.* 26, 85. pr. sic contrahendum:

> „*quicúm ioca seria, árcana occúlta, ómnia?*“

Cf. *off.* II. c. 12. pr. Ceterum eum, quem in contextu indicavimus senarium integrum, statim agnovit Exc. Reisigius, quum ei suspicionem plurium hic dissolutorum versuum indicarem.

ctus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aeque, ac tu ipse, gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo,
7 qui illas gravius etiam, quam tu, ferret. Denique ceterae res, quae expetuntur, opportunae sunt singulae rebus fere singulis: divitiae, ut utare; opes, ut colare; honores, ut laudere; voluptates, ut gaudeas; valitudo, ut dolore careas et muneribus fungare corporis; amicitia res plurumas continet; quoquo te verteris, praesto 'st; nullo loco excluditur;
8 numquam intempestiva, numquam molesta 'st. Itaque *non aqua, non igni* (ut aiunt) *pluribus locis utimur, quam ami-*

Qui] Sic Bern. D. 106. Erf. L. *α* pro volgato *quis*, quod tuetur L. *β* et Eyb. Interprete Hottingero erit i. q. *num ullus?* Eadem varietas II. *off.* 4, 15. pr. Pronominis *quis* adiective positi in Virg. *G.* I. 3. (ubi tamen Iahn. ed. *qui cultus?*) II. 178. 256. Liv. V. 40. sub f. Tacit. *ann.* I. 48. f. exempla collegit Ramshornius in Iahnii annal. philol. vol. III. (1827. vol. I.) fasc. V. p. 38. Quod ultimum citatur e Lucan. I. 534. extat ib. 334. Adde 681. Ed. vet. s. l. *quis tantus* >< *esset.* Si abforet adi. *tantus*, ut *off.* II. 4, 14. med.: *qui* posset h. l. pro Nominativo accipi; quamquam hoc Gernhardo in *addend.* ad p. 54. ita demum fieri posse videbatur, si aut nulla esset interrogatio aut substantivum *fructus* iuxta *qui*, nec interpositis aliquibus verbis, legeretur. Est vero Ablat. valetque i. q. *nullo pacto.* V. tamen *pro Quinct.* §. 49. *Mil.* 103. *Dei.* §. 15. *Lig.* 26.

ac] < *sicut* L. *α.* — *adversas* < *res* ed. vet. s. l. *vero* < Ven. 474. Eyb: *res.* L. *β* *adversa* mō (h. e. *modo*) . . . *illa* pro fem. *illas* > Eyb: *sine illo, qui gr.* Eiusdem sententiae auctor Eurip. *Ione* 730 — 733. cuius versum laudat Plutarch. *de amico et adul.* c. II. p. 49. F. c. XXVIII. p. 69. A. Idem c. XII. p. 56. A. *οὐκ οἶδ' ὅπως οἱ πολλοὶ τὰς μὲν ἐπὶ τοῖς ἀτυχήμασι παρηγορίας οὐχ ὑπομένουσιν, ἀλλὰ μᾶλλον ὑπὸ τῶν συνεπιθρηνούντων ἄγονται καὶ συνοδυρομένων.*

§. 7. *ceterae*] Ed. vet. s. l. *certe.* — bRl. *ε* *singulae rebus* >< *sunt fere singulis* >< Bern. bRl. *γ* *singulae fere rebus singulis* >< bRl. *δ*, D. 119 a. Ciz. C. *singulae singulis fere rebus.* Sic II. *or.* 22, 92. *cur aetates extulerint singulae singula prope genera dicendi.* Volgatam tamen structuram firmat haec *de or.* I. 2, 8. *vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores.* *Acad.* II. c. 18. pr.

ut colare] h. e. observere temporis causa. Cf. 8, 3. 15, 4. et III. *de re p.* c. 17. ad f. — Eyb: *voluptate ut gaudeas.* D. 106. *voluptates, ut gaudeamus;* deinde *ut* > *fungare.* — Bern. *res pulcherrimas* >< Ven. 474. *plurimas res* — Ed. vet. s. l. *quoque;* Eyb: *quocunque.* — L. *α* *te vertas.*

§. 8. *non igne* L. *β*, Eyb. < Ven. 474. *non aëre.* — Bern. D. 106.

9 *citia.* Neque ego [nunc] de volgari aut de mediocri, quae tamen ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta
10 loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam et secundas res splendidiores facit amicitia et adversas partiens
7 communicansque leviores. Quomque plurumas et maxumas 23
commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bonam spem praelucet in posterum nec de-
2 bilitari animos aut cadere patitur. Verum enim amicum

Erf. ed. vet. s. l. Eyb: *locis* × *pluribus;* L. *α locis p l u r i m i s.* V. Erasmi *adagia* p. 112. ed. Froben. p. 413. s. *chil.* II. *centur.* II. n. 75.

§. 9. *nunc*] > Eyb; et sane tam commode aberit, quam *iam* 21, 4. Certe nihil eiusmodi adiicitur in consimilibus locis II. *de or.* 74, 298. pr. et 299. *sed ego non* (i. q. h. l. et 5, 5. *neque*) *de praestanti quadam et eximia, sed prope de volgari et communi prudentia disputo.* < D. *nunc de v. a m i c i t i a.* — Eyb: *e t* (> Ven. 474.) × *ipsa delectat.*

§. 10. *Nam secundas* D. 106. < L. *α N. e t iocundas,* ut 5, 4.

partiens] h. e. partem in se suscipiens; *communicansque*, h. e. partem alteri sustinendam concedens. Cum ed. vet. s. l. D. 106. *patiens;* sed *r* literam eadem manus superscripsit.

leviores] < *facit* Ven. 474. et in L. *β* manus 2. × excerpta Lips. *f a c i t leviores.* Plutarch. *de amico et adul.* c. II. p. 49. *F.* (ἡ φιλία) οὐδὲν ἧττον τοῖς ἀγαθοῖς ἡδονὴν ἐπιφέρουσα καὶ χάριν, ἢ τῶν κακῶν ἀφαιροῦσα τὰς λύπας καὶ τὰς ἀπορίας παρέπεται.

C. 7. *tum*] Eyb: *tamen* et cum bRl. *γ*, D. 106. ed. vet. s. l. *bonam spem praelucet*, h. e. *quasi lumen aliquod* (8, 6.) *bonae spei* praefert et *ostendit* (27, 1.) Cf. *fin.* I. 20, 66. ss. et h. dial. 13, 5. ubi amicitia soli comparatur. De huiusmodi aemulatione poëtici sermonis censor Hal. laudat *Langii vindic. tragoed. Rom.* p. 36. Billerb. hanc codd. fide confirmatam lectionem impugnans repraehenditur a Mosero l. c. p. 983. Verum tamen Bern. Erf. L. *α*, *β*, bRl. *δ*, *ε*, Ven. 474. *bona spe:* qui Ablativi absoluti possunt effectum indicare, quasi dicatur: *ita, ut bona spes sit.* Nec displicet Ciz. C. a m. 1. lectio: *bona spes.* Nam si *amicitia* ipsa *bonam spem praelucere* dicatur, in priore membro ad vv. *tum illa* facilius suppleveris *commoditate amicitia praestat omnibus*, quam *commoditas.* Elegantiorem metaphoram aversantis foret coniicere *bonam spem p r a e b e t:* ut est II. *de re pub.* c. 42. *sese splendore animi et vitae suae sicut speculum p r a e b e a t civibus.*

nec] < *vi* Erf. — bRl. *γ patitur* × *cadere.*

§. 2. *enim*] Sic Facciol. cum tribus codd. Manutii. Bern. *esset;* ceteri *etiam* < Ven. 474. *iam.* Goerenz. l. l. p. 300. animadvertit nusquam in sententiae principio poni *verum etiam*, proprium illud apodoseos; neque

3 qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. Quôcirca et absentes assunt et egentes abundant et imbecilli valent et (quod difficilius dictu [est]) mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum!
4 ex quo illorum beata mors videtur; horum vita laudabilis.
5 Quod si exemeris ex rerum natura benevolentiae coniunctio-
b. nem; nec domus ulla nec urbs stare poterit; ne agri qui-

---

gradationem facere, ut *vero etiam* alicui voc. postpositum; et idcirco castigat Ramshornii grammaticam lat. §. 181. II. 2. p. 539. idemque V. D. *veros amicos* in auxilium vocat e 15, 7. itemque cum Ochsnero in *eclog.* p. 61. *verum amicum* e loco plane gemino 21, 14. interpretans: *Wer nämlich einen echten Freund anschaut, der schaut in ihm gleichsam das Abbild seiner selbst.* Bern. *exemplum al. sui int.* >< D. 106. *aliquod exemplar.* Pron. *aliquod* tam genuinum, quam c. 23. f. Nam per *unicum* compensatur in III. *de re p.* c. 5. *ipse sis quasi unicum exemplum antiquae probitatis.*

§. 3. *assunt*] Sic scribunt Bern. Erf. L. α et Schwarzii Altf. cod. pro volg. *adsunt.* Tum Bern. Erf. L. β, bRl. γ, δ, ε, ed. vet. s. l. Ven. 474. *inbecilli*, ad exemplum Adiectivorum *hilarus* (*fin.* V. 30, 92.), *inermus* (X. *ad fam. ep.* 34, 3.) et fortasse *imberbus*, quod Ciceroni tribuit Charisius. Heterocliton *imbecilles* recentioribus usitatum a Cic. alienum affirmat Goerenz. p. 301. comp. 17, 6. *de inv.* I. 24, 35. *valens an imbecillus*; I. *de re pub.* 32. pr. (ubi, ut h. l., substantive ponitur) et l. VI. *ad divv. ep.* 6. §. 2. ubi editores corruptum habeant *animum* — *imbecillem.* Nobis ib. l. V. *ep.* 16. §. 9. obviam facta est etiam *imbecillo mulier animo.* Adde *fin.* V. 24, 71. pr. *off.* II. 8, 29. ad f.

dictu est] Bern. *dictui est* >< Eyb cum Ciz. C. *est dictu.* — L. α † < *desiderium* < † *que* L. β a m. 2. Tum Bern. *sequitur* correctumque *proseq.* Eyb: *prosequatur.* Cf. *Phil.* IX. c. 5. pr.

§. 5. *exemeris*] Ed. vet. s. l. et Rom. ap. Hahn. 469. *subtraxeris.* Pro volg. *natura rerum* >< Bern. D. 106. Erf. L. α, β, bRl. γ, ε, Ven. 474. Deventr. 489. invito Gernhardo, qui urgueat acuendam voc. *natura.* Vtriusque positus ubivis incerti exempla dedit Kleinius in Friedemanni et Seebodii *miscell. critt.* Vol. I. P. 3. p. 504. *Rerum* (np. omnium) *naturae* universae hic opponuntur partes quaedam in exemplis memoratae. — bRl. γ, ε *benivolentiae vinctionem.* Erf. et Schwarzii Altf. cod. *iunctionem.*

ne etc.] Bern. *nec agri q. c. remanebit.* >< D. 106. *nec a. cultus quidem p.* > Eyb: *nec agri cultura p. Nec* pro *ne* etiam L. α, β, ed. vet. s. l. De his partt. praecipientem Goerenzium ad *Acad.* II. 26, 82. p. 152. praeter ceteros laudat Hessius ad Tacit. *Germ.* c. 7. Cf. infra 13, 1.

6 dem cultus permanebit. Id si minus intelligitur: quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. Quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas, quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti? ex quo, quantum boni sit
7 in amicitia, iudicari potest. Agrigentinum quidem doctum 24
quendam virum carminibus Graecis vaticinatum ferunt, quae in rerum natura totoque mundo constarent, quaeque move-

---

§. 6. *Id si minus* < *quidem* Ven. 474. — D. 106. *sit* ✕ *concordiaeque*. Hic demum edd. volgo finiunt protasin, ut relativa sententia obliqua faciat ἐπεξήγησιν Pronominis *id*, quod tum in seq. apodosi ad *percipi potest* intelligendum erit. Nobis planior ea ratio visa est, qua relativa sententia graviter praeponitur. Eadem ex allatis in seq. interrogatione exemplis denuo concluditur. — Ven. 474. *ex* > *discordiis*.

civitas] L. α, β < *est* volgo ✕ D. 106. *est civitas* ✕ ed. vet. s. l. *quae est tam f. c.* Tum pro volg. *atque* codd. nostri omnes cum ed. vet. s. l. *et*. Cf. statim ante *dissensionibus atque discordiis*. — Bern. L. β, bRl. γ, δ, ε *discidiis*. Eadem varietas infra 10, 7. L. α *dissendiis*.

funditus] > ed. vet. s. l. *possit ev.* ut 13, 9. Quid, si non satis pleno ore loqui sciolis visus Romanae eloquentiae princeps? V. tamen *off.* I, 17, 57. f. — L. β *quantum bonum* †.

§. 7. *quidem*] > Ven. 474. Haec part. unum potissimum testem atque auctorem seligit h. l. Cf. obs. ad 4, 3. — L. α *vaticinatum* > *esse*, quod in Erf. superscriptum. Significatur, Empedoclem tamquam vatem divinitus instinctum canendo mundi mysteria patefecisse.

quaeque] > Ed. vet. s. l. *quae*. De vi et orthographia seq. verbi *dissipare* Festi ed. a. 1593. p. CCLXXXI. *Supat* (in marg. *sipat*) *iacit*, *unde dissipat*, *disiicit: et obsipat*, *obiicit*, *et insipat*, *hoc est iniicit*. Ceterum vv. infer se hic referuntur: *quae constarent*, *contrahere a.*; *quaeque moverentur*, *dissipare d.* Ioann. Franc. Luisinus *parergon* lib. II. c. 24. in Gruteri *thesaur.* III. p. 476. sq. notat Ciceronem id laudi tribuentem amicitiae, quod vitio verti commodius possit. Nam Empedoclem, physicum *Agrigentinum*, duo rerum principia constituisse, amicitiam et litem: ante enim, quam essent distincta elementa, omnia in unum globum ab amicitia fuisse congesta atque confusa, a lite demum ordinem rebus inductum, quo quidem ordine in suum locum singula abierint et quasi lucem acceperint, quae fuissent ante tenebris oppressa. Testes adhibentur Simplicius *lib. I. physicor. Aristot.* p. 6. b. 43. a. et *lib. I. de caelo* lectione 99. Ergo Cicer. Laelius videtur in eo laudare amicitiam, in quo magnopere damnanda est. Huic enim Empedocles confusionem, liti ordinem tribuit. Eundem tamen Luisinum non latuit a Cicerone hac in re non

rentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Atque hoc quidem omnes mortales et intelligunt et re probant.
8 Itaque, si quando aliquod officium extitit amici in periculis aut adeundis aut communicandis: quis est, qui id non ma-
9 xumis efferat laudibus? Qui clamores tota cavea in hospi-

---

dissentire Plutarchum in libro *de Iside et Osiride* II. p. 570. D. a quo Empedocles τὴν μὲν ἀγαθουργὸν ἀρχὴν φιλότητα καὶ φιλίαν, τὴν δὲ χείρονα νεῖκος vocasse perhibetur. Cfr. Sturzii *Empedocles* I. pp. 218. 242. ubi pp. 219. 232. ss. 247. alia afferuntur loca, in quibus Empedocles inconstantiae accusatur, quod φιλίαν bonorum principium putaverit, ut νεῖκος malorum. Id vero Aristotelis calumniantis interpretationi tribuendum censetur. Sed magis et Aristotelem et ipsum Empedoclem calumniantur hi interpp. Vtrumque effici a rerum concordia discordi recte dixit Empedocles luculenterque explicavit in *physicor. lib. I.* reliqq. v. 34. ss. quae servavit nobis Simplicius ad Arist. *physic.* I. fol. 34. a. integriora, quam alii. Phil. Melanthonis versionem ascripsit Lenzius. Sam. Tennulius ap. Sturz. p. 554. binos versiculos sic expressit:

Nonnunquam connectit Amor simul omnia, rursus
Nonnunquam seiuncta iubet Contentio ferri.

omnes mortales] Hunc ordinem vv. sollennem invertit D. 106. et cum Bern. L. α proxumam *et* excludit, alteram mutat in *atque;* idem cum Erf. L. β < *re.*

§. 8. *aliquod*] > ed. vet. s. l. × D. 106. *officium aliquod extiterit.* Recte se habet Perfectum Indicativi. Vid. *off.* III. 3, 15. pr. cl. ib. II. c. 10. f. L. α *extat;* deinde *maximis* × *non* —. Ed. vet. s. l. *efferat* × *maximis.* Bern. *laudibus* × *efferat?*

§. 9. *tota cavea*] Ox. ν < volgo: *nuper* × L. β *nuper tota c.* h. e. per totam caveam. < Ed. vet. s. l. *tota in c.* × L. α *in tota c. nuper* < *in.* bRl. γ *fuere* > *nuper* × Schwarzii Altf. cod. *nuper fuerunt tota in cavea hosp.* — Ed. vet. s. l. *fuere in* (D. 106. *fuerunt*) > *nova f.* In Erf. superiori voci *clamores* superscripsit interpres *facti sunt.* Voc. *nuper* hic non urguendum animadvertit H. Stieglitz *de M. Pacuvii Duloreste* p. 72. et accipit pro *paulo ante hos consules:* sed sic non plane removetur chronologica difficultas, quae abforet, si pro *nova* cum uno libro Manutii legeretur *nota.* Ascripsit nescio quis *nuper* propter *novae fabulae* mentionem. *Nova* dicitur fabula primum acta. V. Manutium ad 21. *epist. lib.* XI. *ad fam.* §. 4. ed. Cortii. Hic simul respici videtur ad antiquiorem Ennii fabulam (v. 6, 5.). Aliter *novum* dicitur *pro Rosc. Am.* 1, 1. ut sit *insolens atque inauditum.* De h. l. vide quae post Naekium Bonnae 1823. *de M. Pacuvii Duloreste* p. 3. disputavit H. Stieglitz l. l. ad fragm. XXX. Ex eadem scaena versus citavit Cic. *de fin.* V. 22, 63. ad quos alludit ibid. etiam II. 24, 79. f. Cf. Lucianus in *Toxari* c. 2. 5. ss.

tis et amici mei, M. Pacuvi, nova fabula: quom ignorante rege, uter [esset] Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur; Orestes autem ita, ut erat, Orestem se esse perseveraret! Stantes plaudebant in re ficta. Quid arbitramur in vera facturos [fuisse]? Facile

---

uter] L. β a m. 1. bRl. γ, δ, ε, (annuente Zumptio) Ciz. b. et quatuor Oxx. < volgo: *eorum*. In L. β m. 2. Nominativum *uter* mutavit in Genit. *eorum* eique superscripsit Nom. *quis*. Ed. vet. s. l. cum Erf. a m. 1. < *uter e. O.* × L. α, β, bRl. δ, ε (*h*)*orestes esset*. Erf. a m. 1. <, † *an Pylades* m. 2. Tum Bern. L. α, bRl. γ *se* × *Orestem* (ed. vet. s. l. cum trib. Oxx. <) *esse* × Erf. *O. esse se diceret*. Virgulam post *ita* locatam alii ante hanc voc. interponunt.

Stantes] In L. β verbis *plaudebant* (Erf. *perlaudabant*) *in r. f.* tantummodo superscriptum *stantes* < D. 106. ed. vet. s. l. Ven. 474. *autem*. Lectioni, quae memoratur ab Aldo, *flentes*, nescio ulline faveant codd. MSS. Eam vero commendat Lucianus in *Toxari* 9. ὁπόταν ὑμῖν οἱ τραγῳδοὶ τὰς τοιαύτας φιλίας ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβιβάσαντες δεικνύωσιν, ἐπαινεῖτε καὶ ἐπικροτεῖτε καὶ κινδυνεύουσιν αὐτοῖς ὑπὲρ ἀλλήλων οἱ πολλοὶ καὶ ἐπεδακρύετε. Facile correxeris item *spectantes*. Sed recte Bastius ad Aristaenet. I. 26. Boisson. p. 579. ἀνέστηκε ὀρθός, „adsurgit, prout solent, quum quid placet, hodierni quoque spectatores:" et iam Mercerus ibi comparaverat praeter h. l. Arnob. IV. 36. pr. *conclamant et adsurgunt theatra; caveae omnes concrepant fragoribus atque plausibus*; aptius quam Propert. III. 16, 18. Nam ibi assurrectum honoris causa significatur. Cfr. ad Arnobii l. Heraldus in Orellii ed. t. II. p. 256. s. Gernh. in *addend.* p. 275. confidentius quam Iacobus ad Luciani *Toxarin* in *prolegg.* §. VII. p. XXIII. illud verbum referre volebat ad eam theatrorum structuram, e qua populus *stans* scaenam aspiceret, atque abusus est testimonio Valer. Max. II. 4, 2. qui diversas diversi temporis res propter nihil aliud quam similitudinem commemorando coniunxit, de chronologia quidem securus. Sed Mercerus l. c. admonet Pacuvii aetate iam sedisse spectatores, laudatque Avellin. *ad Plaut. captiv.* p. 133. Vide, sis, etiam Plauti, qui Catone censore mortuus est, *prologg.* ad *Amphitr.* v. 65. et ad *Poen.* verss. 5. 18. 23. Nec vero cotidianam rem ut singularem memorasset Pacuvii familiaris.

in vera] < D. 106. L. α *re*, a m. 2. insertum in β, qui pro volg. *fuisse facturos* × cum Bern. Erf. ed. vet. s. l. *facturos fuisse*: quam vv. structuram legitumam esse ostendit Goerenzius l. l. p. 302. compp. II *divin.* 9, 23. f. I. *fin.* 8, 28. *Phil.* I. c. 6. pr. *N. D.* I. 27. f. (vel c. 28, 78. pr.). Sed D. 106. *facturos esse*. Cf. annot. ad 4, 4. 10, 8. et quae ipse Goerenz. comparat omissi Infinitivi exempla c. 17. pr. II. *ad divv. ep.* 17. §. 2. ~ Ox. ν < *facturos*.

indicabat ipsá Natura vim suam; quom homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero iudicarent.

11 Hac tenus mihi videor, de amicitia quid sentirem, potuisse dicere. Si qua praeterea sunt (credo autem esse multa): ab ìs, si videbitur, qui ista disputant, quaeritote.

12 FANNIUS. Nos autem a te potius. Quamquam etiam ab istis saepe quaesivi; et audivi non invitus equidem. Sed aliud quoddam filum orationis tuae.

13 SCAEVOLA. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, quom de re publica disputatum, affuisses.

---

§. 10. † *indicabit* D. 106. Ven. 474. *iudicabit* Erf. *iudicabat* ed. vet. s. l. — *ipsi* × *facere* D. 106. — *fieri* × *recte* L. α.

§. 11. *quid*] Erf. *quod* — L. α *posse.* Ven. 474. *potissime dixisse.* At *potissime* pro *maxime* non dici, sed *potissimum* observat Io. Camerar. — Erf. *vero* pro (D. 106. *illa* >) *autem.* Parenthesin, cuius protasin confirmantis, ut *off.* III. 33, 120. t. I. p. 255., part. *autem* propria est, ab h. l. alienam putabat Goerenz. — Bern. *ab his.* bRl. γ *si videbitur* > *rectum.* — L. β *qui ita;* L. α. *qui ea d.*

§. 12. *etiam*] > ed. vet. s. l. — Bern. *saepe* (erasa duarum fere literarum vocula) *audivi.* — L. α, β *quidem* pro *equidem;* cuius in clausula positae exemplum alterum 27, 4. indicavit Goerenz., quo auctore interpunctionem emendavi; ut *et* accipiatur pro *et sane.*

quodd. filum] Bern. bRl. ε, ed. Lambin. × Erf. *filum quoddam.* < L. β *quoddam est filum.* Ven. 474. *quoddam expetimus fil.* × ed. vet. s. l. (< *quoddam*, ascriptum tamen a V. D. quodam in exemplari bibl. Paulinae Lips.) et D. 106. (in quo < *filum*) *orationis tuae* > *expetimus*, L. α, bRl. γ *expectamus;* bRl. δ *expectemus.*

§. 13. *Tum*] > D. 106. In L. β litera *m* notatur expungenda, sed tum existeret perversa quaedam personarum oppositio et quasi sugillandi inurbanitas, *Tu quidem* (quippe qui maiore quadam facundiae Laelianae ammiratione captus sis, atque ego, cui ista *mitis sapientia Laeli* non tam singularis videatur) *magis id diceres.* Contra *tum* prospicit ad seq. *si*, ut *de re pub.* I. 40. pr. ubi Laelio dicenti, *propemodum assentior*, respondet Scipio: *Tum magis assentiare, Laeli, si . . . ad maiora pervenero.* Io. Camerar. iam observavit simile esse illi: *Magis, si magis noris, putes.* Similiter supra 2, 10. *quod quidem magis credo* dubitantius, quam *ut potius reor*, ut Virgilius loquitur. Hoc enim alteram sententiam plane excludit, ut III. *off.* 23, 91. I. *leg.* 3, 8. *huic potius assentior.* Sed l. c. 2, 10. Ciz. A < *magis*, qui Comparativus compensatur quodammodo praecedente part. *quidem*, potioribus notandis inserviente.

quom] < volgo *est* (al. *esset*) *de re p. disputatum* < *est* D. 106.

Qualis tum patronus iustitiae fuit contra accuratam orationem Phili!

14 Fannius. Facile id quidem fuit iustitiam iustissumo viro defendere. p. 101.

Scaevola. Quid amicitiam — nonne facile ei, qui ob eam summa fide, constantia iustitiaque servatam maxumam gloriam ceperit? a.

8 Laelius. Vim hoc quidem 'st afferre. Quid enim re- 26

---

ed. vet. s. l. Expunxi *est* cum Ox. ψ et Vim. et delendum putamus item I. *N. D.* 6, 14. ubi post vv. *Quod . . tum maxume animadverti, quom apud C. Cottam . . de diis imm. disputatum* adiecto volgo *est* plerique substituunt *sit*, unus Ox. U. *fuit*. Tum L. β *fuit* × *iustitiae*. Omiserim potius verb. substant. in exclamatione, ut modo ante §. 9.

§. 14. *id*] > ed. vet. s. l. — *iustitiam* > L. α. < Vim. *iustissimo viro* × *iustitiam*. Ed. vet. s. l. *defendere* × *viro*. Facile hoc voc. a praecedentibus syllabis potuit absorberi posteaque alio loco suppleri; sed necessarium non videtur. Cf. 1, 4. *pro Sext.* 67, 141. *qui unus omnium iustissumus fuisse traditur.* Nos ante haec comma delevimus, ut appareret hyperbaton cum attractione Dativi coniunctum. Cf. Flor. III. 12, 6. Propert. III. 16, 12. Valer. Max. III. 6, 4. *Sylla, cum imperator esset, chlamydato sibi et crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit.* Id. IV. 7. *ext.* 1. *cui securo vivere licebat;* sed V. 1, 4. f. *tibi incolumem stare fas non erat*, scilicet propter negationem. Est haec attractio Graeca, e. g. *Il. E.* (V.) 490.

Quid] < *diceres si videres illum disputantem am.* etc. bRl. γ. Interrogationis hic post *quid amicitiam* volgo adhibitum signum removi. Ponitur *quid* sic otiose, nisi quod attendere iubeat ad seq. interrogationem, cui notio primaria praeponitur, ut ap. Liv. III. 68. *quid tandem privatae res vestrae quo statu sunt?* V., sis, quae de hoc usu observavimus in Iahnii *annal. philol.* vol. III. (1827. vol. I.) fasc. 3. p. 21. s.

facile ei] × Bern. *ei facile.* D. 106. *est* > *fac. ei* < (Ven. 474. *erit* <) Erf. *defendere.* — D. 106. L. α *iustitiaque servata.* — Ven. 474. *ceperit* × *gloriam*, quod numerosius sonat in clausula.

C. 8. *hoc*] < *mihi* Bern. — L. α, β cum Schwarzii Altf. cod. *inferre — enim* > * D. 106. accommodate ad lepidam simulatae indignationis affectationem. Sed si abfuerit *refert*, pro quo Ciz. B. *differt:* particulae *quid enim?* habebunt vim Graecarum τί γάρ; vel τί μήν; qs. d. *quid enim aliud est?* Tum in seqq. interrogationis signum erit tollendum, ut *qua r.* accipiatur pro *quaqua* vel *quacunque ratione:* np. *etiam si hoc fiat rogando:* in quam ipsam sententiam ab interprete quodam substitutam lectionem Ernesti (cuius cum ed. comparati libri bRl. γ, δ, ε, et Ven. 474.

fert, qua me ratione cogatis? Cogitis certe. Studis enim generorum, praesertim in re bona, tum difficile 'st, tum ne aecum quidem, obsistere.

2 Saepissume igitur mihi de amicitia cogitanti maxume illud considerandum videri solet, utrum propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia: ut in dandis recipiundisque meritis, quod quisque per se minus posset, id acciperet ab alio vicissimque redderet; an hoc quidem proprium amicitiae, sed antiquior et

---

nihil variare videntur), *rogatione*, repudiat Moser. l. c. n. 61. p. 976. Alioqui *qua* accipiendum pro *quam blanda*. — Ed. vet. s. l. *cogitis* pro Subiunctivo modo *cogatis*, qui in L. β expulit proxumum Indicativum. bRl. γ et Schwarzii Altf. cod. *cogitis quidem* × bRl. δ *certe cogitis.*

studis] D. 106. < *enim.* — L. β *in re bona* × *praesertim.* Cf. *or.* 1, 1. *Negare ei, quem unice diligerem cuique me carissumum esse sentirem, praesertim et iusta petenti et praeclara cupienti, durum admodum mihi videbatur.*

tum difficile] Sic Bern. L. β, bRl. γ, ε, D. 106. ed. vet. s. l. Ven. 474. Ceteri cum volg. *cum d.* Hic quidem ἐκ παραλλήλου posita iunguntur, quorum neutrum ab altero pendeat. — L. α *tum non* < *est* ed. vet. s. l.

§. 2. × L. β *de amicitia mihi cog. illud maxime.* Hic Superlat. alibi certe a librariis inculcatus est et carere eo potest Pron. *illud* significanter cum vi positum. Cf. similem formulam *de or.* I. 2, 6. pr.

utrum] Sic cum Gernh. nostri quoque omnes libri, praeter D. 106., qui cum Ven. 474. *num*, ut volgo editur. L. β *ut.* — Ed. vet. s. l. et Ven. 474. *desideranda*; Bern. L. α *considerata.*

in] Ven. 474. > Billerb. cum ceteris libris, etsi praepositionem vindicaverat Gernh. comp. I. *off.* 9, 28. ubi v. quae t. I. p. 64. annotavimus cl. ib. 7, 22. f.

quod] Bern. Erf. L. α, β, ed. vet. s. l. Ven. 474. *quo* †. — *quisque per se minus* quinque Manutii libri × unus eiusd. Ciz. C. Ven. 474. *q. minus per se* < volgo: *ipse.* Cf. annot. ad 16, 1. f.

alio] Erf. *illo*; unus Manut. *aliquo*; duo eiusd. et Goth. 48. a. m. 1. *aliis* — Bern. *vicissim* < *que*, ut suspicetur nonnemo legendum: *acciperet vicissim, vicissimque redderet.* Post *an* expunxi *esset*, consecutione temporum efflagitante, quod aliter supplet ed. vet. s. l. *hoc quidem proprium* > *sit* (> L. α <) *amicitiae.* Ante seq. *sed* novissumae ed. plenum interpunctionem removi.

pulchrior et magis a Natura ipsa profecta alia causa. Amor enim, ex quo *amicitia* nominata, princeps est ad
3 benevolentiam coniungendam. Nam utilitates quidem etiam ab is percipiuntur, qui simulatione amicitiae coluntur et observantur temporis causa. In amicitia autem nihil fictum, nihil simulatum; et quicquid est, id et verum et

---

profecta] < L. β *est.* Ed. vet. s. l. *perfecta est alia;* bRl. γ *quaedam alia est.* — *causa* < *esset* Ven. 474. — Eadem editio *est* > *nominata* volgo cum aliq. cdd. < Eyb cum nostris omnibus *est:* — quod si h. l. retineatur, tamen iungendum erit cum seq. v. *princeps*, post quod ed. vet. < *est.* In brevi sententia relativa percommode Participium caret verbo substantivo. Hic eo distinctior et planior erit oratio, deinceps sic structis verbis: *est princeps ad*, h. e. *primaria causa*, ut interpretatur Goerenz. l. l. p. 302. comp. *pro Arch.* 1, 1. *hunc video mihi principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse.* *Phil.* X. 11, 24. f. *pro Sulla* 3, 9. *neque enim princeps tunc ad salutem esse potuissem;* X. *ad fam. ep.* 17. §. 3. f. In his omnibus indicatur *primus auctor*, πρώταρχος, πρωταίτιος. Alio sensu dicitur πρωτεύων τά.

§. 3. *ab his* Bern. Eyb. — Pro volg. *percipiuntur saepe* × D. 106. *saepe* (> Ox. η) *percipiuntur.* Voc. *saepe*, quod item inculcatum videas 10, 3., vix tueare simili loco Plutarchi *de amico et adul.* c. 3. pr. p. 50. C. καὶ γὰρ ἐν ὑπουργίαις καὶ διακονίαις πολλάκις ἰδεῖν ἐστι τὴν φιλίαν ὑπὸ τῆς κολακείας παρατρεχομένην.

temporis causa] Sic cum cdd. nostris Eyb; × volgo: *caussa temporis.* Praecedit quidem regimen 16, 2., sed propter oppositionis vim in chiasmo, et in *or.* 55, 185. f. ambiguitatis vitandae causa. Rectius igitur Goerenzius comparat *ad fam.* VI. *ep.* 12. (ap. Cortium *ep.* 13, 5.) Cf. etiam *Acad.* II. c. 35. f.

nihil fictum] < Erf. L. α, β, ed. vet. s. l. Eyb: *est;* Bern. *nihil factum est.*

et quicquid est] Sic in Bern. Erf. L. β, bRl. γ scriptum. L. α *etiam* (> D. 106.) *quidquid est.* Ed. vet. s. l. *et quidquid* < *est* < Volgo: *et quicquid in ea* (al. *in amicitia*) *est* × bRl. s *et quicquid est* > *in amicitia:* cuius omissionis excusandae causa Goer. l. l. p. 303. observat positam cum vi in sententiae principio notionem primariam: *in amicitia autem;* verbumque substantivum, sicubi in prima sententiarum inter se oppositarum parte omissum fuerit, etiam in altera omitti. Ibi vero bRl. δ *id verum* < *et.* Bern. L. α, β, ed. vet. s. l. Ven. 474. *id est* (bRl. γ <) *verum* × Erf. Eyb: *id verum est* × bRl. s *et quicquid id est, verum est* × D. 106. *id verum et voluntarium* (ut ed. vet. s. l.) > *est.* Recte Gernh. cum Lamb. prioris *est* loco recepit *et.* Cf. 9, 5.

4 voluntarium. Quapropter a Natura potius, quam ab Indi- 27
gentia, orta Amicitia, applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa utilitatis
5 [esset] habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest: quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus, [et] ita ab eis amantur, ut

---

§. 4. *potius*] Ox. σ < Volgo: *mihi videtur potius* × Bern. *potius m. v.* × L. β *p. videtur mihi* × D. 106. *m. potius v.* × Vv. *mihi videtur* Ciz. b. iam post *Quapropter*, × Vim. post v. *amicitia* demum inculcat; × aliter alii.

Indigentia] D. 106. Ven. 474. *imbecillitate.* — Volgo: *et* (> Bern. Erf. L. α, bRl. χ, δ, ed. vet. s. l. Eyb) *applicatione magis* × bRl. ε *sed magis applicatione:* in quo voc. explicando argutatur Hottingerus in *Cic. eclogg.*, p. 163. Tralatum est a racemis vitis *se admoventis* ad ulmos. Cf. 9, 8. 14, 1. 21, 15. Ablativis autem originis cum Praep. *ab* apponuntur ἀσυνδέτως nudi Ablativi causales. — † D. 106. *ex* > *cogitatione.*

quantum illa] Ed. Frcf. 590. et Scoti Lugd. 608. < volgo *res* × L. β *q. res illa.* Cf. 11, 8. H. l. *illa* est *amicitia.* Sed unus cod. Manutii: *quam illa res;* quam lectionem non e compendio vocabuli *quantum* corruptam suspicetur nonnemo, sed primitus ab interprete ad voc. *utilitatis* ascriptam; *quam* (np. *utilitatem*) etc. Hanc suspicionem augere videatur Ox. ψ < *esset hab.* Vnus cod. Manutii: *esset* > *utilitatis habitura* < *sit* Bern. Cf. 1, 6. f. Verum tamen orationis membrum sic concisum, *quam cogitatione utilitatis*, non aequaliter pariterque responderet superioribus. Itaque multum detraheretur de concinnitate. Atque haud scio, an tum plurali usus esset Cic., ut 9, 5. *utilitatum spe.*

§. 5. L. α *tantum* > *ita.* — Bern. Eyb < *quoddam.* Sic infra 15, 4. f. *dum taxat ad tempus*, h. e. aliquamdiu, ut I. *off.* 8, 27. pr. (ubi tamen *et ad tempus* a l. quodam vet. omittitur) vel sic, ut subaudiatur *apte*, i. q. *temporis causa*, h. e. quia tempus postulat, ut temporis rationes suadent. Alibi dicitur pro *tempori* vel *constituto tempore.* Hic autem certum quoddam tempus significatur, np. *usque ad eum finem, dum possint se ipsi defendere.* V. *N. D.* II. 51, 129. c. 52. pr. Alioqui haec *ad quoddam tempus* cum L. α, β omiserim potius cl. *Tusc.* V. 27, 79. *quid bestiae? — non pro suo partu ita propugnant, ut volnera excipiant, nullos impetus, nullos ictus reformident?*

et ita ab eis] Erf. × volgo: *et ab eis ita.* Eyb cum ed. Ascens. *ab eisque* < *ita.* L. β < *et ab eis amantur* in marg. reduxit, item omissa *ita*, cuius epanaphora repudiat coniunctiones. Cf. infra §. 7. pr.

6 facile [earum sensus] appareat: quod in homine multo eviden-
tius; primum ex ea caritate, quae 'st inter natos et parentis,
quae dirimi, nisi detestabili scelere, non potest; deinde, quom b.
similis sensus extitit amoris, si aliquem nacti sumus, cuius
cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen
7 aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur. Nihil est 28
enim amabilius [virtute]; nihil, quod magis alliciat ad diligen-
dum: quippe quom propter virtutem et probitatem eos etiam,
8 quos numquam vidimus, diligamus. Quis est, qui C. Fabrici,
M'. Curi, *Ti.* Coruncani non cum caritate aliqua benevolentiae

---

f. earum sensus] × D. 106. *eorum facile s.* × Bern. *facile sensus earum* × Ven. 474. *f. eorum appareat sensus.* Vocibus *earum sensus* detractis intelligetur *eas inter se amare:* quo respicit seq. *quod.* Si quid addendum fuisset, haud scio an scriptori placuisset potius *vis Naturae.* Cf. *fin.* III. 19, 62. sq.

§. 6. *multo*] Ox. *v* < volgo: *est.* L. *α multum est* × D. 106. Eyb: *est multo.* — L. *α quae inter natos et parentes* × *est:* ut verbum rursus suspectum fiat in periphrasi *στοργῆς*, quae sic simpliciter *ἡ πρὸς τὰ τέκνα* dicitur VII. *ad Att. ep.* 2. ante med. *Est* praepositum i. valebit, q. *obtinet.*

quom similis] L. *α*, Eyb: † *consimilis.* — Ed. vet. s. l. *extiterit.* — L. *α cuius cum natura et moribus* × Ed. vet. s. l. *cuius* (< Eyb *et*) *moribus et naturae* (Eyb *natura*) c.: *ita quod in eo* (Eyb <) *homine.*

quasi lumen aliquod] Sic IV. *ad fam. ep.* 3, 8. Cf. infra 27, 1. — D. 106. L. *α*, Ven. 474. † *prospicere.* Cf. 9, 1.

§. 7. *enim* (> bRl. *ε*) × *est* † L *α*, bRl. *γ*, ed. vet. s. l. Eyb. — Tum Bern. D. 106. Erf. L. *α*, *β*, bRl. *δ*, Eyb omnesque libri Goerenzii *virtute* × *amabilius:* ut in compari l. I. *N. D.* 44, 121. Sed nulla ibi est epanaphora, quam h. l. ista structura vv. disturbaret. Facile autem Abll. *probitate et virtute* e proxumis superioribus supplentur.

nihil] < *que* D. 106. Cf. h. cap. §. 5. f. *alliciat* < *homines* cum aliq. Oxx. Ven. 474. Eadem cum volg. *eos* (Ox. U. <) *etiam* × Ceteri omnes et Eyb: *etiam eos:* ut pron. paene suspectum fiat; nam particulam *etiam* tueare comp. I. *off.* 17, 55. f. Tum volgo: *quodam modo diligamus* × L. *α diligamus* (Ox. *E* <) *quodam modo.* Cf. c. 9. pr. Debetur haec restrictio interpolatori, qui sententiam aequare vellet seq. correctioni.

§. 8. *cum caritate aliqua benevolentiae*] Hunc Genitivum pro volg. *et benevolentia* ad exemplum c. 9. §. 8. recepi e Goth. 117. et Metelli MS. Eum Genitivum interpretati sunt librarii in Bern. et Erf. *benivola;* alii aliter corruperunt, L. *α benevolentiam;* D. 106. (ubi simul *aliqua* × *caritate*) et L. *β benivolentia.* Sed hi omnes codd. < *et.* Pal. 1. Ciz. A. D. 119 a. *cum caritate benevolentiaque.* Ox. I. *cum aliqua caritatis*

memoriam usurpet, quos numquam viderit? quis [autem] est, qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Mae-
9 lium non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum, Pyrrho et Hannibale. Ab altero propter probitatem [eius] non nimis alienos animos habemus; alterum
9 propter crudelitatem semper haec civitas oderit. Quod si 29
tanta vis probitatis, ut eam vel in eis, quos numquam vidi-

---

benevolentia. Modo ante Bern. † *m. Curii.* L. β *Marcii Curii.* L. α *M. Curii* > *Caruncani;* quod placet, praeposito tamen praenomine *Ti.*, ut tres boni viri opponantur totidem improbis. Cf. 5, 8. 11, 10. *de sen.* 6. pr. Ipsa apocope in Genitivo fidem habet antiquitatis. Ven. 474. *Manii Curii cum caritate al... memoriam* × *non* †. Si cui placeat h. l. tueri volgarem lectionem *et benevolentia*, utatur exemplo 27, 6. c. 13, 3. ubi repudiatur aliorum sententia: *non benevolentiae neque caritatis* (causa) *amicitias esse expetendas.*

memoriam usurpet] h. e. et lubenter et frequenter recordetur. C. 2, 9. *officium usurpare* i. e. q. ante §. 6. *diligentissume munus obire.* Seq. Pron. relativum vim habet causalem *quum*, propter oppositionem = *licet*, ideoque asciscit Coniunctivum: ut 21, 5. I. *or.* 18, 82. pr., ubi sequitur *tamen.*

quis autem est] × Bern. Erf. *quis est autem.* In part. hac (quam irrepticiam suspicati sumus ad I. *off.* 43, 154. pr. t. I. p. 305.) explicanda frustra laborarunt Hotting. Ochsner. in *Cic. eclogg.* p. 165. Non enim, quod ea significaret, *benevolo* hic opponitur *osor;* sed *diligendis odiosi.*

qui Tarquinium] D. 106. < *Superbum.* Non additur *Superbi* cognomen 15, 6. Nec verendum erat, ne hic vel cum *Prisco* vel cum *Collatino* permutaretur, non magis, quam IX. *ad Att. ep.* 10. ante med. *male Tarquinius, qui Porsenam . . . contra patriam.* Idem D. *qui T.* (†) *Cassium;* Bern. L. α, β, Ven. 474. *qui P.* (†) *Cassium* — L. α. *Sp. emulium;* Bern. *sputium elium.* Erf. *Q.* (ed. vet. s. l. *quique*) *P. Cassium, Spurium* (< *meminit* ead. ed.) *non o.?*

§. 9. *decertatum*] < *est* Erf. D. 106. L. α, ed. vet. s. l. Ven. 474. × *est decertatum* Bern. L. β. — *ab altero* < *Pirro* Erf. — *probitatem suam non minus* unus cod. Manutii. *bonitatem eius* † Bern. — *eius nominis non* D. 106. Ven. 474. — *alienos mores* ed. vet. s. l. × Bern. *animos alienos.* Id. *credulitatem* (correctum tamen *crud.*) > *suam.* † Ven. 474. *crud. eius.* — L. β, ed. vet. s. l. † *haec* × *semper.*

C. 9. *probitatis*] Ed. vet. s. l. < *est* volgo × D. 106. *est probitatis.* Cf. 19, 4. f. Alia ratio est II. *off.* c. 11. f. ubi post *quem* requiritur Coniunctivus. — D. 106. *eam* (< *vel*) *in eis.*

mus, vel (quod maius est) in hoste diligamus: quid mirum, si animi hominum moveantur, quom eorum, quibuscum usu coniuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur?

2 Quamquam confirmatur amor et beneficio accepto et studio perspecto et consuetudine adiuncta: quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibitis ammirabilis quaedam exardescit bene-

---

maius] Cum L. β *magis* Eyb. Id. *etiam* > *in hoste* < *etiam* volgo — *diligamus* < *etiam* D. 106. Expunxi vagam part. auctoritate unius cod. penes Goerenzium, qui V. D. *etiam* cum vi pro *adeo* positam saepe interpolatoribus deberi observat, omnem autem vim h. l. sua sponte cumulari in substantivo praeposito.

quid mirum] < *est* † Eyb cum nostris ll. omnibus. — D. 106. † *hominum* × *animi*. — L. α, ed. vet. s. l. *cum quibus* × L. β *quibus coniuncti cum usu*; Bern. *usi iuncti* †.

bonitatem] ∼ *probitatem* L. α, ut Eyb, qui † *conspicere*. Ceterum *perspicere videantur* non est periphrasis pro *perspiciant*, ut videbatur Hottingero atque Ochsnero ad *Cic. eclog.* 165., sed i. q. *perspicere se existument*. Nam *conciliatrix amicitiae virtutis opinio* dicitur 11, 7. Cf. 5, 12. pr. 8, 6. f. I. *off.* 17, 56. pr.

§. 2. *studio perfecto* † Bern. L. α. *Studium* et *studia* pro prompta bene merendi voluntate d. 14, 3. 9. 10. Cf. II. *off.* 9, 32. pr. Plutarch. περὶ πολυφιλ. c. 3. p. 94. *B.* ἡ ἀληθινὴ φιλία τρία ζητεῖ μάλιστα, τὴν ἀρετὴν, ὡς καλὸν, καὶ τὴν συνήθειαν, ὡς ἡδὺ, καὶ τὴν χρείαν, ὡς ἀναγκαῖον· δεῖ γὰρ ἀποδέξασθαι κρίνοντα καὶ χαίρειν συνόντα καὶ χρῆσθαι δεόμενον.

animi et amoris] ἓν διὰ δυοῖν. *Tusc.* II. 5, 12. pr. *tanta levitate et iactatione*. I. 25, 62. *varietate et natura sonorum*. I. *leg.* 7, 22. *ex tot animantium generibus atque naturis*. *N. D.* II. c. 37. pr. c. 60, 150. pr. *mollis commissuras et artus*; *off.* III. 20, 82. pr. *Tusc.* III. 1, 2. *rationem ac doctrinam requirere*. Corn. Nep. XV. *Epam.* I, 3. *imaginem consuetudinis atque vitae*. Alius generis haec sunt I. *off.* 4, 14. *Natura ratioque* ubi *que* est explicativa. *N. D.* II. 6, 18. *et humorem et calorem*, quae duo elementa sanguinis ibi distinguit.

quaedam] h. e. *admodum*, ut *off.* II. c. 11. pr. ubi minume pro *nescio quomodo* dicitur, ut Gernhardus meum *valde* corrigere sibi videtur ad *Lael.* 13, 48. p. 105 b. Cf. *Att.* VI. 2, 3. *Mirabilia quaedam effecimus*. *de or.* I. 4, 14. f. 5, 16. ubi v. Orellium. *Tusc.* II. 4, 11. *excelsum quendam*. IV. 28, 61. *constantem enim quendam volumus, sedatum, gravem . . illum esse*. *N. D.* II. 38, 97. f. *leg.* I. 7, 22. *praeclara quadam conditione*.

exardescit] Cf. 27, 1. f. Seq. Pron. *quam*, h. e. *sed eam*, respondet

volentiae magnitudo. Quam si qui putant ab imbecillitate
proficisci, ut sit, per quem assequatur, quod quisque desi-
p. deret: humilem sane relinquunt et minume generosum (ut
102. ita dicam) ortum Amicitiae: quam ex Inopia atque Indi-
a. gentia natam volunt. Quod si ita esset; ut quisque minu-
3 mum in se esse arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissu-
mus. Quod longe secus est. Vt enim quisque sibi pluru- 30
mum confidit et ut quisque maxume virtute et sapientia sic
munitus est, ut nullo egeat suaque omnia in se ipso posita
iudicet: ita in amicitis expetendis colendisque maxume ex-
4 cellit. Quid enim? Africanus indigens mei? Minume, Her-
cle! Ac ne ego quidem illius. Sed ego ammiratione quadam

---

superiori *quamquam:* ad quam oppositionis rationem non attendisse videtur Ochsn. in *ecll.* p. 165. et 208. quum comparet *Cat. mai.* 19, 5. ubi *quamquam*, ut ib. 9, 9., superioribus opponitur, ut sit i. q. *verumtamen.*

si qui putant] ~ Bern. L. β *si putant.* Cf. 10, 5. f. — *ut sit* < ed. vet. s. l. *illud;* bRl. ε *aliquis;* Eyb: *res* (> Ven. 474.) *per quam.*

assequatur, quod quisque] Bern. Erf. L. α, β, bRl. γ, δ, ε, ed. vet. s. l. Eyb ✕ volgo: *quisque ass. quod* †. Cf. 8, 2. 17, 4. ut videas Pron. *quisque* secundario membro relinqui. L. α, Eyb: *desiderat* †.

generosum] h. e. ad nobilis generis stirpem referendum. Haec propria voc. potestas obtinet ap. Corn. Nep. V. *Cim.* 1, 3. L. α *indigentia atque inopia* ✕. — *natam* > *volunt* < *esse* † L. β. Haec vv. *quam — volunt* cum irrisione quadam repetunt sensum superiorum illorum: *quam putant ab imbecillitate proficisci.* Ceterum nescio an hic lateat quaedam allusio ad fabulam Platonis, in cuius *symposio* c. 33. p. 203. C. D. ὁ Ἔρως fingitur *Πενίας υἱὸς, τὴν τῆς μητρὸς φύσιν ἔχων, ἀεὶ Ἐνδείᾳ ξύνοικος:* quam fabulam elegantissume explanavit sollers Stallbaumii ingenium p. 107. ss.

§. 3. Ven. 474. *valitudinis* > *minimum* (L. α <) *in — se* < *ipso* L. β. — *arbitretur* † L. α. Cf. 13, 3. s. — L. α < *sibi.* — Erf. *maxima* †. Cf. 14, 9. f. *Parad.* I. 3, 4. Ad vv. *suaque omnia* etc. cf. 2, 5. f.

§. 4. *Quid enim?*] Haec distinctio a Gernh. adhibita placuit Bardilio in Seebodii bibl. crit. nova l. l. Ochsnerus in *ecll.* p. 167. comparat *N. D.* II. 2, 5. pr. *Quid enim? est hoc illi evidentius?* Eodem modo distinguendum *Tusc.* I. 25, 60. *Quid enim? obsecro te, terrane* etc. — ? V. obs. ad c. 8. pr. Zeunii ad Viger. p. 147. et Hermanni ibid. annot. 108. *Q. enim* < † *erat A.* ed. vet. s. l. Ven. 474. Pro *mei* L. α *nostri.*

Minume, Hercle! Ac] Haec non agnita Gellio XVII. 5. non magnopere desiderabat Gernh. nec, ut videtur, Bardilius l. l. Garatonius ad *or. pro Cael.* c. 27. p. 525. hanc lectionem, si vera non esset, interpunctionis

virtutis eius, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit; auxit benevolentiam
5 consuetudo. Sed quamquam utilitates et multae et magnae consecutae sunt: non sunt tamen ab earum spe causae dili-
6 gendi profectae. Vt enim benefici liberalesque sumus, non 31
ut exigamus gratiam (neque enim beneficium feneramur);

---

vitium omissione corrigendi studio imputabat, quum verbis *Quid enim A. indigens mei?* (ut volgo connectuntur) *nihil* subiiciendum fuisset, non *minume.* Recte vero iudicat Goerenzius his adiectis augeri orationis ἐνέργειαν, et solere Ciceronem sic sibi ipsum respondere, ut pro *Lig.* 7, 20. *Reprachendo igitur? Minume vero.* Cf. *pro Rosc. A.* 1, 2. pr. Vel gradationi vel degradationi inservit *ac* ante partt. *ne — quidem*, ut alibi ante *haud scio* (vel *nescio*) *an.* H. l. Ven. 474. cum Bern. et Erf. *hercule* et cum Schwarzii Altf. cod. *at.* — L. α < *ne;* — × *quidem ego i.; s. ego* < *dilexi illum* † ed. vet. s. l.

vicissim] > * L. α. *Somn. Scip.* 1. (VI. *de re p.* c. 9. f.) *ego illum de suo regno, ille me de nostra re publica percontatus est.*

fortasse] > L. α. In β m. 2. superscripsit hanc particulam modestiae testem. Modestius etiam *opinionem* dicit, quam *existumationem.* Sic enim *nimia opinio ingeni atque virtutis* dicitur Cornelio Nep. VII. in *Alcib.* 7, 3. — Ed. vet. s. l. *habebat* × *moribus* ∾.

§. 5. *et multae*] Sic cod. Gud. penes Kleinium in Friedemanni et Seebodii *miscell. critt.* I. 3. p. 503. Volgo: (< *et*) *multae.* Cf. 8, 8. f. Ochsner. l. l. comparat copulae per Graecismum interpositae exempla Herod. *A.* c. 31. l. 2. *Θ.* c. 61. l. 8. s. Lucian. *somn.* c. 10. πολλοῖς καὶ ἀγαθοῖς κοσμήμασι· in Cic. versu *Tusc.* V. 35, 101. *multa et praeclara.* Horat. II. *S.* 3, 9. cum *multis magnisque* ap. Corn. Nep. IV. *Con.* 3, 1. XIIX. *Eum.* 2, 4. Ad sententiam cf. h. dial. c. 14. f.

§. 6. † *Etenim* L. β. — *Benigni liberalesque* iunguntur, ut *off.* I. 14, l. 3. (42.) II. 15, 1. 4. (53. pr.) *legg.* I. 18, 48. *liberalis benignusque.*

non] < *ideo* † L. β. *ut* × *non* Erf. — *neque* L. α < *enim.* Seneca *de benef.* I, 1. *demus beneficia, non feneremur.* V. Westerhov. ad Terent. *Phorm.* III. 2, 8. Seqq. quoque *sed* [ed. vet. s. l. *ab ipsa* >] *natura .... sumus* (ad quae cf. I. *leg.* 15, 43.) parenthesi adhuc contineri visa sunt Hottingero Ochsneroque p. 168. itemque Gernhardo eiusque arbitro Halensi p. 743. Nos post *sed* reminiscimur praecedentis part. *ut.* Sic non erit, neque cur cum Hessio *obss. critt. in Plutarch. vitam Timol.* p. 98. verbum *sumus* deleamus, nec cur post *sed* cum Billerbeckio inseramus *quia.* Concinne duplici protaseos membro respondet duplex apodoseos membrum; sed in protasi paulo obscurior est prioris ad posterius, quod ei opponitur, prospectantis ratio, quasi dictum sit: *ut enim non benefici .. sumus, ut exigamus gratiam* (cf. 21, 13.); *sed* etc. Cf. 21, 13.

sed natura propensi ad liberalitatem sumus: sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis [eius] fructus
7 in ipso amore [inest], expetendam putamus. At ii, qui 32
pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt. Nec mirum: nihil enim altum, nihil magnificum [ac divinum] suspicere possunt, qui suas [omnis] cogitationes
8 abiecerunt in rem tam humilem tamque contemptam. Quam ob rem hos quidem ab hoc sermone removeamus; ipsi autem

---

amicitiam] L. β *in* (pro qua Erf. superscriptam habet *ad*) > *amicitiam:* quod si referatur ad Particip. *adducti,* tum ad seq. *expetendam* subaudiendum erit *eam.*

omnis fructus] Ox. η < *eius* D. 106. × Bern. L. β, Eyb ι *eius om. fr.* × ceteri: *omnis eius fr.* — Pro *inest* L. α *est*, β *sit* — L. α *expectandum* pro *expetendam*, quae vv. item III. *off.* 33, 118. f. permutantur. Cf. 14, 9. pr.

§. 7. *At ii*] Sic D. 106. *At* et superiorem sententiam confirmat et repraehendit eam, quae deinceps opponitur voluptariorum. Sic *de legg.* II. 18, 45. f. *ad div.* VI. 6, 19. f. quae exempla comparavit censor Halens. in nunciis de omni re literaria a. 1826. vol. II. p. 743. cui iure displicuit Hessii arbitrium haec cum superioribus in unam sententiam cogentis: *sic . . . putamus, ab iis* (Bern. *nos autem* > *ab his*) . . . *dissentientes:* ut est in codd. quibusdam Palatt. et Bern. bRl. γ, ε. Sed δ, Erf. L. α, β, ed. vet. s. l. Ven. 474. *dissentimus.* Cum Goerenzio praetulissem ex aliq. codd. *at hi*, si quidem eadem hic ratio obtineret, quae c. 4. pr. Simpliciter autem memoratae factioni cuidam contrariae minus convenire videbatur Pron. *hi.*

pecudum ritu] Cf. *Parad.* I. 3, 2. f. (§. 14.) et annot. ad III. *off.* 33, 119. *Ad voluptatem omnia referre* neque h. l. nec in *Cat. Mai.* c. 13. pr. dicitur sic, ut fere alibi *referre ad oraculum* v. *iudicem,* ut i. sit q. *consulere Voluptatem tamquam arbitram:* quemadmodum cum Hottingero explicat Ochsn. p. 169.; sed i. e. q. *voluptatis in omnibus rationem habere; voluptate omnia metiri; in consilii capiandi deliberatione de omnibus rebus quaerere maxume, quantum voluptatis allaturae sint.* Cf. *off.* III. 33, 118. f.

magnificum] Sic Ciz. a et b. < volgo: *ac* (al. *atque;* al. *nec,* D. 106. *nihil*) *divinum,* inconcinne propter seq. *tam h. tamque c.* — D. 106. *perspicere;* L. α, β, bRl. γ, δ, Ven. 474. *suscipere.* — L. β, Ven. 474. *omnes* × *suas;* Bern. *suas cogitationes* × *omnes.* — L. β † *adiecerunt.* Cf. *Parad.* I. 3, 3. f. (§. 14. f.)

§. 8. *ab hoc* × *quidem . . . ipsi et intelligamus* D. 106. In *Tusc.* I. 42, 100. pr. iunguntur *nos autem teneamus . . . intellegamusque,*

intellegamus, natura gigni sensum diligendi et benevolentiae caritatem, facta significatione probitatis. Quam qui appetiverunt, applicant sese et propius ammovent, ut et usu eius, quem diligere coeperunt, fruantur et moribus: suntque pares in amore et aequales propensioresque ad bene merendum, quam ad reposcendum, atque haec inter eos fit honesta certatio. b.
9 Sic et utilitates ex Amicitia maxumae capientur; et

---

h. e. nobis persuadeamus exploratumque habeamus. — Ven. 474. *a* (quae Praepos. in L. *β* superscripta) > *natura*.

appetiverunt] L. *β adepti fuerunt*. — Bern. D. 106. Erf. ed. vet. s. l. *applicant se*. Et vero observat Goerenz. p. 303. s. geminari Pronn. reflexiva *sese*, *tete*, ubi ex loco, quo posita, ipso satis ponderis accipere nequeant. Eadem vi h. l. in codd. quibusdam simplex Pronomen praeponi *se applicant*. Comp. *l. I. in Verr.* 25, 64. *veritus, ne quid in ipso se offenderetur*. Geminatum interdum librariis deberi, ut *de or.* III. 39, 162. *sperantis diutius esse sese victurum*, ubi Orellius Pron. exclusit; ib. II. 1, 1. *non ita sese rem habere:* non enim geminatur in hac formula *ita* (*sic*) *se res habet:* neque cum Pron. *ipse* recte iungitur I. *Tusc.* 28, 67. *ut sese ipse videat*, nisi forte cum Praepositione *N. D.* III. 14, 36. *ex sese ipse*.

et usu] L. *β ex* (> ed. vet. s. l.) *usu*. — Ead. ed. *coeperant*. L. *a cepere*; Erf. *ceperint*. — *Vt usu eius fruantur et moribus*, h. e. ut usu cum eo coniuncti percipiant limpidissumum gaudium ac sincerissumum ex perspecta amici probitate. Plutarch. περὶ πολυφ. c. 4. §. 15. pr. p. 94. F. ἀπόλαυσίς ἐστιν ἡ συνήθεια τῆς φιλίας καὶ τὸ ἥδιστον ἐν τῷ συνεῖναι καὶ συνημερεύειν.

suntque] Sic D. 106. Volgo: *sintque*, quod perinepte aperetur e superiore *ut*. Eodem sensu Theocritus *Idyll.* XII. 15. ἀλλήλους ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ, ubi sequitur explicatio ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς. Cf. infra 16, 1. et *amicitiae* definitio illa in l. II. *de inv.* 55, 165. f. Hottingerus in vocum *par* et *aequalis* potestate discernenda argutari videtur: utrumque ad gradum refertur in Sallustii *Catil.* c. 54. pr. Contra ap. Quinctil. *instt.* X. 1, 102. de Sallustio et Livio: *pares eos magis quam similes*, utique prius ad praestantiam, alterum ad genus scribendi spectat. In prox. lectio nostrae ed. vet. s. l. et aliorum qq. librorum *promerendum* Mosero l. c. n. 62. p. 977. orta videtur ex incohata iteratione praeced. voc. *propensiores*.

§. 9. Sustuli plenam interpunctionem ante hanc §. — L. *a inter eos* × *haec*. Ex D. 106. recepi *fit* pro volg. *sit*. L. *a concertatio*. — Ed. vet. s. l. *capiuntur* — D. 106. *eius ortus erit* × *erit eius ortus* < *amicitiae magis* L. *β*. *a natura* < *potius* L. *a*.

erit eius ortus a Natura, quam ab Imbecillitate, et gravior
10 et verior. Nam utilitas si amicitias conglutinaret: eadem commutata dissolveret. Sed quia natura mutari non potest,
11 idcirco verae amicitiae sempiternae sunt. Ortum quidem Amicitiae videtis, nisi quid ad haec forte voltis.

---

quam ab] Cf. 8, 4. *ab* > D. 106. 119 a., Ciz. A. *quam*. Tum foret attractio quaedam, quae facit, ut in comparandis communis Praepositio ante eundem casum non iteretur e Graecismo, cuius praeter duo exempla, quae posuit Schaeferus ad Demosthen. t. I. p. 597. hoc mihi suppeditavit Fritzschius, Luciani ille et contubernalis et patronus, ex Demosth. *or. pro Megalopol.* 19, 10. Bekk. ὅτ' ἐφ' ὑμᾶς προτέρους ἦλθον ἢ Θηβαίους. Nobis quidem haec in promptu fuerunt ap. Platon. in *polit.* I. 16. p. Steph. 343. πρὸς ἄλλο τι βλέποντας ἢ τὸ τῶν δεσποτῶν ἀγαθόν. Cic. *leg.* I. 8, 25. *virtus eadem in homine ac deo neque alio ullo ingenio praeterea:* et in *Acadd.* fragm. 4. ex libro incerto (ap. Nobbium in ed. mai. lat. 1139.), quod servavit Augustin. III. *contra Acadd.* c. 7. *hominem natum ad nihil aliud quam honestatem.* Quinctil. *instt.* XI. 1. Capperonn. p. 673. *Secundum communem potius loquendi consuetudinem, quam ipsam veritatis regulam.* Ovid. *Her. epist.* V. 111, ubi v. Burmannus cum Heinsio ad *fastt.* II. 517. Vellei. Pat. II. 1, 4. *Pompeium ad turpissima deduxit foedera* (*hic primus e Pompeiis consul fuit*) *nec minus turpia ac detestabilia Mancinum.* Et sic ex nostra emendatione ap. Cic. *de re p.* I. 14. (In Archimedi sphaera) *fiebat, ut soli luna totidem conversionibus in aëre illo, quot diebus in ipso caelo succederet: ex quo, ut in caelo, sphaera solis fieret eadem illa defectio*, h. e. *itidem in sphaera.*

et] > Libri nostri omnes *gravior*, h. e. maiorem amicitiae firmitatem stabilitatemque spondens, ut apparet e seqq. Ergo non recte explicatur *honestior, gravi viro dignior.* De duplici in talibus copula cf. hui. cap. §. 5. *off.* II. 19, 66. pr. et f.

§. 10. *utilitas si*] D. 106. × volgo: *si* (L. *α etsi*) *utilitas.* Eyb cum ed. vet. s. l. *si amicitiam conglutinaret.* Κολλᾶσθαι τοῖς ἐντυγχάνουσι, applicare se ad primum quemque, dixit Plutarch. περὶ πολυφ. c. 4. pr. §. 13. p. 94. *E* et 5, 17. p. 95. *B* κόλλησιν εὐνοίας ἐν τῇ συνηθείᾳ περιχυθείσῃ καὶ παγείσῃ. Themist. or. XXII. p. 268. a ὁ δοκιμαζόμενος ἔστω φιλόστοργος . . καὶ φύσει τόδε τὸ κέντρον ἔχων ὡς παραίτιον τῆς συγκολλήσεως. Cum ipsa sententia cf. Cic. *de inv.* II. 55, 166. *fin.* II. 24, 78. s. III. 21, 70. *leg.* I. 15, 42. f.

verae] > ed. vet. s. l. Cf. c. 25. pr. Isocrates *ad Demonic.* c. 1. §. 3. τὰς τῶν σπουδαίων φιλίας οὐδ' ἂν ὁ πᾶς αἰὼν ἐξαλείψειεν.

§. 11. *nisi*] > ed. vet. s. l. *quid.* In L. *β* est *numquid* —? — D. 106. *ad hoc;* Ven. 474. *adhuc* < *addere* L. *α*. *Adhuc* retinuit Facciol. probatque

Fannius. Tu vero perge, Laeli. Pro hoc enim, qui minor est natu, meo iure respondeo.

Scaevola. Recte tu quidem. Quam ob rem audiamus. 33

Laelius. Audite ergo, optumi viri, ea, quae [saepissume] inter me et Scipionem [de amicitia] disserebantur.
2 Quamquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam amicitiam usque ad extremum vitae
3 permanere: nam vel ut non idem expediret, incidere,

G. S. in supplementis diar. literar. Ienan. a. 1822. nr. 63. p. 119. ima. Multi sunt loci, ubi *adhuc* utrovis modo accipi possit, ut vel *huc usque* valeat vel *praeterea:* nec vero desunt, ubi diserte sit *praeterea, ulterius.* Et hoc sensu *ad hoc, ad haec, adhuc* in libris antiquis usurpata et permutata reperiri docet Drakenb. ad Liv. XXI. 52. Locis ap. Tursellin. et Facciol. notatis Mahne in *epicrisi censurar. bibliothecae criticae* p. 42. addit Plin. *epistt.* II. 10. *Magna etiam longinquaque expectatio est: quam frustrari adhuc et differre non debes.* IV. 13. pr. Virg. *Aen.* VI. 807.

perge, Laeli] × D. 106. L. β *Laeli, perge.* — L. α *pro eo vero.* Cf. *leg.* I. c. 11. f.

C. 10. D. 106. Erf. L. β, bRl. γ, δ, Ven. 474. *Audite vero*, cui ab interpolatore *ergo* substituta videbatur Fischero ad Plat. *Criton.* c. X. p. 29. Vtraque part. promptum obsequium indicat: *vero* I. *N. D.* 7, 17. *repete quae coeperas.* — *Repetam vero;* et cum quadam irrisione II. *de or.* 7, 28. *Audite vero, audite;* sed sic, ut *ergo*, etiam *igitur* I. *Tusc.* 9, 18. pr.

quae] L. α, Ox. ψ < D. 106. *saepius;* volgo *saepissime*, quod repetitum videtur ex 8, 2. pr. Additur quidem *saepe;* sed hic compensatur eius vis Imperfecto verbi *disserebantur*, cui L. α subiiciendo vv. *de amicitia*, volgo praeposita, omnino suspecta reddit. Cf. ibid. et supra ad 1, 13. annotata.

§. 2. *ad extremum vitae*] < *diem* Bern. D. 106. Erf. L. α, bRl. δ, ε, ed. vet. s. l. Ven. 474. Eyb × L. β, bRl. γ *ad extr. diem vitae.* Substantive *ad fam.* VI. *ep.* 21. dicitur *omnium rerum mors esse extremum:* ut Gr. in *Axiocho* c. 2. πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου ἐστὶν ἀνιαρῶς τε φέρει τὴν τελευτήν.

permanere] Sic 20, 10. f. Contra Ernestum, qui optaverat *perducere*, animadvertit Moserus, hoc ipsum *permanere* esse i. q. *perduci:* etenim amicitiam, quae ad extremum vitae perducatur, *permanere* ad extremum vitae: similiterque *de inv.* II. 56, 169. *difficile fieri* dicuntur, quae cum difficultate aliquis faciat.

§. 3. *expediret*] Schwarzii Altf. cod. Bern. D. 106. Erf. L. β, bRl. γ, ε < *utrique* (quod in bRl. δ superscriptum) L. α, ed. vet. s. l. Ven. 474.

vel ut de re publica non idem sentiretur; mutari etiam mores hominum [saepe dicebat], alias adversis rebus, alias
4 aetate ingravescente. Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis aetatis, quod summi puerorum
5 amores [saepe] una cum praetexta ponerentur. Sin autem 34

Tum Schwarzii cod. *incidere* < *saepe*, quod volgo additur, ut 20, 14. pr. Idem Adv., ut §§. 4. 5. f., sic fortasse insiticium etiam *off.* II. c. 10. pr.

sentiretur] Sic Bern. Erf. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. pro volg. *sentirent*, quod probat censor Hal. p. 740. Passivi verbi formae in primis conveniunt his, quae generaliter dicuntur, ut h. cap. §. 4. f. 7. pr.

mutari] Ven. 474. *mutare* neutraliter, ut ap. Catull. XXII. 11. *tantum abhorret ac mutat.* — L. *α* † *dicebat* × *saepe.* Vtrumque suspectum fuit Grutero.

alias adv. rebus] D. 106. *al.* (< ed. vet. s. l. Eyb: *ex*) *diversis r.* L. *α al. in adv. r.* > Bern.

§. 4. Eyb: *ineuntis aetatis* × *capiebat.* — L. *α mores una* < *saepe*, quam part. §. 3. librariis acceptam tulimus. Et hic rei fieri solitae notio inest in Imperfecto. Ne ad eius exceptiones quidem faciendas *saepe* necessaria videtur. Nam hae ipsae admittuntur in seqq.

cum praetexta] < bRl. *δ*, ed. vet. s. l. Eyb: *vel* (bRl. *γ*, *ε*, Ven. 474. *et* > Victor. cum Erf. L. *α*.) *toga* < L. *β sumpta* × Manut. *cum praetexta sumpta toga.* Particulam *vel* adiungere figmenta interpretum observat Goerenz. ad *Acad.* I. 12, 44. p. 68. b. Idem valet de copula in Pithoeano: *cum pr. togaque.* Bern. D. 106. *cum pr. toga assumta.* — L. *α*, *β*, Ven. 474. Eyb: † *deponerentur.* Virilem togam confirmatos aetate sumere solitos deposita praetexta docuit A. Manutius *quaesit. per epistt. l.* III. *q.* 1. in Gruteri *thesauro crit.* t. IV. p. 273. compp. Cic. *Phil.* II. 18, 44. aliisque locis. V. supra 1, 2. Quem Romani e pueris dimittere vellent, hunc omni puerili vestitu abiecto toga pura, quae virorum erat, amictum in forum sollenni pompa ducebant propinqui, aptum iam forensibus rebus et publicis negotiis agundis civem declaraturi. Accuratius, quam Octav. Ferrarius *de re vestiaria l. II. c.* 1. ap. Graev. t. VI. quam Keplerus *de anno natali Christi* c. 10. quam Henr. Valesius in *not. ad Nic. Damascenum de institut. Caesaris Augusti* (in *excerpt. Peiresc.* p. 477.), quam Dodwellus in *praelect. Camden.* V. §. 1 — 6. itemque quam Nic. Gruchius *de comit. lib. II. c.* 3. ap. Graev. t. I. quam Claud. Salmasius *ad Lampridii vitam Commodi* c. II. quam Manutius l. c. et Calvinus in *lexico* s. v. *toga*, de aetate togae virili capiundae sollenni disputavit Aug. Frid. Schott *de lege Villia Annali magistratuum Romanorum* (Lips. a. 1765. 4.) §. II. qui Lazar. Bayfium *de re vestiar. ad tit. II. de auro et arg. leg.* cap. X. ap. Graev. t. VI. Car. Sigonium *de iudic. lib. III.* c. 19. et Franc. Fabricium in *historia Ciceronis ad a. Cic. XVI.* et Fr. Henr.

ad adulescentiam perduxissent; dirimi tamen interdum contentione vel uxoriae conditionis vel commodi alicuius, quod idem adipisci uterque non posset. Quod si [qui] longius in amicitia provecti essent: tamen labefactari, si in honoris
6 contentionem incidissent; pestem enim maiorem [esse] nul- p.
lam [amicitis], quam in plerisque pecuniae cupiditatem, in 103.
a.

Norisium ad *cenotaph. Pisan.* diss. II. c. 4. secutus exemplis Ciceronum et patris et filii (ap. Cic. *ad Att. l. IX. ep.* 19. ab in. coll. *lib. I. ep.* 2.), Virgilii ap. Donatum in *vita* c. 2. §. 6., Augusti ap. Sueton. in *Octav.* c. 8. pr. probat more annum XVI. togae mutationi praefinitum fuisse, neque adeo sancte illum servatum, quin ab eo interdum recesserint Romani: certe Imperatorum filios modo maturius, modo tardius virilem togam accepisse.

§. 5. Eyb: *longius* > *in adol. produxissent.* — Bern. *vel* > *contentione.* Haec omnia a §. princ. > L. *α.*

vel uxoriae conditionis] ex emend. Turnebi *adversar.* XIII. 7. t. II. p. 859. Paris. ed. Corrupte Bern. *lexoriae conditionis;* D. 106. Erf. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. Ven. 474. *vel luxuriae conditione.* Eyb: *vel luxuriae* (Schwarzii Altf. cod. <) *vel conditionis.* Respici locum Euripidis in *Medea* observat Ianus Gulielmius *verisimil. l. I. c.* 16. in Gruteri *thesauro t. III.* 2. p. 270. In Euripidis Medea, primore statim fabula, puerorum regiorum magister facit causarum quasi contentionem, quis inducti amicos sibi plerique postponant (v. 87. s.), *οἱ μὲν δικαίως, οἱ δὲ καὶ κέρδους χάριν, Εἰ τούσδε γ᾽ εὐνῆς οὕνεκ᾽ οὐ στέργει πατήρ*, quorum versuum priore legi volt *οἱ μὲν διὰ κλέος*, quod falsum et ineptum sit minus multos, quam debeant, amare, partim *iuste*, partim avaritia impulsos; falsum, quia, si philosophos audias, vix umquam te magis amabis amico, ut ius amicitiae non migres: ineptum, quod potius opponendi fuissent ii, qui *iniuste* desererent amicos, iis, qui iuste, quam qui *avariter.* At illud, quod reponi volebat, huic loco aptissumum putabat Gulielmius sic paedagogi verba interpretatus: *Alii,* inquit, *ambitione acti se amicis anteponunt, nonnulli etiam turpis lucri cupidine; ne tu id tam inique feras, si sui amoris causa pater liberos neglegit.* Eadem h. l. poni interpres ille animadvertit ut quosdam scopulos, ad quos multae multorum amicitiae faciant naufragium; quippe eadem utrobique, quae benevolentiae rescindendae sint, ambitionem, avaritiam, uxoriam conditionem. Haec coniectura, quamvis ingeniosa, tamen nonnihil relinquit dubitationis: etiamsi non urgueamus metricam Euripidis consuetudinem. Cf. §. 6. f.

qui] > L. *α*, *β*, ut 9, 2. *quam si* [*qui*] *putant ab imbecillitate proficisci.* — Bern. *in amicitiam.* — D. 106. *saepe tamen* × volgo: *tamen* (Oxx. *E*, *η*, *ψ* <) *saepe*, quod voc. statim iteratur ad fin. §. 6. Cf. obs. 1. ad §. 3.

§. 6. *nullam* (Bern. *ullam*) *maiorem esse* D. 106. Erf. L. *α.* × ed.

optumis quibusque honoris certamen et gloriae. ex quo ini-
7 micitias maxumas saepe inter amicissumos extitisse. Magna 35
etiam dissidia et plerumque iusta nasci, quom aliquid ab
amicis, quod rectum non esset, postularetur, ut aut libidi-
nis ministri aut adiutores essent ad iniuriam: quod qui re-
cusarent, quamvis honeste facerent, ius tamen amicitiae de-
8 serere arguerentur ab is, quibus obsequi nollent; illos au-
tem, qui quidvis ab amico auderent postulare, postulatione
9 ipsa profiteri, omnia se amici causa facturos. Eorum que-

---

vet. s. l. *maiorem nullam e s s e*, quod v. in L. *β* superscriptum. Cf. 4, 2. p. 22. — Bern. bRl. *γ*, *ε*, D. 106. Eyb: *in* > *amicitiis*. Goth. 117. *in amicis*. Eadem varietas c. 25. pr. Quum haec notio et statim praecesserit et deinceps in apodosi sequatur: suspecta haec adiectio Goerenzio l. c. p. 304.: detrahit enim pondus quum vocabulo *nullam*, tum ipsi sententiae generali. Cf. 22, 4. ibique lect. var.

extitisse] < *videmus* † ed. vet. s. l. — „Duae proponuntur amicitiarum pestes maximae, altera *pecuniae cupiditas*, altera *honoris certamen*: illa pertinet ad vv. *dirimi contentione vel uxoriae conditionis vel commodi alicuius*; haec ad *labefactari*, *si in honoris contentionem incidissent*": observante Henr. W a a r d e n b u r g in *opuscc. critt.* (Harlemi 1812.) p. 167.

§. 7. *Magna*] < *que* ed. vet. s. l. *Maximaque* bRl. *δ*. Cum utroque hoc libro et cum bRl. *γ*, *ε* Eyb: *etiam*, quod volgato *enim* praetuleram in *diar. liter. Lips.* 1827. n. 90. p. 716. idemque placet Zumptio.

dissidia] Cf. 7, 6. Bern. Erf. L. *β*, bRl. *γ*, *δ*, *ε* *discidia*: itemque 21, 7. ubi cf. §. 3. Sed Adi. *magna* non satis convenit ad *discidia*, nisi interpretere: *ita*, *ut in gravis inimicitias convertant amicitiae*.

nasci] < Eyb †: *dicebat*. — bRl. *γ* *aliquis* — *postularet*. — D. 106. *quod* pro *ut*. — L. *α* *ad* > *essent ad* Schwarzii Altf. cod. *faciendam* > *iniuriam* < *faciendam* ed. vet. s. l. Plutarch. *de adul. et amico* c. 23. p. 64. C. Συνεργεῖν δεῖ τῷ φίλῳ, μὴ συμπανουργεῖν· καὶ συμβουλεύειν, μὴ συνεπιβουλεύειν· καὶ συμμαρτυρεῖν, μὴ συνεξαπατᾶν· καὶ συνατυχεῖν, νὴ Δία, μὴ συναδικεῖν.

honeste] Eyb: *honesto* et cum volg. > *id* × L. *α* *id* (> Ox. *x*) *honeste*. Pronomine non magis opus, quam 2, 10. pr. aut *off*. III. 10, 40. *poterat videri facere iniuste*, ubi item a multis inculcatur *id*. — L. *β* *arguerentur* × *deserere* — Bern. Eyb: *ab his* — L. *β* *quibus* † *e x sequi*.

§. 8. *quodvis* D. 106. — *auderent a p p e t e r e* † L. *β*. — *postulatione* < *in* D. 106. In L. *α* dubius lego vel sic vel *postulationem ipsam*. — L. *α* *facturos* < *esse* *β* × volgo: *esse fact*. Cf. 7, 9.

rela inveteratas non modo familiaritates extingui solere, sed
10 odia gigni sempiterna. Haec ita multa quasi fata impendere amicitiis, ut omnia subterfugere non modo sapientiae, sed etiam felicitatis diceret sibi videri.

11 Quam ob rem id primum videamus, si placet, quatenus amor [in amicitia] progredi debeat.
2 Num, si Coriolanus habuit amicos, contra patriam arma illi, 36

---

§. 9. *inveterata* † Eyb cum nostris omnibus: cui lectioni vix compares Virg. *G.* I. 378. Tum volgo: *etiam* > *odia* × *odia etiam* Erf. L. *α*, Bern. aliusque quidam cod. penes Goerenz., qui expunctam malebat *etiam* > Oxx. *E*, *ψ*. — Ven. 474. *maxima atque* > *sempiterna.* Concinne *inveteratis familiaritatibus* opponuntur in gradatione *odia sempiterna.* Comp. 20, 5. pr. ibiq. annot.

§. 10. *Haec ita*] < *que* Bern. *habitaque* † D. 106. Pro *amicitiis* L. *α* *amicis*, ut h. cap. §. 6. pr.

diceret sibi videri] i. e. *ipsi videretur, ut dicebat.* Huius attractionis exempla sunt II. *or.* c. 45. pr. *Haec sunt illa, quae me ludens Crassus modo flagitabat, quae a me divinitus tractari solere diceret:* ubi tamen recentiores edd. praetulerunt lectionem *quum ea a me* etc. 62, 253. (absentem) *excusavit —, quod eum brachium fregisse diceret.* 70, 284. *quom — premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore — eius depasci agros publicos dicerent.* I. *ad Att. ep.* 1. sect. 3. pr. *agere coepit cum eius fratre Caninio Satrio de iis rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret.* I. *de divin.* c. 16, 29. *Appius civem egregium censor C. Ateium notavit, quod ementitum auspicia subscriberet,* ubi volgo substituitur *subscripserit.* Tibull. II. 5, 19. V. annot. ad Ascon. *in Cic. Or. pro Scauro* I. 1. *b.* ibidemq. *addenda* p. 130. nostrae ed. Ramshornii *Gramm. lat.* §. 195. 6. p. 624. sq.; sed non huc pertinent loca ibi allata praeter Cic. *fin.* I. 2. et 7. *ad fam.* VII. *ep.* 16. IV. *ep.* 12. *Phil.* II. 4. Reliquorum alia ratio est.

C. 11. *id*] > † L. *α*: — L. *β* *debeat* × *in amicitia* × *progredi.* Tres Palatt. *in amicitiam.* Cf. 16. pr.

§. 2. D. 106. † *Nunc, si;* Erf. *Numne si;* ed. vet. s. l. *Nonne* < *si.* L. *β* *Num, si . . ., ferre contra r. p. vel patriam illi debuerunt minime.* Hoc igitur libro quamvis interpolato confisus vv., quae volgo post *ferre contra patriam arma illi* addita leguntur, *cum Coriolano*, itemque v. *ferre* in Erf. omissum et cum D. 106. resecui adiectum volgo v. *debuere*, pro quo in Bern. L. *α* legitur *debuerunt*, in Goth. 117. *debuissent.* Infringitur verbo sic inculcato vis ἐπαναφορᾶς interrogativae *num*, in qua omnia debent referri ad commune verbum *debuerunt iuvare.* Cetera illa ab inepto interpolatore addita sunt, qui non videret *arma contra patriam* esse

num Viscellinum amici regnum appetentem, num Sp. Mae-
3 lium debuerunt iuvare? Ti. quidem Gracchum, rem publi- 37
cam vexantem, a Q. Tuberone aequalibusque amicis dereli-
4 ctum videbamus. At C. Blossius, Cumanus, hospes familiae vestrae, Scaevola, quom ad me, qui aderam Laenati et Rupilio consulibus in consilio, deprecatum venisset, hanc, ut sibi ignoscerem, causam afferebat, quod tanti Ti. Gracchum fecisset, ut, quidquid ille vellet, sibi faciundum pu-

---

ipsius Coriolani arma hostilia et pro *bello impio ac scelesto* dici: quod multis rebus poterat *iuvari* ab amicis, plus certe factionibus aut proditione, quam si *arma illi tulissent cum Coriolano*. V. *pro Balbo* 9, 23. *qui nostros duces auxilio laboris*, *commeatus*, *periculo suo* *iuverit*. Cf. infra 12, 9. f. Quamquam ibi legitur *adiutor contra patriam:* tamen advertere certe nos debet lectio illa *contra rem publicam*, cum part. *vel* indicium sit adiunctae interpretationis *patriam* ex obs. ad 10, 4. f. V. tamen Gellii I. 3.

Viscellinum] Sic scriptum in *fastis* Cuspiniani. V. Sigonii *comment. ad fastos* p. 10. L. α *Vebellinum*, β *Betellinum* (ut fere in Dione reperitur Βετιλλῖνος). Erf. et Schwarzii Altf. cod. *Becellinum*. Bern. *becillimam*. D. 106. *imbecillimum*.

num Sp. Maelium] L. β *non amelium;* Erf. *num Emilium;* L. α *num Amelum;* D. 106. *num amellinum;* Bern. *num emilyum;* ed. vet. s. l. *non emilium*. — bRl. γ *adiuvare* ×. *debuerunt*.

§. 3. *et aequalibus amicis* L. β. ed. vet. s. l. ut 4, 3. pro *et alii* L. α *aliique*. H. vero l. Ox. *E aliisque amicis*, ut haec adiectio suspecta fiat, licet A. Manutius hunc pluralem ad *M. Octavium* referat, qui etiam adversarius Ti. Gracchi factus est: quem ipsum potius, si significare vellet, memorasset Laelius. Sed habuit ille alios socios. Cf. 11, 13. Hic vero uni *Q. Tuberoni* opponi videtur unus *C. Blossius*. — L. β *videbamus* × *derelictum*.

§. 4. *Ac G.* L. β et cum D. 106. Erf. L. α *Biesius*. Bern. *byssius*. Id. cum L. α et Schwarzii Altf. cod. *fam. nostrae* × ed. vet. s. l. *nostrae familiae*. Pro *qui* bRl. δ, ε *q°;* D. 106. *quo;* Bern. L. α, bRl. γ *quod;* L. β *qui eram*, sed superscriptum *ad*. — Bern. Erf. L. α, β, ed. vet. s. l. *Lenate* †. D. 106. *Lenata*. Id. cum ed. vet. s. l. *et Rutilio* †.

ignoscerem] Erf. *ignoscerent*, np. consules. Ergone Laelio intercessore ac deprecatore usus erat Blossius? At ipse Laelius sententiam laturus erat. Videtur igitur reus singulis iudicibus supplex factus fuisse. Ed. vet. s. l. *ut sibi hanc cognoscerem causam*, *afferebat* †. — D. 106. *Tiberium* * < *Gracchum*. Habet solius praenominis usus quandam amoris significationem.

5 taret. Tum ego, „Etiamne, si te in Capitolium faces ferre vellet?“ — *Numquam*, inquit, *voluisset*. — „Sed, si
6 voluisset?“ — *Paruissem*. — [Videtis,] quam nefaria vox! Et, Hercle! ita fecit; vel plus etiam, quam dixit: non b.
paruit enim Ti. Gracchi temeritati, sed praefuit; nec se comitem illius furoris, sed ducem praebuit. Itaque hac amentia, quaestione nova perterritus, in Asiam profugit; ad ho-

---

§. 5. *Tum ego* < ed. vet. s. l. *inquam*, quod v. ab aliis post *Etiamne* interpositum nostri codd. non agnoscunt. L. *α* *Etiam* < *ne*.

inquit] > unus lib. Manutii. Solet sane diverbiis abrupte se excipientibus a male sedulis librariis interponi *inquam, inquit*. Sed facile hoc verbum potuit absorberi praecedente *Numquam*. Septem al. libri Manutii et ed. vet. s. l. *N.* (< *id quidem* D. 106.) *inquit*, (< L. *β* *ille*) *voluisset* < *id quidem* volgo. Sed praecise respondetur, ut hic ex antecedenti interrogatione subaudiatur: *me in Capitolium faces ferre*. Vnde omnis vis instandi atque urguendi perierit, si seqq. incisa connexueris sic cum L. *β*: *si id voluisset, inquit, paruissem*. Stultus profecto fuisset Blossius, si Laelio non instante ulterius commisisset tamen, ut in eo dici posset, *si tacuisses, philosophus mansisses*, cuius perseveranti interrogatione compressi nihilo secius desiderat prudentiam Valerius Max. IV. 7, 1. qui tamen quaeri potest legeritne iam interpolata antecedentia, sic exhibens: *Numquam istud, inquit, Gracchus imperasset*.

videtis] Ox. *x* *videte*. Post *quam nefaria* (L. *β* *nefanda*) *vox* < Ox. E *est*. Haud dubie ille, qui primus cod. (nescio, quem) antiquiorem sic interpolavit, supplevisset potius *sit*, si iam tum reperisset *videtis:* quo relecto gravior videtur simplex exclamatio: quae etiam transpositioni locum dedit in Schwarzii Altf. cod. *nefaria vox hercule. et ita fecit*. Cf. 19, 1. f.

§. 6. *hercule* cum eod. cod. Erf. Adiecto quidem Pron. *me* in antiquissumis codd. palimpsestis ubique scribitur *Hercule*, e. g. *de re p.* I. c. 9. 19. 38. — Bern. *etiam* × *plus* — *paruit enim* Erf. × D. 106. L. *β* *enim paruit* < *ille* volgo. — L. *α* < *nec se . . praebuit* — L. *β* *hac dementia*. Ed. vet. s. l. *hec amititia* — L. *α* *et* > *quaest. nova* × Bern. *nova quaestione*.

in Asiam profugit] Ox. *σ* *in A. profugus* > Ox. *ψ*. Quid igitur, si haec ab interpolatore addita sint ad interpretandum verbum praecedens, pro quo scriptum rectius legeretur *proterritus*, ut aliis locis? V. Wunderi doctam et acutam *praefat.* ad *VV. LL. Cic. ex cod. Erf. enotatas* p. LXXVI. s. cl. I. *de re p.* 3. *Themistoclem patria . . . pulsum atque proterritum, . . . in barbariae sinus confugisse*. — Ed. vet. s. l. *et* > *ad hostes*. D. 106. L. *β* *ad hostem*.

stis se contulit; poenas rei publicae gravis iustasque persol-
7 vit. Nulla [igitur] excusatio [peccati], si ami-
ci causa peccaveris. Nam quom conciliatrix amici-
tiae virtutis opinio fuerit: difficile 'st amicitiam manere, si a
8 virtute defeceris. Quod si rectum statuerimus vel concedere 38
amicis, quicquid velint, vel impetrare [ab eis], quicquid
velimus: perfecta quidem sapientia simus, si nihil habeat res
viti. Sed loquimur de his amicis, qui ante oculos sunt, quos
vidimus aut de quibus memoriam accepimus, quos novit vita
9 communis. Ex hoc numero [nobis] exempla sumenda [sunt],
et eorum quidem maxume, qui ad sapientiam proxume acce-

---

§. 7. *Nulla*] Vim. < *est* volgo > Eyb: *enim* pro *igitur* < *est* L. *a*. Part. *enim* confirmaret *iustas poenas solutas esse.* Sed v. 12, 2. Pro Gen. *peccati* Ox. E *reatus*. Ad sententiam cf. Plutarch. *de amico et adul.* c. 23. pr. p. 64. C. ad f.

conciliatrix] L. *α conciliatio.* — L. *β opinio sit.* — Ciz. b < *est.* — L. *β ut* pro *si*, ubi Eyb: *amicitias permanere, si a virtute deflexeris:* quod verbum rectius, quam h. l., adhibetur 12, 4.

§. 8. *ab eis*] L. *α* pro volg. *ab iis.* Sunt haec suspecta. Nam duo Manutii libri *ab ipsis;* al. *ab amicis;* cum al. Eyb: *ab his* × Bern. *ab his impetrare.* Cf. infra §. 12. Plutarchus l. modo l. reprobat Gorgiae sententiam: Ὁ φίλος αὐτῷ (αὐτῷ?) μὲν ἀξιώσει τὰ δίκαια τὸν φίλον ὑπουργεῖν, ἐκείνῳ δ' αὐτὸς ὑπηρετήσει πολλὰ καὶ τῶν μὴ δικαίων.

velimus] L. *β dixerimus* — L. *α sapientia* × *quidem.* Pro Optativo *simus* (qui eodem modo ponitur 26, 2.) Bern. D. 106. L. *α*, bRl. *γ*, *ε*, ed. vet. s. l. Eyb: *sumus.* — L. *α habet* × L. *β res nihil habet* × D. 106. *nihil res habeat.* Itaque de voc. *res* addubites, ut 8, 4. et post *nihil* obliteratum suspicere Pron. *id.* Canterus *novv. lectt.* VII. 14. in Gruteri *thes. crit.* III. 1. p. 670. coniecerat transp. *perfecta quidem sapientia si simus, nihil habeat res vitii.* Sed indicatur *sapientiae* specimen spectari in eo, si talis amicitia non sit vitiosa nec quicquam delibet de honestate. Cf. c. 17. pr. *off.* III. 10, 44. s.

de his] Sic L. *β* (cuius contextus < *de his . . . videmus aut*) in marg. cum ed. vet. s. l. pro volg. *de iis* et cum ead. ac L. *α*, D. 106. *quos videmus.* — Tum hi quatuor, Bern. et Erf. cum volg. *aut* > *quos novit.* Sed generaliter hic compraehenduntur, quorum modo duplex genus distinctum fuerat.

§. 9. *nobis numero* Goth. 48. × *nunc nobis* ed. vet. s. l. in cuius exemplari bibl. Paul. manus V. D. inseruit *numero.* — L. *β modo* > *sunt* × *sumenda.*

10 dunt. Videmus Papum Aemilium C. Luscino familiarem fuis- 39
se (sic a patribus accepimus), bis una consules, collegas
in censura; tum et cum his et inter se coniunctissimos fuisse
11 M'. Curium, Ti. Coruncanium [memoriae proditum 'st]. Igi-
tur ne suspicari quidem possumus quemquam horum ab ami-
co quicquam contendisse, quod contra fidem, contra ius iu-
12 randum, contra rem publicam esset. Nam hoc quidem in ta-
libus viris quid attinet dicere, si contendisset, impetraturum
non fuisse; quom illi sanctissumi viri fuerint, aeque autem

---

§. 10. *Vidimus* † Bern. D. 106. iidemque cum Erf. L. α, β, bRl. γ, δ, ε, ed. vet. s. l. *Paulum* v. *Paullum*. — bRl. δ, ε < *Aemilium*.

C. Luscino] *C.* > Erf. L. α, bRl. γ, δ *Luscino*; Bern. D. 106. *Lucino*; L. β, bRl. ε *Lucilio*. A nuda Part. *sic* paulo abruptius incipiens parenthesis offendisse videtur Goerenzium l. l. p. 305., quum observasset V. D. alibi fere *enim* ascitum, ut supra 1, 13. *or.* 5, 18. *Tusc.* I. 7, 14. Itaque suspicere scriptum fuisse *sic̄*, i. e. *sicut*, vel *sic n.*, i. e. *sic enim*.

consules] Bern. L. β < *et* volgo. Ἀσυνδέτως; collegarum illud nobile par arctius etiam copulari sentimus aeterno quodam nodo.

cum his] Bern. L. β pro volg. *cum iis*. — Erf. *marcum* (Bern. *m.*) *Curium*. Deinceps volgatur *et* > (Erf. L. α, bRl. γ, δ, ε, ed. vet. s. l.) *Ti.* L. β, Olivet. *Titum* †. Bern. *t. coruncarium memoriam prod. e.* Vim. *memoria proditum est*, quam constructionem Ciceroni *de re pub.* II. 31. post Ang. Maium p. 192. (*a.*) vindicavit Moser. ed. nov. p. 302. D. 106. *memoriae traditum* (L. α <) *est*. Nos haec vv. non extare accipimus in cod. aliquo Guelpherb. Sic omnis constructio pendet a superiore v. *videmus* v. a formula: *a patribus accepimus:* quae, quamvis parenthesis, certe cogitando iterari possit.

§. 11. *Ergo* L. β. — Ed. vet. s. l. *nec s. q. possimus*. — D. 106. < *horum*. Sequitur volgo *quippiam*, pro quo correximus *quicquam*, ut recte Heindorfius ad III. *N. D.* 4, 11. pr. locum *in Verr. act.* II. l. I. c. 10. f. ubi non satis apposite ab ed. comparatur eiusd. or. 21, 54. pr. *vereor, ne* . . . *cuipiam:* quippe quae formula affirmet. — Pro *contra fidem* D. 106. *confidere*. Cf. *off.* III. 10, 43. ss.

§. 12. *haec quidem* edd. quaedam. > Ox. *v.* V. 15, 9. Ego vero suspicor lectioni, quae est in L. α, *hic quidem*, ab interprete ascriptum *in talibus viris:* nisi forte notio haec primaria Pronomini interrogativo cum emphasi praemissa offendit nescio quem librarium, ut traiiceretur sic in D. 106. *quid attinet* × *in talibus viris*. Sed otiosiora fiunt haec vv. propter seqq. *quom illi* etc. Quamquam adiicitur passim talis ἐπεξήγησις, ut 9, 2. f.

impetraturum non fuisse] < *scio* L. β × bRl. δ, ed. vet. s. l. *scio* (D. 106. *Scipio*) > *imp. non f.* Cf. not. crit. ad h. c. §. 10. f. — < Ed.

13 nefas sit tale aliquid et facere rogatum et rogare? At vero Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo, C. Cato, et minu-
12 me tum quidem Caius frater, nunc idem acerrumus. Haec igitur lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpis nec faciamus rogati.

---

vet. s. l. *fuerunt* pro *fuerint*: < *tum* Bern. — *et* > † Ciz. ante *facere rogatum*.

§. 13. *Ac non* † L. *a*. — *tiberinum* † Erf. — ∾ *sequebatur* L. *a*. Cf. obs. ad II. *off.* 3, 12. p. 27. ib. 17, 59. *Dicebat idem Cotta*, Curio. Schelleri *obss.* p. 30. Matthiae ad *or. pro Mur.* 7, 15. f. Ex nova Olshausenii obs. 1. ad II. *lib. de or.* c. 7. „solent duo aut plura hominum nomina post se habere numerum pluralem; secus est verbo antecedente." Neutiquam secus est. Fefellit enim observatorem parum diligentem nec satis providum species exempli lib. II. c. 47. in f., ubi gratae negligentiae in familiari sermone imitator Cicero singulari numero usus dicit *vi pulsum ex templo L. Cottam*, quasi nihil praeterea adiecturus; sed ista elocuto in mentem venit addere *et T. Didium*; iam vero ad utrumque referendum sequi debebat plurale verbum: *quom intercedere vellent rogationi*.

et minume] Voculam *et* (> septem Oxx. D. 119 a. Ven. 477.) tuetur Goerenz. l. l. p. 305. coniungendam cum *tum quidem*, ut fere h. cap. §. 9., et quodam modo adversative positam. D. 106. L. *α*, *β* ∾ *tunc q*. V. obs. ad 4, 2. Cf. tamen 1, 13. *or. pro Tullio* §. 2. pr. 5. pr.

Caius] Schwarzii Altf. cod. *carus*. D. 106. L. *a carissimus*. < L. *β*. G. *carus* ✕ *C. frater carissimus quidem* ed. vet. s. l.

acerrumus] < *inimicus* L. *α*. Cum Ox. e Wetzelius *acerrime*. Madvigius *emendatt. in Cic. Acadd.* II. 27, 86. p. 181. ex hoc opp. membro ad praemissum Adv. *tunc* (sic enim scribit) *quidem minume* sensu anticipari volt Adiectivum *acer*, quod ipsum in cod. Erf. vocabulo *minime* additum testantur et Ern. et Lenzius. At vero hoc, C. Gracchum Tiberii fratris adhuc vivi sectatorem fuisse, historiae fidei repugnat. Ipse enim, quum Tiberius opprimeretur, sub Africani auspiciis ad Numantiam militabat; postea demum fraternae necis ultor extitit, ut recte admonuerat Wetzelius. Sic accipienda verba c. 12. §. 5. Cf. *divin.* I. 26, 56. quem l. respicit etiam Plutarchus in vita *C. Gracchi* c. 1. ad f. p. 835.

C. 12. *in amicitia* ✕ *lex* transponendo Eyb suspectam reddit sollennem paene huius dialogi interpolationem *in amicitia*. Cf. c. 13. pr. — Bern. Erf. † *sanctiatur*. — L. *α nec rog. r. t.* ✕ L. *β turpes res*. — Eyb: *neque faciamus*. — L. *α rogatum*.

2 Turpis excusatio 'st et minume accipiunda, quom in ceteris p.
peccatis, tum si quis contra rem publicam se amici causa 104.
3 fecisse fateatur. Etenim eo loco; Fanni et Scaevola, loca- a.
ti sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus rei
4 publicae. Deflexit iam aliquantulum de spatio curriculoque
5 consuetudo maiorum. Ti. Gracchus regnum occupare cona-
tus est; vel regnavit is quidem paucos menses. Num quid 41
simile populus Romanus audierat aut viderat? Hunc etiam
post mortem secuti amici et propinqui quid in P. Scipione ef-
6 fecerint, sine lacrimis non queo dicere. Nam Carbonem,

---

§. 2. *Turpis*] Erf. < *enim* Eyb cum volg. Sed neglegit hanc Part. gravitas orationis. Cf. statim §. 4. pr. 11, 7. pr. *T. excusatio* < *haec* L. β. — *acceptanda* † L. α. Pro *quom* D. 106. ed. vet. s. l. *tum.* L. α *ut*, idemque post *fecisse* × *amici causa.*

§. 3. ∼ *oporteat* × *prospicere* L. α.

§. 4. Volgo: *enim* > L. β *iam* > Bern. Cf. ad §. 2. — Ed. vet. s. l. *maiorum* × *consuetudo:* scilicet quo clarior fieret constructio *de spatio curriculoque maiorum:* de qua recte iudicarat Facciolatus. *Consuetudo* enim intellegitur ea, quae nuper admodum invaluisset, ut indicant seqq. §. 7. II. *off.* 3, 9. dicitur *lapsa consuetudo deflexisse de via.* Ad sententiam cf. libri V. *de re publica* fragm. I.

§. 5. *populus Romanus* × *simile* L. β. Pro *aut* Bern. D. 106. *vel.* — L. β *sui* > *propinqui.* Pro interrogativo *quid* Bern. *quod.*

in P. Scipione] Sic Bern. D. 106. pro volg. *in P. Scipionem.* Probavit illud item Goer. comp. *Phil.* XIV. c. 3. f. §. 9. pr. Sic e codd. l. VI. *ad fam. ep.* 6. §. 19. (ed. Bened.) corrigendum: *at in eius persona multa fecit asperius:* ubi *in e. personam* edidit ipse Cortius (§. 24.), qui tamen nostram rationem firmat ad III. 8, 8. Valer. Max. V. 1, 3. *Vnus tibi Romanorum videlicet Quinctius placet, in quo sceleste exerceas arma.* Cf. annot. ad §. 8. c. 19, 8. pr. L. α *in P. Nasicam* †. Ed. vet. s. l. *in P. Scipionem effecerint* × *Nasicam.*

effecerint] i. e. commiserint, ut in *Phil.* l. l. Schwarzii Altf. cod. *fecerint.* — D. 106. *lacrymis* × (ed. vet. s. l. <) *sine.* Nudus Ablativus impedimentum indicaret, sicuti cum Praepos. *prae.* Anastrophe vel poëtica est (ut ap. Lucret. III. 464. *morbis in corporis*) vel sequioris usus. V. Ramshornii grammat. Lat. §. 161. 3. 3) p. 380. et Seyferti *auf Gesch. und Krit. gegründete lat. Sprachl.* §§. 1166. 2657. — L. α, β, ed. vet. s. l. *nequeo* †. Sic loquitur Laelius tecte, ut supra 3, 7. f., de nece familiarissumi sui, Africani, cui, quod iure caesum Tib. Gracchum dixisset ac seditiosissumis triumviris solus restitisset, allatam vim ab impiis propinquis homines suspicabantur.

quoquo modo potuimus, propter recentem poenam Ti. Gracchi sustinuimus; de C. autem Gracchi tribunatu quid expectem, non libet augurari. Serpit deinde res: quae proclivius ad perniciem, quom semel coepit, labi-
7 tur. Videtis in tabella iam ante quanta sit facta labes. primo Gabinia lege, biennio [autem] post Cassia.

---

§. 6. *quoquo*] Bern. *quam*. L. *α*, ed. vet. s. l. *quoque*, *quem*. Sic etiam D. 106. Erf. L. *β* et deinceps cum Bern. *modo posuimus*. Schwarzii Altf. cod. *quo modo potuisset*. — Ed. vet. s. l. † < *recentem*. Cf. *Catil.* I. 9, 22.

sustinuimus] i. e. coercuimus; aliqua ex parte eius impetus atque conatus repressimus; satis ei restitimus et pares fuimus; ei non cessimus, sed depulimus eum a re p. metu, ne ipse eundem, quem nuper admodum Ti. Gracchus, reperiret exitum funestum.

de C. autem Gr.] Sic Bern. cum aliis codd. Goerenzii, quo auctore hunc ordinem vv. recepimus. × Volgo: *de C. Gracchi autem*. Praenomini et nomini etiam ibi, ubi non est talis, qualis h. l., oppositio, interponitur fere coniunctio, e. g. *orat.* II. 1, 1. *Brut.* 14, 57. 21, 81. *Rosc. Am.* c. 7. pr. *divin.* I. 26, 56. pr. *leg.* III. 9, 20. *off.* II. c. 12. f. *Cat. mai.* 17, 7. §. 60. Fortasse haec verborum structura librariis insolentior visa et praenominis una litera initiali notati cum Particulae compendio confluxus fecit, ut *autem* in tribus Manutii libris omitteretur. Quamquam alibi in comparationibus et distinctionibus supplere potius solet librariorum sedulitas Particulam adversativam a Cicerone omitti solitam; non facile tamen ibi etiam, ubi gentiles praenominibus distinguuntur, ut h. l.

libet] L. *α licet* †. — D. 106. < *res*. — Bern. L. *β*, ed. vet. s. l. *coeperit*.

§. 7. *Videtis autem in t. iam q.* ed. vet. s. l. × Tres Oxx. *autem* pro *iam*. L. *α Videtis etiam tabella illam iam q.* Dicitur *iam ante* I. *de re p.* 19. sed II. *off.* 8, 27. *iam antea*. — Ciz. b *sit labes* < *facta* D. 106. Hinc Vim. *sit labefacta* > bRl. *γ sit lues*. Sic L. *β* quoque; sed in huius margine: *facta labes*. Suspicaremur leg. *Videtis in tabella quanta labes*, ut 1, 6. f. 11, 6. pr., nisi aliquid scrupuli facerent seqq. *primo* etc.

b. autem post] × Ed. vet. s. l. *b. post autem*, ut Part. adversativa suspecta fiat. Legis Cassiae a Cassio Longino *de suffragiis* latae memoria extat in denariis, quorum imagines expressae habentur ap. Spanhemium *de usu et praestant. num.* p. 580. ed. a. MDCLXXI. Repraesentat quippe unus virum, qui tabellam litera *A* insculptam sinistra manu tenet, quasi in cistam, ut videtur, e viminibus contextam, ante se positam coniecturus. In altero denario tribunal conspicitur et ad eius alteram partem

Videre iam videor populum a senatu disiunctum, multitudinis arbitrio res maxumas agi. Plures enim discent, quemadmodum haec fiant, quam quemadmodum his resistatur.
8 Quorsum haec? Quia sine sociis nemo quicquam [tale] co- 42
natur. Praecipiundum igitur bonis, ut, si in huiusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existument ita se alligatos, ut ab amicis in re publica peccantibus non discedant;

---

tabella, literis *A C*, h. e. et absolutionis et condemnationis inscripta; ad alteram *urna* vel *sitella*, eaque, ut Wunderus putat in *praef.* ad *VV. LL. libb. Cic. ex cod. Erf.* p. CLXII., ad sortitionem iudicum: quae tamen haud dubie iam ante tabellariam legem obtinuerat. Populariter *legem Cassiam* laudat ipse Cic. in *Corneliana* „*principium iustissimae libertatis: qua lege suffragiorum vis potestasque convaluerit.*" V. ib. Ascon. Ped. p. 139. (ed. Gronov. p. 431. f.) et Heineccii *antiqq. Rom. iurisprudentiam illustrantium lib. I. append.* §. 31. p. 250. s. cum Hauboldi *epicrisi* p. 926.

Videre iam videor] × L. α *Videor iam videre.* Cf. *Catil.* IV. 6, 11. *Videor enim mihi hanc urbem videre . . . subito uno incendio concidentem.*

populum] < *rom.* D. 106. Cf. I. *de re p.* 19. *mors Tib. Gracchi et iam ante tota illius ratio tribunatus divisit populum unum in duas partis.*

multitudinis] Sic ἀσυνδέτως et nostri omnes et Goerenzii libri. *Multitudinis* < *que* volgo. Al. *et* > *multitudinis.* Ἀσύνδετα apta sunt verbis *videre iam videor*, sed, ubi id usitatius, in ἐπαναφορᾷ *divin. in Caecil.* 14, 45. pr. Regnat tamen ἀσύνδετον similiter in omni repraesentatione. Cf. *pro Sext.* 48, 103. *Tabellaria lex ab L. Cassio ferebatur. Populus libertatem agi putabat suam; dissentiebant principes, et in salute optimatium temeritatem multitudinis et tabellae licentiam pertimescebant.*

discent] D. 106. *discunt: quod* ἀορίστως idem foret ac *discere solent.* De sententiae veritate cf. *pro Sext.* 46, 99 — 48, 103. II. *off.* 8, 28. s. Goerenzio placuerat ante haec vv. non plene, sed colo tantum distingui.

§. 8. *Quorsum hoc?* L. α, β. *Off.* III. c. 16. f. §. 68. pr. fluctuant libri mss. inter *Quorsum haec?* et *Quorsus haec?* Post *nemo quicquam* D. 119 a. suspectum reddit *tale* transp. *conatur* × *tale.* Id. D. *Praecip. igitur* < *est* L. α × volgo: *Pr. est igitur.* Cf. 16, 13.

huiusmodi] Sic L. α, β pro volg. *eiusmodi.* — In Bernensi < *ignari* superscriptum. — D. 106. *aliquo* × *casu.* Cf. 21, 4. — Ed. vet. s. l. *se ita* × *ita se* < *esse* L. α.

in re publica] Sic e vet. libro Fulvii Vrsini pro volg. *magna aliqua in re* vel *magna aliqua re* (> cod. Duisburg.) *in rem publicam*, quod retinetur a Billerb., correxit Gernh. probante Halensi seulna grammatico,

improbis autem poena statuenda 'st: nec vero minor is, qui secuti alterum, quam is, qui fuerint impietatis duces.
9 Quis clarior in Graecia Themistocle? quis potentior? Qui

---

qui confert Horat. *serm.* I. 2, 63. Iisdem lectio *in rem publicam*, quae est etiam in L. *β*, nata videtur e compendio *R. P.* De constructione Praepositionis *in* cum Abl. comparatur Virg. *Aen.* X. 446. laudatis Cortio in Cic. *ad divers.* II. *ep.* 14, 2. Drakenborchio ad Liv. XXVIII. 43. Heldio ad Iul. Caes. *de b. G.* II. 32, 2. Cf. hoc ipso cap. §. 5. Mosero l. c. n. 62. p. 978. spuria videtur vox *publica*, nata ex eo, quod compendium *p.* adhaesisset a seq. verbi litera initiali, quum legeretur *magna aliqua in re peccantibus*, indidemque natas suspicatur ceteras interpolationes. bRl. *γ in magnam R. P.* D. 106. L. *α in magnam aliquam rem* < *p.* Bern. Erf. Schwarzii Altf. cod. bRl. *s.* In *δ* lit. *p.* erasa est. Ed. vet. s. l. *in magna aliqua in rem P.* Nisi vv. *in magna aliqua re* ascripta fuerint ab aliquo interpolatore, qui illud *in re publica* exempli causa κατ' ἐξοχὴν positum transferri voluerit in alias res gravioris momenti et patere latius: retineri possint ante haec vv. Neutra pluralia in Accusativo: *magna aliqua* aut certe, quod est in Ox. U et uno cod. Manutii *aliqua:* cuius Pronominis vim qui agnovisset, ascribere potuit *magna.* Tum aliis potuit videri interpretandum explanatius etiam: *magnam aliquam rem;* postremo a sciolo haud nimis attento praeponi *in.* Adiectivum vel Pronomen in Neutro absolute positum optume convenit verbo *peccandi.* Vsurpatur enim haec constructio I. *N. D.* 12, 31. pr. *eadem fere peccat. Parad.* III. 2, 5. *multa peccantur*, ut *non multa peccas* et *nihil peccare* in *or. pro Mur.* 29, 60. Verumtamen haec adiectio sane otiosa est in iis, qui *in re publica peccare* dicuntur audiuntque *impietatis duces.* Nec tamen opus est audaci Withofi cl. *ab amicis arma clam vel palam in re publica parantibus*, proposita in huius *kritt. Anmerkk. über Röm. Schriftsteller*, P. IV. (Dusseldorp. 798.) p. 142. s.

poena statuenda 'st] × D. 106. L. *β*, ed. vet. s. l. *statuenda est poena.* — Bern. et L. *β nec vero minor his.* — D. 119 a. Ox. *o secuti* < volgo: *erunt;* Erf. *erant;* Ox. *x sunt;* Ox. *v fuerint*, quod intelligitur e seqq. ubi volgo: *ipsi* > (tres codd. Manutii, Ciz. C. Ox. E. *o*) *fuerint;* Ox. L *fuerunt.* In Bern. *ipsi* superscriptum. D. 106. ed. vet. s. l. *ipsius.* Eleganter dicuntur *impietatis duces.* Cf. 11, 6. Dubites tamen, an hic Genitivus debeatur antecedentibus *improbis.* Nam Erf. *imperatis;* L. *β in peccatis.* Sed tanta est horum vocc. similitudo, ut parum distincte scripta permutari a lippis certe potuerint.

§. 9. L. *α Themistide* × *in Graecia.* — L. *α, β*, ed. vet. s. l. *a* > *servitute.* Bern. *Gr. liberasset* × *a servitute.* Spurium videtur hoc additamentum. Neque tamen v. *liberasset* iungo cum *bello Persico*, nam ita Ciceronem credo scripturum fuisse: *belli Persici terrore et periculis* v. *impetu.* Cf. *de re p.* I. c. 3. *Themistoclem patria, quam liberavisset, pulsum.* In *or. pro Sext.* 67, 141. *conservator patriae* praedicatur.

quom imperator bello Persico [servitute] Graeciam liberasset propterque invidiam in exilium [expulsus] eisset, ingratae patriae iniuriam non tulit, quam ferre debuit; fecit, quod XX annis ante apud nos Coriolanus. His adiutor contra patriam inventus est nemo: itaque mortem [sibi] uterque [conscivit]. Quare talis [improborum] consensio non 43

---

propterque inv.] L. *β* † *propterquod in inv.* Deinde et in aliorum plerisque et in nostris libb. omnibus legitur *expulsus esset*, vel ×, ut in bRl. *γ*, *esset expulsus;* in duob. Aldi *missus* (in al. *pulsus*) *esset.* Bardilius in Seebodii bibl. crit. nova 1826. VI. p. 602. comparat Corn. Nep. *Phoc.* II. 2. *in exilium erant expulsi.* Car. Langii ɔi. *isset* probatur Goerenzio, quem v. ad II. *Acad.* p. 24. s. Nos retenta lit. *e* inseruimus tantum *i* antiquam ὀρθογραφίαν secuti auctore Terentiano Mauro cap. *de syllabis* p. 1393.

EItur in sylvam, necesse 'st E et I connectere,
Principali namque verbo nascitur, quod est EO.
Non enim nunc addis E, sed permanet, sicut fuit.

tulit] L. *β* † *intulit; quam f. d. sed fecit*, superscripto Pron. *idem:* quod hic volgo adiectum excludit Palat. tertius, longe optumus liber. Solet autem abominatio sic praecise loqui nutuque tantummodo significare facinus atrox atque audax. In membro interposito Pron. *quam* pro Adverbio comparativo accipi posse videbatur Schellero *obss.* p. 243., cuius usus, ab h. tamen l. alieni, exempla collegit Berneggerus ad Iustin. XII. 8, 14.

annis ante] L. *α ante annis.* D. 106. ed. vet. s. l. *annos ante* cum Ox. U. qui cum Palat. 1. Vim. *apud nos* < volgo: *fecerat.*

mortem sibi uterque conscivit] Bern. Erf. *sibi mortem* etc. L. *α m. uterque sibi c.* Ed. vet. s. l. *m. sibi uterque attulit*, al. *ascivit* v. *accivit* v. *conquisivit* v. *constituit.* Deleto supplemento *sibi conscivit* v. *attulit* ex anteced. *inventus est* subaudies *invenit*, vel, si etiam voc. *uterque* cum Goth. 117. resecueris, *hi invenerunt:* in quo verbi dupliciter intellegendi lusu inest quidam sarcasmus de temeritatis illius exitu. Sed voc. *uterque* neglegi potuit propter vicinum *itaque.* De *Themistoclis morte* v. *or. pro Scauro* II. 3. ibique annotata et Valer. Max. V. 6. *ext.* 3. De *Coriolani morte* dissensionem Ciceronis cum Plutarcho in vitae cap. ult. 39. notavit Brodaeus *miscell.* I. 23. f. in Gruteri *thesauro crit.* vol. II. p. 463. Ex nostra lectione nulla est huiusmodi dissensio, quam tamen fuisse non negamus propter ea, quae referuntur in *Bruto* c. X. extr. et seq. Cf. *ad Att.* IX. *ep.* 10. ante med. *impie Coriolanus, qui auxilium petiit a Volscis; recte Themistocles, qui mori maluit.*

§. 10. *improborum*] Cod. Liliensis ap. Suffridum *impiorum:* ut Genitivus videatur interpretari Adiectivum *talis.* At vero, ut modo dictum est §. 8., *bonis*, non *improbis* praecipitur, *ut ne quis concessum putet* etc. Tum volg. *non modo* (> D. 119 a. neo) *excusatione amicitiae* (L. *α non so-*

excusatione amicitiae tegenda 'st, [sed potius omni supplicio vindicanda:] ut ne quis concessum putet amicum, vel
11 bellum patriae inferentem, sequi: quod quidem, ut res coepit ire, haud scio, an aliquando futurum sit. Mihi autem non minori curae 'st, qualis res publica post mortem meam
13 futura, quam qualis hodie. Haec igitur prima lex 44

---

lum accusatione) *tegenda* (Ciz. C. ed. vet. s. l. <) *non* (quae posterior negatio in Bern. superscripta a m. 2.) *est*, Ox. I. < ed. vet. s. l. *sed* (< volgo: *potius*) *omni supplicio vindicanda* × al. *vindicanda supplicio* × bRl. *sed potius supplicio* (< bRl. γ, δ *omni*; D. 106. *omnino*; L. α *iudicio omni*) *vindicanda est*. Erf *sed potius supplicio omni iudicanda* < *est* L. β. Comparari possit III. *off.* 6, 32. *Nulla enim societas cum tyrannis et* (ubi nonnulli libri *sed*) *potius summa distractio.* Sed totam hanc priori oppositam sententiam e §. 8. extr. petitam suspicor. Concinnius protasin simplicem simplex consequi videtur apodosis. Neque proxume ante poenae exemplum memoratum fuit, quo ipsa res publica ulta esset suas iniurias; et tamen hoc inde praeceptum duci videatur.

ne quis concessum] Sic nostri omnes et bene multi aliorum. Erf. *ne quis consensum.* L. α *neque concessum sibi* × volgo: *ne quis sibi concessum.* Sententia haec generaliter valere debet.

amicum vel] L. α *amici causa:* quae varietas suspectum faciat *amicum*, quum statim praecesserit *excusatione amicitiae.* D. 106. L. β, ed. vet. s. l. < *vel.* Ponitur pro *adeo*, ut III. *leg.* 10, 23. *Iniqua in omni re accusanda praetermissis bonis malorum enumeratio vitiorumque selectio. Nam isto modo vel consulatus vituperatio 'st:* quae est vera cod. Dresdani lectio.

coepit ire] ∾ bRl. γ, δ, ε, D. 106. Erf. L. α *ire* × *coepit.* L. β *ire coeperit* × ed. vet. s. l. *coeperit ire.*

haud scio, an aliquando] V. Excursus II. — D. 106. *minoris curae est.* Eandem curam ostendit Laelius in III. *de re p.* c. 29. f.

futura] Erf. cum duobus Victorii libris < volg. *sit*; L. β *fut. fuerit.* Item Goth. 117. Ox. E. *quam qualis hodie* < *sit* volgo × Eyb: *qualis sit hodie*, quod probabat Goerenz. l. l. p. 306. Adverbii in clausula positi comparans exemplum e X. *ad fam. ep.* 24. §. 11. *quod vivit Antonius hodie.*

C. 13. † *Hoc igitur* L. α. — V. *sanciatur* suspectum reddit Pal. 2., qui eodem loco habeat *sit*. Id Goerenzio placet in principio ponere: *Sit haec igitur*, cui verbum detractum sit adhaesione ad ultima superioris capitis verba. Equidem subaudierim *inventa 'st* vel, quum *prima* praedicati locum obtineat, ut recte vidit Gernh., simpliciter *est.* Vv. *amicitiae* (vel, ut Eyb legit, *in amicitia*) *sanciatur* e prioris capitis initio hic repetita suspicor. Sed propter id ipsum, quia hic respicitur ad legem ante iam sanctam, lex illa hic denuo sanciri ne potuit quidem. V., sis, quam longe

[amicitiae sanciatur], ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus. Nec expectemus quidem, dum rogemur: studium assit, cunctatio absit. Consilium [vero] dare audeamus libere; plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas: eaque et adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed [etiam] acriter, si res postulabit; et adhibitae pareatur.

2 Nam quibusdam, quos audio sapientis habitos in Grae- 45

---

aliter Cic. lib. III. *de off.* ad formulam a se c. 5. pr. positam identidem revertatur, e. g. c. 12. pr. — *prima* > *lex* 2 cdd. Manutii.

petamus] < *et* † L. *α*, excerpt. Lips. Eyb. > Bern. *petantur.*

Nec] Sic Bern. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. Eyb. Cf. obs. ad 7, 5. D. 106. cum volg. *ne.* Sed non possunt haec *ἀσύνδετα* praecepta pendere a superiore *ut.* Itaque Modos hortativos plena interpunctione a superioribus distinxi.

dum] Ed. vet. s. l. *quid diu.* — L. *β sed* > *studium* et cum ceteris *semper adsit* (Erf. Eyb: *assit*) × D. 106. *adsit* (L. *α* <) *semper.* — Erf. L. *β cunctatio desit.* Cf. 24, 7. ad f. Isocrates *ad Demon.* c. 9. §. 6. *Οὕτω δ᾽ ἂν ἄριστα χρήσῃ τοῖς φίλοις, ἂν μὴ περιμένῃς τὰς παρ᾽ ἐκείνων δεήσεις· ἀλλ᾽ αὐτεπάγγελτος ἐν τοῖς καιροῖς αὐτοῖς βοηθῇς.* Plutarch. *de am. et adul.* c. 23. p. 64. D. *ὁ φίλος τοιοῦτος· ἂν μέν τις ἢ δαπάνην ἢ κίνδυνον ἢ πόνον ἔχουσα χρεία καταλαμβάνῃ, πρῶτος ἀξιῶν καλεῖσθαι καὶ μετέχειν ἀπροφασίστως καὶ προθύμως· ὅπου δὲ πρόσεστιν αἰσχύνη μόνον, ἐᾶν καὶ φείδεσθαι παραιτούμενος.*

vero] Gradationem adiuvat haec Part.; sed h. l. insiticia videtur. Nam Bern. L. *α vere.* L. *β*, ed. vet. s. l. Eyb: *verum.* Goth. 117. *autem.*

audeamus] Sic bRl. *γ*, Ciz. A probante et Gernh. et Goerenzio p. 306. Bern. *gaudemus;* sed correctum est *gaudeamus*, quod hic volgatur. Ceterum ante hanc sententiam, non post eam, plenius interpungi iussit concinnitatis ratio, ut in sententia aliis tantum verbis iterata paria paribus responderent.

valeat] Ed. vet. s. l. *valet* † et cum L. *α eaque* (< *etiam* D. 106. In L. *β et* punctis notatur ut spuria) *adhibeatur.* — L. *α acriter* × *etiam*, quam Part. mallem omissam. Cf. obs. ad 10, 9. — *et adhibitae* < *auctoritati* L. *α*. De sententia cf. Plutarch. *de amico et adul.* c. 11. p. 55. B. ubi amicus, *ὅπου ἐπιστροφῆς δεῖται, καὶ λόγῳ δήκτῃ καὶ παῤῥησίᾳ κηδεμονικῇ καθαπτόμενος* dicitur.

§. 2. *Nam*] < *que* ed. vet. s. l. *Nam* hic habet vim excipiendi, ut *quidem*, eique respondet *sed.* — Ead. ed. *ut* > *opinor.* L. *β arbitror placuisse.* V. *opinor* ab Oliveto et Ochsnero ad *Cic. ecll.* p. 171. eodem mo-

cia, placuisse opinor mirabilia quaedam (sed nihil est, quod illi non persequantur suis argutis): partim, fugiundas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum solicitum esse pro pluribus; satis superque esse suarum cuique rerum;

---

do, ut v. *audio* h. l. et in *Cat. mai.* c. 13. pr., ad Laelii Graecam eruditionem dissimulantis personam eiusque saeculum philosophiae rude (teste Cic. *Tusc.* IV. c. 3. pr.) refertur. Cf. 23, 7. Mihi h. l. spectare videtur ad *mirabilia quaedam* (× D. 106. L. *a quaed. mir.*), ut indicet coniecturam, quid illi secuti tam perversa invenerint: nimirum novam sapientiam venditabant. *Παράδοξα* dicebantur non solum decreta Stoicorum abstrusiora, de quibus v. *parad. praef.* §. 7. (al. 4. pr.) *Acad.* II. 44, 136. *fin.* IV. 27, 74., sed nostrae etiam religionis mysteria, quum primum innotescerent, e. g. Photio *epist.* 165. et Chrysostomo *in* I. *Timoth.* 3, 16.

suis argutis] Sic bRl. *δ*. Nam D. 106. *suis* (> L. *a argutis* > bRl. *γ*, L. *β*, Schwarzii Altf. cod. ed. vet. s. l.) *argumentis.* > Bern. bRl. *ε*, Erf. *argutius:* quae Ernestina lectio probata Billerbeckio displicuit Mosero p. 983. Sapientiae speciem affectantes istos aculeis acutioribus repraehensionis argutioris argutius pungentiusque pungere voluisse videtur Nobbius, duplici lectione scitius, quam probabilius, coniuncta: *suis argutiis argutius.* Quamquam sic fere Ennius *Phoenice* ap. Non. c. II. n. 173. *Stultust qui cupida cupiens cupienter cupit.* Cf. insanientis sapientiae, quamquam alia in causa, repraehensionem l. II. *de divin.* 58, 119. Indicavi h. l. parenthesin: nam seq. *partim* cum Pron. *alios* (§. 3. pr.) quasi appositionem facit superioris Pronominis *quibusdam;* itemque ad *mirabilia quaedam* apponitur seq. oratio obliqua.

nimias amicitias] × L. *β amic. nimias,* h. e. non mediocres, sed quarum usu *nimis alienis implicamur.* Pro *ne* D. 106. *nunc;* ed. vet. s. l. *ut non.* Cic. *ad Att. II. ep.* 24. pr. *Non ignoro, quam sit amor omnis solicitus atque anxius.* Plin. Sec. *epist.* II. 9. *Anxium me et inquietum habet petitio Sexti Erucii mei: afficior cura et, quam pro me solicitudinem non adii, quasi pro altero me patior.*

esse suarum] bRl. *γ*, *s sibi* > *esse suarum* × Bern. D. 106. ed. vet. s. l. *esse sibi suarum,* quod tuetur Ochsner. ad Cic. *ecll.* p. 172. et Schmidtius in Seyferti opere gramm. (*auf Geschichte u. Krit. gegründete lat. Sprachl.*) §. 1993. annot. Sed exempla et ibi et §. 2750. allata docent in hac formula Dativum Possessivo constanter postponi: *suarum sibi:* non × *sibi suarum* < *curam* † D. 106. *Superque* post *satis* Grz. explicat *super quam satis est* et constructionem firmat exemplo Livii XXV. 32. *Spes erat satis superque ad id virium esse.* Est vero quaedam appositionis anticipatio pro *satis virium superque:* ut alibi *plus, amplius, minus ducenti, ducentorum* etc. dicitur, non sic praecise, ut integra oratione dicendum fuerit *plures, plurium, pauciores* etc. *quam duc.;* sed pro *duc.* cum

alienis nimis implicari molestum esse; commodissumum esse, quam laxissumas habenas habere amicitiae, quas vel adducas, quom velis, vel remittas: caput enim [esse] ad beate vivendum securitatem; qua frui non possit animus, si tamquam
3 parturiat unus pro pluribus. Alios autem dicere aiunt multo 46
etiam inhumanius, (quem locum breviter perstrinxi paulo p.
ante) praesidi adiumentique causa, non benevolentiae neque 105.
caritatis, amicitias esse expetendas. Itaque ut quisque mi- a.
numum firmitatis habeat minumumque virium, ita amicitias
4 appetere maxime. Ex eo fieri, ut mulierculae magis ami-

---

appositione *et plus*, *amplius* (h. e. *quod superest*, *excurrit* etc.), *minus* (h. e. *quod deest*) etc.

alienis] < ed. vet. s. l. *rebus*. L. *β* † *pro* > *alienis*. — L. *β et* > *commodissimum*. — Bern. *quam latissimas* †. Cf. Virg. *Aen*. I. 63. *Εὔλυτα στέργηθρα φρενῶν* vocat Eurip. *Hippol*. 256. unde haec expressa. Cf. Plutarch. *περὶ πολυφ*. c. 6. §. 24. p. 95. *E. F.* — Ed. vet. s. l. < *habere*. — Bern. *tibi* > *adducas*. — Ed. vet. s. l. *vel remittas* × *cum velis*.

caput] h. e. conditionem principem remque maxume necessariam. — Ox. *ν* < *esse* (quod in Bern. nonnisi superscriptum) < *dicunt* ed. vet. s. l. Infinitivo non magis opus, quam 10, 6. pr.

beate] Schwarzii Altf. cod. *bene* †. — L. *α non possit amicus, sed* × ed. vet. s. l. *non potest, si animus*. Part. *tamquam* mitigat audaciam poëticam in v. *parturire*, *ὠδίνειν*, ut 16, 12. *fin*. V. 22, 61. f. IV. 16, 43. *quodcumque — tamquam occurreret*.

§. 3. × Ed. vet. s. l. *aiunt dicere etiam multo*. Oxx. E, *ψ* < *etiam*. Seq. ammonitio, *quem locum breviter perstrinxi paulo ante*, respiciens ad c. 9. §§. 2. seq. 7., dubito an debeatur ludi magistro, qualis interpolavit citationibus suis superiora 2, 7. pr. 4, 10. pr. Certe L. *α* < *breviter*, cuius vis iam inest in verbo: idemque cum L. *β*, D. 106. Erf. *paulo ante perstrinxi* (ed. vet. s. l. *perstruxi*) × Bern. *paulo ante breviter perstrinxi*. Elegantius tamen, quam ut interpolatori imputem, dictum est *quem locum*, h. e. *quam sententiam*, *quod argumentum*. Cf. *Cat. Mai*. c. 9. pr. *Tusc*. I. 24, 57. med. Pro universo genere quaestionis *locus* dicitur *de div*. II. 1, 2. pr. II. *off*. c. 25. pr.

neque] L. *α nec*. — L. *β ut quisquis firmitatis habet*. L. *α habet*. D. 106. Erf. Bern. ed. vet. s. l. *haberet* †. — Bern. *minimumque iurium* — *expetere* †. Ed. vet. s. l. *appeteret*; L. *β appetet*; L. *α maximas* × *appetere*.

§. 4. *fieri*] < L. *β*. ed. vet. s. l. *puto* †. — Schwarzii Altf. cod. *amicorum praesidia*. — *Inopes* sunt, qui ipsi sibi non sufficiunt, sed indi-

citiarum praesidia quaerant, quam viri; et inopes, quam opu-
5 lenti; et calamitosi, quam ii, qui videntur beati. O prae- 47
claram sapientiam! Solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt: qua nihil a dis immortalibus me-
6 lius habemus, nihil iucundius. Quae [est] enim ista securitas? Specie quidem blanda, [sed] reapse multis locis repudianda.

---

gent aliorum auxilio, *imbecilli* (8, 2. 9, 2.); *opulenti*, qui florent *opibus*; potentes, quum multi iis praesto sint amici et clientes.

ii, qui videntur] Sic L. *α* cum antiquo C. Langii libro, in quo scribitur *hi*. Omiserunt haec vv. cum Lamb. nuperi edd., Langio iam suspecta, quum volgaretur: *ii, qui putentur* < Bern. *esse* cum ed. vet. s. l., in qua, ut in D. 106. Erf. L. *β*, itemque in uno Manutii libro (qui < *ii*), est Indic. *putantur*. Sic Cic. locutus est II. *N. D.* 37, 95. H. l. *qui videntur* (sup. *sibi*) *beati* i. valet ac II. *off.* 20, 69. *qui se beatos putant*, h. e. *qui copiis affluentes nullius se ope et patrocinio egere putant*, vel, ut Gernh. p. 216. in *add.* ad h. *Laelii* l. p. 101. interpretatur: *qui habent, quicquid ad commoditatem suavitatemque vitae pertinet.* Opponuntur *calamitosis*, h. e. aliquo infortunio pressis. Non igitur persuadetur nobis, interpolationum alias immisericordibus venatoribus atque extirpatoribus, haec a sciolo quodam nostrae religionis homine interpolata.

§. 5. *O praeclaram s.!*] Irrisio, qualis in *Tusc.* IV. 32, 69. *in Pis.* 25, 59. pr. 61. ubi hic audit *praeclarus Imperator. Catil.* I. 11, 28. *Praeclaram vero populo R. refers gratiam; pro Flacco* 6, 15. *ista — praeclara psephismata;* fragm. *or. in toga cand.* ap. Orell. Vol. II. P. I. p. 525. *praeclara dicentur iudicia tulisse, si, qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absolverint confitentem.*

e mundo] L. *β de m.* — Id. *ii* (L. *α hii*, D. 106. *hi*) > *qui* — Eyb: *de vita.* Pro *qua* Erf. *quia* et cum Bern. D. 106. L. *α, β* Eyboque *nihil a d. i.*, ut ἐπαναφορὰ postulat. × Al. *a diis imm. nihil.* Cf. 6, 1. *fin.* I. 20, 65. pr.

§. 6. *est* > Ciz. C. — Bern. *spe*, neglecto quippe compendio scribendi *spē*. — Bern. D. 106. L. *α, β*, bRl. *γ, δ*, ed. vet. s. l. *sed* (> bRl. *ε*) *re ipsa.* Vt *ipse, ipsa* etc. e Pronomm. ἴς, ἴα et ψὲ, sic voc. *reapse* compositum est e *re ea pse.* Opponuntur haec: *reapse, non oratione* I. *de re p.* c. 2. Part. adversativa *sed* sua sponte intellegitur praecedente Part. *quidem*, ut δὲ post μέν. Et quam saepe inculcata sit dici vix potest; sic fortasse 3, 5. f. ubi in Gudiano 2. substituta Particulis *verum etiam*, has ipsas suspectas reddit, comp. Liv. XXIIX. 39. med. *ut non modo nobis, ne posteris quidem timenda esset.* Gronovio quidem etiam in illo Livii l. eleganter omitti videtur XXXVI. 19. *Romanus equitatus ipsum quidem regem Elatiae adsecutus non est, sed magnam partem agminis op-*

Neque enim consentaneum, [ullam] honestam rem [actionemve], ne solicitus sis, aut non suscipere aut susceptam
7 deponere. Quod si curam fugimus: virtus fugiunda; quae necesse 'st cum aliqua cura res [sibi] contrarias aspernetur atque oderit: ut bonitas malitiam, temperantia libidinem,
8 ignaviam fortitudo. Itaque videas rebus iniustis iustos maxume dolere, imbellibus fortis, flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium 'st animi bene constituti, et laetari bonis rebus et
9 dolere contraris. Quam ob rem, si cadit in sapientem ani- 48
mi dolor (qui profecto cadit, nisi ex eius animo extirpatam

---

presserunt, dissentiente tamen Schellero in *lexico* p. 9944. s. v. *Sed* 2) n. *b*. Notabis praeterea h. l. ὁμοιοτέλευτον.

Neque enim] Sic ed. vet. s. l. < volgo: *est*. L. α *Nec enim est, ullam h. esse actionem, neve solicitus sit* †. Verbum *est* post istas particulas asseverate negandi tuebatur Grz. compp. *de or*. I. c. 50. pr. II. 28, 124. pr., quum contra I. *off*. 20, 68. sic struantur verba: *Non est autem consentaneum*. Sed dici, ut opinor, item potuisset, *Nec vero consentaneum*, verbo *est* omisso. Ciz. C. * <*ullam*. — Goth. 48. *rem* × *honestam*. Vnus Aldi Man. liber *actionemque*. Suspicor hanc esse interpretationem, quae e quibusdam libris exturbaverit *rem*. Neque de alia re, nisi de ipsa amicitia, adhuc intellego. Nam deinceps demum a minori concluditur ad maius.

§. 7. L. β *fugienda* < *est* volgo × ed. vet. s. l. *est fugienda*, ut II. *or*. 40, 171. pr. Sed v. *off*. I. 20, 6. f. (68.) *pecuniae fugiunda cupiditas*.

necesse 'st] < Ed. vet. s. l. *ut*; et tamen ead. statim post *ut* > *aspernatur* (sic). L. β *res aspernatur* × *contrarias*. Pron. *sibi* non desideravero equidem. Quamquam eius compendium post *s* facillume neglegi potuit.

§. 8. D. 106. † *de* > *rebus* — Eyb: *maximo* † *dolere*. Subst. *rebus* suspectum Mosero l. c. p. 983.: ut unius certe applausum tulerit Billerbeckius, lepide numerum, non modo concinnitatem, quaerens in notionum inter se oppositarum rationibus explicandis, ridente profecto Mercurio, facundiae praeside. Mosero autem coniectura a nobis ad II. *off*. 8, 29. p. 61. proposita et a Gernh. (cuius cff. p. 276. *addenda* ad p. 103.) codd. confirmata et nunc quidem a nobis etiam in Bern. inventa lectio *imbellibus* magis placet, quam denuo a Billerb. volgata: *imbecillibus fortes* > Erf. Etiamsi durius dicantur *res imbelles* et *flagitiosae*: tamen hic per zeugma dici potuerunt pro *imbellis animi ac libidinosi flagitiis*.

proprium] D. 106. ed. vet. s. l. *primum*. Vt hic *constitutus*, sic I. *off*. 4, 13. *animus bene a Natura informatus* dicitur, εὐφυής.

§. 9. *ex*] L. α *in* †. — Eyb: *extirpetur* †. Recte Ern. indicavit

humanitatem arbitramur), quid causae 'st, cur amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam suscipiamus
10 molestias? Quid enim interest, motu animi sublato, non dico inter hominem et pecudem; sed inter hominem et
11 saxum aut truncum aut quidvis generis eiusdem? Neque enim isti audiundi, qui Virtutem duram et quasi ferream

---

parenthesin, licet Pron. relat. resolveris in *et is* potius, quam in *is autem*, cum qua Particula assumptiva iterato eodem verbo confirmari in parenthesi solent antea conditionaliter posita, e. g. *off.* III. 5, 23. Perbrevia tantum incisa parenthesi exemerim, ut ib. I. 43, 143. *ea si maxima 'st, ut est:* ubi v. annot. t. I. p. 304.

arbitramur] Sic Eyb omnesque libri nostri. Al. *arbitremur*. Et sane interdum Optativus locum habet. V. Ramshornii grammat. Lat. in fine annot. ad §. 190. p. 593. Sed recte se habet Indicativus. Cf. *lib. II. in Verr.* c. 7. in f.

quid causae 'st] Sic e ɔi. correximus volg. *quae* (Eyb: *qui*, h. e. *quo pacto*) *causa est*, secuti similitudinem exempli a Goerenz. comparati ex l. *de invent.* 30, 70. f. cui adde *Tusc.* l. III. ab in. I. 32, 78. *Num quid igitur est causae —?*

cur] Ed. vet. s. l. *cū* (in exemplo bibl. Paul. V. D. manus correxit *ut*) *am. tollamus* × *funditus:* quod voc. in Goth. 48. labefactum iacet in margine. Comp. h. cap. §. 5. fortasse tollendum videatur, suspectum quadam tenus etiam supra 7, 6. Delectatur tamen hoc voc. Cicero, e. g. *fin.* II. 25, 80. *praecepta —, quae probas, funditus evertunt amicitiam; or.* 62, 209. (oratio numerosa) *tollit funditus veritatem et fidem*; VI. *ad Att. ep.* 1. sect. 4. ante med. *civitatem . . funditus perdidissem; pro domo* 13, 35. pr.

§. 10. × Bern. D. 106. Erf. L. α, β, bRl. γ, δ, ε *pecudem aut hominem.* Sic haud ineptus extiterit chiasmus rerum tum per gradationem tum per degradationem comparatarum.

sed inter] D. 106. *aut* et cum Erf. L. α, β, bRl. γ, δ, ε, ed. vet. s. l. *truncum aut* (Bern. *et*) *saxum*, quod praetulissem volgato ordini propter versum Homeri in *Od.* XIX. 163., nisi hic item mutato ordine expressus esset in *Acad.* II. 31, 100. *non enim* (sapiens) *est e saxo sculptus aut e robore dolatus.* — L. α † *aut quodvis eiusdem* × *generis.*

§. 11. *Neque enim isti*] Sic Bern. et unus Manutii liber. *Nec enim isti* < *sunt* L. α × D. 106. *Neque sunt en. i.* × volgo: *N. enim sunt i.* Cf. c. 15. pr. Alia ratio eorum est locorum, in quibus aut prima persona, ut I. *de or.* 29, 133. *neque enim sumus nimis auidi;* 48, 208. *neque enim sum de arte dicturus;* aut alia verborum structura, ut *off.* I. 35, 128. pr. ubi v. quae annotavimus.

quandam volunt. Quae quidem 'st quom multis in rebus, tum in amicitia tenera atque tractabilis: ut et bonis amici
12 quasi diffundatur et incommodis contrahatur. Quam ob rem angor iste, qui pro amico [saepe] capiundus est, non tantum valet, ut tollat e vita amicitiam; non plus, quam ut virtutes, quia nonnullas curas et molestias afferunt, repudientur.

---

quandam] Sic ed. vet. s. l. < *esse* L. β cum volg. >< L. α, bRl. γ, δ, Bern. Erf. *esse* *q u a n d a m* (D. 106. *q u o q u e*) *volunt* >< bRl. ε *e s s e volunt quandam.* Simplex Accusativus praedicati loco cum v. *volunt* iungitur c. 22. pr., ubi item Infinitivi transpositio interpolationem prodit. De Pron. *quidam* cum Particula *quasi* iuncto ad mitigandam verbi tralationem v. annot. ad *or. pro Scaur.* §. 21. et ad *l. off.* 9, 30. t. I. p. 67. Goerenz. ad *Acad.* I. 6, 24. p. 41. a. cl. h. dial. c. 21. pr. Censor Hal. h. l. interpretatur: *Denn jene sind nicht zu hören, welche verlangen, dass die Tugend hart und g e w i s s e r m a a s s e n w i e E i s e n s o f e s t sey.* Audacius hac tralatione usus poëta Ovid. *heroid.* IV. 14. *dabit victas f e r r e u s i l l e* (np. Hippolytus amatus Phaedrae) *manus.*

quae quidem] Bern. D. 119 a. et cod. Corradi in *quaestura* p. 315. < *est*, quod tuetur Gernh. propter opposita *esse volunt.* Haec vero opinionis vanae et veritatis oppositio gravior est expuncto ibi a nobis Infinitivo. Facile post *quidem* excidere potuit compendium verbi *est*, licet suspectius fiat, quum L. α post seq. voc. *tenera* denuo id inculcet.

quom] > Bern. < bRl. γ, ε *tum* cum ed. vet. s. l., quae cum L. α, β, bRl. δ *in* >< *multis.* — L. β *tum amicitia*, absorpta Praepos. *in* ab litera *m.* — D. 106. *ut* (< L. α *ex* pro *et*) *bonis.* < Ed. vet. s. l. *ut h o m i n e s et bonis* etc., np. ne desit Subiectum ad seqq. verba pluralia e volg. lectione *d i f f u n d a n t u r e t* (L. β *in* >) *incommodis c o n t r a h a n t u r.* Sed praeferendum ex uno Manutii libro duxi singularem numerum *diffundatur — contrahatur.* Vis et notio horum verborum praecipue a fronte deducitur. Frons enim *attrahitur*, *contrahitur*, *adducitur*, *conducitur*, *astringitur*, *constringitur*, *explicatur*, *diffunditur* (*διαχεῖται*). Exempla v. ap. Lipsium ad Tacit. *hist.* III. 7. et Gronov. *lectt. Plaut.* p. 175. cl. Cic. *N. D.* II. 40, 102. f.

§. 12. L. β *capiendus est* >< *saepe.* Adverbium insiticium videtur, ut 10, 3. ss. — bRl. γ † *in* > *tantum.* L. β *a vita amicitiam* >< ed. vet. s. l. cum Ciz. b et quatuor libris Manutii: *amicitiam e vita*, ut haec adiectio *e vita* videatur e superioribus h. cap. §. 5. 9. f. repetita.

non plus] < Ed. vet. s. l. *valet* †. — L. β *a u t molestias.* Cum hoc cap. abrumpitur codicis bRl. δ fragmentum, itidem ut codicis Ciz. C, qui uterque etiam in lectionibus saepe conspirat.

14 Quom autem contrahat amicitiam (ut supra dixi), si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet et adiungat: id quom contingit, amor exoriatur ne-
2 cesse 'st. Quid enim tam absurdum, quam delectari multis 49
inanibus rebus, ut honore, ut gloria, ut aedificio, ut vestitu cultuque corporis; animo autem [virtute praedito] eo, qui vel amare vel (ut ita dicam) redamare possit, non ad-
3 modum delectari? Nihil enim remuneratione benevolentiae,
4 nihil vicissitudine studiorum officiorumque iucundius. Quod 50
si [illud etiam] addimus, quod recte addi potest, nihil esse, quod ad se rem ullam tam alliciat et tam attrahat, quam

---

C. 14. *congruat amicitia* L. β † pro *contrahat amicitiam* < D. 106. ed. vet. s. l. *virtus.* — Bern. *si quasi.* Cf. *off.* I. 15, 1. (46.) *in quo aliqua virtutis significatio appareat.*

id quom] L. α *id tum, cum* — Bern. *contigit* pro *contingit* < L. α *ut.* Item ed. vet. s. l. *ut* (post quam Part. in exemplo Paul. bibl. manus docta superscripsit *ibi*) *amor exoriatur necessarie est.*

§. 2. *enim*] in Bern. videtur erasa. — *absurdum* < *est* — *rebus inanibus* Eyb × L. β *multis et inanibus rebus.* Cf. obs. ad 9, 5. pr.

ut] > Bern. ante voc. *gloria*, quam in exemplis ponendis ter deinceps iteratam Particulam L. β mutat in *aut.* Ed. vet. s. l. *et gloria . . . aut vestitu.*

animo — praedito] Erf. *animi — praedita.* D. 106. *praedito* × *virtute.* — Eyb: *atque* > *eo vel qui.* × Bern. *qui* (verbis *vel amare* dumtaxat superscriptis) *vel* (*vel* > ed. vet. s. l.) *ut ita dicam reclamare.* Eyb: *remeari.* L. α *reamari.* D. *redamari* [illegible] *possit* ed. vet. s. l.

§. 3. *Nihil enim*] Sic Goth. 48. < *est* ed. vet. s. l. × volgo: *Nihil est enim.* V. §§. 2. pr. 5. c. 5, 4. 8, 3. 21, 5. Cf. X. *ad fam. ep.* 5. §. 4.

§. 4. D. 106. *Quid* cum Bern. Erf. L. α, qui libri *illud etiam* × volgo: *etiam illud* × Goth. 48. *etiam addimus* (ed. vet. s. l. <) *illud.* Goer. suorum codd. auctoritate tuetur *illud etiam* comp. l. V. *ad fam. ep.* 2. §. 26. *Addam illud etiam,* quum Particulae *etiam* post *quod si* nullus sit locus. Solet autem a scribis suppleri, item ut Pron. demonstrativum.

esse] D. 106. *est.* L. β *enim* > *esse.* — Eyb: *ad rem se ullam tam* (et cum Bern.) *alliceat.* Erf. *tam* (> L. β) *illiciat.* — D. 106. *et* (< Bern. Erf. L. α *tam;* ed. vet. s. l. *at*->) *trahat;* L. β *et tam contrahat quam amicitiam.* — Bern. *concedent;* Eyb: *conceditur;* D. 106. L. β, ed. vet. s. l. *concedatur.* Ead. ed. *esse* × *verum.*

ad amicitiam similitudo: concedetur profecto verum esse, ut bonos boni diligant asciscantque sibi, quasi propinquitate
5 coniunctos atque natura. Nihil enim appetentius similium
6 sui nec rapacius, quam natura. Quam ob rem hoc quidem, Fanni et Scaevola, constat (ut opinor), bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam: qui 'st amicitiae fons a Natura constitutus.

---

ut] L. *β quod.* — L. *α boni* × *bonos*, ut I. *N. D.* c. 44. pr. Sed ne volgatus quidem ordo inusitatus; estque h. l. vis in obiecto amabili, ad se alliciente.

asciscantque] Eyb: † *accersantque.* Cum L. *β*, † *assistantque* ed. vet. s. l. eademque *coniuncti.*

§. 5. *Nihil autem* Ox. *e* pro *N. enim* Ox. E < *est* ed. vet. s. l. cum L. *α*, *β* × *N.* (Ciz. b <) *est enim* volgo. Cf. ad h. cap. §. 3. et *off.* I. 17, 56. in., propter quem l. e Bern. Erf. L. *α* ascivi *nec* pro *nihil.* Possit etiam istinc nonnemo suspicari legendum h. l. *copulatius:* nam Ox. E *nec reparatius;* L. *β similium sibi nec capacius.* Quamquam, ut quidem disputat P. Victorius *VV. LL.* l. XXVIII. c. 13. „*rapax* valet, quod studio et arte sive vi quadam sua et natura alliciat ad se quippiam, cuius desiderio teneatur. Cicero ostendere voluit naturam aliquo modo vim adhibere et cogere. Eodem pacto videtur cepisse *rapere* auctor carminis commendantis eximia quaedam poma: quod carmen legitur inter lusus in custodem illum hortorum. Est enim in eo: *Qualibus Hippomanes rapuit Schoeneida pomis.* Valet enim illic *rapuit* i. q. *conciliavit ipsam sibi ac benevolam reddidit* vel potius *invitam ipsam ac recusantem ad se vocavit.*“ Sed in comp. hoc loco *Priap.* XV. 1. Antonius restituit *cepit.* Rectius igitur defendas ex antecedd. *ad se tam alliciat tamque attrahat*, atque ex his interpretere: *quod appetentius apprehendat complectaturque.* Similiter loquitur Seneca *epist.* 95. med. *unde ista tam rapacia virtutis ingenia vel ex se fertilia?* h. e. *in bonum prona*, quod ibi sequitur. Cf. Plin. *H. N.* l. XXV. c. 2. sect. 2. pr. Id. XXXVII. c. 3. post med. sect. 12. sub f. succinum dixit *rapacissimum ignium*, ubi seq. explicatio *celerrime ardescens.* Sic *off.* II. c. 10. f. honestas dicitur *totos ad se convertere et rapere*, np. quasi Magnes ferrum.

§. 6. Erf. L. *β et* > *hoc.* — D. 106. Erf. *constet.* — Ed. vet. s. l. *et* > *inter bonos q.* (< *esse* † L. *α*) *necessariam* (< *esse* ed. vet. s. l.) *benivolentiam* bRl. *γ*, *ε*, Bern. Erf. Ox. E < *esse* volgo × L. *β benivolentiam quasi necessariam esse*, quem ordinem non omnino repudiarim, detracto quidem Infinitivo (cf. 4, 2.). Certe alliterationem consulto quaesitam videmus infra 23, 6. f. Verumtamen ad notionem primariam in clausula positam facilius se applicant seqq.

qui] L. *α*, ed. vet. s. l. *quae* †. — L. *β a natura* × *fons.*

7 Sed eadem bonitas ad multitudinem pertinet. Non enim inhumana virtus neque immunis neque superba: quae etiam populos universos tueri eisque optume consulere soleat: quod non faceret profecto, si a caritate volgi abhorreret.

8 Atque [etiam] videntur [mihi quidem], qui utilitatum 51
p. causa fingunt amicitias, amabilissumum nodum amicitiae tol-
106. lere. Non enim tam utilitas parta per amicum,
a.
9 quam amici amor ipse delectat: tumque illud fit,
quod ab amico 'st profectum, iucundum, si cum studio 'st profectum: tantumque abest, ut amicitiae propter indigen-

---

§. 7. Volgo ed. *etiam* (Ciz. A *et*) *ad m.* × L. *α ad multitudinem* (ed. vet. s. l. cum Ox. E. <) *etiam*, quae Part. = *simul* = *item* compensatur Pronomine *eadem*.

Non enim] Sic Ciz. A < *est* Bern. Erf. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. × volgo: *Non est enim*. In v. *immunis* nisi conspirarent plerique cdd. (Bern. D. 106. Erf. L. *α*, bRl. *γ*, *ε*, ed. vet. s. l.); Mosero l. c. p. 978. magis placeret gradatio per vocabb. *inhumana*, *immanis*, *superba* (h. e. ὑβριστής). Cf. Plaut. *trin.* II. 2, 75. 79. (349. 353.), ubi *immunis* primum dicitur, qui aliis bene facere recusat; deinde, *quoi nihil est, qui munus fungatur suum.*

populos] > L. *β*. Pro *optume* D. 106. † *oportune.* — Ed. vet. s. l. *abhorrent*. Cf. *de re p.* I. 2. *usus virtutis est maxumus civitatis gubernatio:* tum id. cap. in fine; cap. 7. in f.

§. 8. Volgatur: *Atque etiam mihi quidem videntur:* in qua lectione Grz. reiicit *etiam*, quae cum *atque* iuncta vim haberet intensivam: *ja sogar*. Ox. U substituit *et*. Nos praetulimus quidem lectionem Goth. 48. cum Goerenzio, interpretante: *ja es scheint mir wenigstens*, *als ob.* Sed D. 106. ed. vet. s. l. < *quidem*. Hinc Dativus quoque vagabundus ille exterminandus videtur mihi quidem. Alibi quoque suppleri solet ad v. *videtur*. Cf. 16, 5.

utilitatum] Sic D. 106. Erf. L. *β* pro volg. *utilitatis*. Goer. accipit pro *commodis* v. *opportunitatibus*, coll. 8, 3. 9, (§. 5.) 9. 20, 12. *fin.* I. 10, 34. *N. D.* II. 22, 58. Hic eo magis opus est plurali, ut conveniat ad *amicitias*. — *nodum* Bern. et L. *β* mutant in *modum* †. Cf. *Att.* VI. *ep.* 2, 1.

§. 9. *util. parata* ed. vet. s. l. × L. *α parta utilitas . . . fit illud . . . iocundum, si . . . sit profectum*. Bern. *est perfectum*. Similis est sententiae conformatio I. *off.* 9, 28.

abest] < *a veritate* ed. vet. s. l. Pro seq. *ut* L. *β quod*. — Ed. vet. s. l. *propter negligentiam*. Tum Bern. *maxime;* sed *que* superscripta.

tiam colantur, ut ii, qui opibus et copiis maxumeque virtute, in qua 'st plurumum [praesidi], praediti minume alte-
10 rius indigeant, liberalissumi sint et beneficentissumi. Atque haud scio, an ne opus sit quidem nihil umquam deesse amicis. Ubi enim studia nostra viguissent, si numquam consilio, numquam opera nostra nec domi nec militiae Scipio
11 eguisset? Non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta 'st.

---

virtute] Sic bRl. *ε*, Bern. D. 106. Erf. L. *β* < Lamb. *freti;* Goth. 117. *muniti;* volgo: *praediti* < bRl. *γ sunt;* L. *α sint.* Tum L. *β in qua plur. praesidii est* × volgo: *in q. pl. est praesidii* × Ciz. b *virtute, in qua praesidii est plurimum, praediti:* quae vera est lectio, si deleveris Genitivum. In quem Participium illud a sciolis corruptum quum esset in quibusdam libris: mox in aliis utraque lectio iuncta, in aliis accessit novum supplementum *muniti* vel *freti.* Cf. c. 9. §. 3., ubi est contrarium: *ut quisque minumum in se esse arbitraretur;* et obs. ad 22, 6. Similes locutiones sunt hae: *off.* II. 21, 75. *si quidem in illo tantum fuit;* Quinctil. *instt.* XI. 3. p. Bip. 304. *segnitia solvit animos et, in quo est aliquid, temporibus praefinitis aquam perdit.* Neque debet *virtutis* voc. interposito verbo communi, quod ceteros quoque Ablativos regat, a suo Relativo (*in qua* etc.) dirimi. — L. *β alterius* × *minime . . . . atque benefacientissimi;* Bern. *et beneficientissimi.* Quo minus hanc in L. *β* verborum structuram secuti omisso dubio illo Participio *praediti* corrigeremus: *qui opibus et copiis maxumeque virtute, in qua 'st plurumum, alterius minume indigeant,* obstare videbatur tum interiectio illa, *in qua 'st plurumum,* vix ad *alterius virtutem* spectans, tum comparatus locus e 9, 3.

§. 10. ∾ D. 106. Erf. *haut sciam* (L. *α* <) *an.* V. Excurs. II. Deinde volgatur *umquam omnino* × L. *α* (ut Cic. *pro Balbo* 14, 33.) *omnino* > *umquam* Bern. aliusque liber penes Goerenzium, qui interpretatur: *Ja ich weiss nicht ob es selbst gut seyn würde, dass Freunden nie etwas abgehe.* Nos *opus sit* interpretamur = *debeat;* ergo *ne opus sit quidem* = *non modo non optabile, verum etiam incommodum, quom vicissitudo studiorum officiorumque nulla sit.*

consilio] np. nostro. Nam Pron. commune a seq. Feminino attractum est. De re Plutarchus in *πολιτικοῖς παραγγέλμασι* c. XI. *οἱ γοῦν Σκιπίωνι βασκαίνοντες ὑποκριτὴν αὐτὸν ἀπεφαίνοντο τῶν πράξεων, ποιητὴν δὲ Λαίλιον τὸν ἑταῖρον· ὁ δὲ Λαίλιος ὑπ' οὐδενὸς ἐπήρθη τούτων, ἀλλ' ἀεὶ διετέλεσε τῇ Σκιπίωνος ἀρετῇ καὶ δόξῃ συμφιλοτιμούμενος.*

§. 11. *secuta est* bRl. *γ*, Erf. Bern., in quo tamen Praepós. *con* superscripta. Cf. 9, 5. *off.* III. 4, 19.

15 Non ergo homines deliciis diffluentes audiundi, si quan- 52
do de amicitia, quam nec usu nec ratione habent cognitam,
2 disputabunt. Nam quis est (proh deùm [fidem] atque hominum!), qui velit, ut neque diligat quemquam nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis atque [in] omnium
3 rerum abundantia [vivere]? Haec enim tyrannorum [est] vita: [in qua] nulla fides, nulla caritas, nulla [stabilis

---

C. 15. *Non ergo*] L. β < volgo: *erunt* × L. α N. *erunt ergo.* Cf. 13, 11. pr. — L. α, β *divitiis* et cum bRl. γ, Bern. ed. vet. s. l. *affluentes.* Sed *diffluere* dicuntur mollia, soluta, putria.

si quando] bRl. γ *si aliquando.* — Bern. *quam* < *nec.* Cf. II. *divin.* 5, 14. ubi haec sic disiuncta sunt: *quae praesentiri aut arte aut ratione aut usu aut coniectura possunt.*

§. 2. *proh deùm f.*] > Erf. *deorum fidem;* L. β (< *pro* voc. superscripta) *deorum fide;* bRl. γ *pro* (Bern. *proh*) *deorum fidem;* L. α *per deorum fidem et h.* × *proh deorum atque hominum* < *fidem* Eyb. < D. 106. *pro deum f. testor atque h.* Sic glossatores supplent ellipsin. Cic. in *or.* 46, 156. „*Proh deum*“ *dico vel* „*Proh deorum*“; et in *Oeconomici* fragm. ap. Donatum ad Terent. *Phorm.* II. 3, 4. ubi libri item addunt *fidem*, reclamante versu.

ut] = *ita* = *ea conditione, ut.* Cf. II. *fin.* 22, 71. ubi tamen Grz. p. 229. a. *ut* non incommode interpretatur = *licet.* Sic etiam II. *divin.* 17, 40. f. accipi potest.

nec] Eyb: *neque.* Cf. c. 12. pr. *ad divv.* X. *ep.* 11. §. 10. *off.* III. 33, 118. f. ibidemque obs. ad c. 29. pr. Bentlei. ad Horat. III. *carm.* 11, 43. — L. β < *ab.* — D. 106. *et* > *circumfluere* — L. α, β *in omni rerum* — Erf. *vivere* × *abundantia:* quae clausula certe numerosior est, quam volgata. Ecce vero Ox. π < *in;* Goth. 48. nonnisi in marg. habet *vivere* < *pauperrime* ed. vet. s. l. × Eyb: *pauperrime vivere.* Cf. 23, 6.

§. 3. *tyrannorum est*] Sic D. 106. melius certe, quam × aut volg. *est tyrannorum* aut Bern. Erf. ed. vet. s. l. *est enim tyr.* probante Goerenzio l. l. p. 307. propter asseverationem. Idem V. D. verbi utrovis modo positi vim interpretatione sic definit: ut *Haec enim est* etc. valeat: *Ein solches Leben, wie dieses, ist das bei Tyrannen; Haec est enim* etc. *Das ist nämlich der Tyrannen Lebensweise.* V. obs. ad III. *off.* 15, 62. pr. Particulam *enim* Hottingerus in *ecll.* p. 174. refert ad negationem in superiore interrogatione latentem: *Nemo profecto est, qui ita vivere velit.*

in qua] Ven. 477. Eyb < volgo: *nimirum* × Bern. D. 106. L. α, β, bRl. γ, ε, ed. vet. s. l. *nimirum in qua:* quae Erf. et Goth. 48. post secundum demum articulum (*nulla caritas*) inculcat. Supplementum, cuius apertum indicium est *nimirum*, gravissumum hunc locum enervat.

benevolentiae potest esse] fiducia; omnia semper suspecta at-
4 que solicita; nullus locus amicitiae! Quis enim aut eum di- 53
ligat, quem metuat, aut eum, a quo se metui putet? Co-
5 luntur tamen simulatione dum taxat ad tempus. Quod si for-
te (ut fit [plerumque]) ceciderint; tum intellegunt, quam
6 [fuerint] inopes amicorum: quod Tarquinium dixisse ferunt,

---

benevolentiae potest esse] × Eyb: *potest esse* (bRl. γ <) *benivolentiae*. Cum hoc Gen. iungendum Adi. *stabilis:* cui ab Ox. ν substitutum *tractabilis* potest sane movere suspicionem supplementi petiti e proxumis §. 4. extr. Vv. *potest esse* iam Grutero suspecta. Cf. infra §. 8. f.

omnia semper] < *sunt* ed. vet. s. l. — *solicita* < *sunt* D. 106. Eyb. — L. β *in hac* > *nullus locus* < ed. vet. s. l. *est* > *amicitiae* < *est* L. β. Haec omnia cum *tyrannorum vita* tamquam appositio iuncta sunt. Cf. *off.* III. 21, 84. Plutarch. in *Demetrio* c. 3. *Πάντη δυςκοινώνητον ἡ ἀρχὴ καὶ μεστὸν ἀπιστίας καὶ δυςνοίας.* Xenophon. *Hier.* 3, 11. *τοῦ πιστῶς πρός τινας ἔχειν ἐλάχιστον μέτεστι τυράννῳ.* Illustre exemplum huius solicitudinis nuper admodum cognitum notatur in Venturini annali huius ipsius saeculi de anno 1824. in libro 1827. edito p. 649. 654. Sic tu tibi, sancta Nemesi, constas!

§. 4. *enim*] Ed. vet. s. l. *autem* et cum L. α † < *aut eum* Cf. 23, 3. Pro volg. *metuit* Eyb *metuat*, ut bRl. γ, ε, Bern. Erf. L. α, β, Schwarzii Altf. cod., qui omnes item pro volg. *putat* cum D. 106. *putet* probante Zumptio. Nam Pron. rel. ponitur h. l. pro *licet*. Ochsnero laudatur I. Iohann. 4, 18. P. Syrus 37. *Amor misceri cum timore non potest.*

simulatione] < *amicitiae* ed. vet. s. l. ut 8, 3. Seneca *epist.* 9. *Hae sunt amicitiae, quas temporarias populus appellat:* quo sensu Corn. Nepos XXV. *Att.* 11, 3. *liberalitatem temporariam* dixit = *callidam.* Praecisae formulae *dum taxat* verba in antiquis monumentis puncto interposito dirimuntur.

§. 5. *Qui si* L. α et mox *plerumque* × *fit.* Ed. vet. s. l. *si* pro *fit.* Simpliciter dicitur *ut fit* in *or.* 53, 177. pr. Pro volg. *intelligitur* Eyb *intelligunt.* Cf. 22, 8. Sic L. α quoque aptius ad seqq., ubi scriptum habet *quam inopes fuerint* × volgo: *quam fuerint* (Ox. ο *fuerunt*, η *sint*) *inopes.* Xenoph. *Hier.* 3, 8. animadvertit *πολλοὺς τυράννους διεφθαρμένους . . ὑπὸ ἑταίρων γε τῶν μάλιστα δοκούντων φίλων εἶναι·* tum §. 9. quaerit: *πῶς ὑπ' ἄλλου γέ τινος οἴεσθαι χρὴ αὐτοὺς φιλεῖσθαι;*

§. 6. *quod*] Abundanter nexus faciundi causa additur hoc Pron., quum referatur ad universam sententiam, quae seq. *ἐπεξηγήσει* iteratur atque explicatur: cuius exempla cff. ap. Corn. Nep. XXV. *Att.* 18, 6. Cic. *de div.* II. 28, 62. pr. c. 41. f. V., sis, Creuzeri ad II. *N. D.* 9. p. 245. annot. 70. et nostram ad III. *off.* 31, 112. t. II. p. 396. Eadem ratio est

tum se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos,
b. quom iam neutris gratiam referre posset. Quamquam miror, illa 54

---

abundantis Pronominis *idem* v. *id* ap. Senecam *de provid. divina* c. 4. *Idem dicant, quicumque iubentur pati timidis ignavisque flebilia: „digni visi sumus deo* etc.“ Cic. *N. D.* II. c. 8. f. 1. *de re p.* c. 39. f. I. *Acad.* 4, 13. *Antiocho id magis licuerit, nostro familiari, remigrare in domum veterem e nova.* Similiter supra 4, 4. *id si ita 'st* explicari videmus epexegetica quadam attractione, annexa per *ut.*

tum] < *vere* Bern. *se* etc. < Erf. *verum* > *tum* bRl. *γ* > volgo: *exulantem;* cod. Pithoeanus *exsultantem;* D. 119 a. *exulem.* bRl. *ε tum, cum exulem esse.* Manca item constructione ed. vet. s. l. *tum exulem se esse intellexisset;* sed in exemplari bibl. Paul. manus docta correxit: *tum, cum exul esset, se intellexisse;* L. *α cum exulantem* (*β exulem vere*) *se intellexisset.* D. 106. *tunc, cum exulem esse se intellexisset:* Tum propter mirificam istam interpolationis varietatem, tum quod Tarquinii expulsio satis nota Romanis fuit eiusque significatio inest in proxumis superioribus verbis, *si forte ceciderint,* suffragiis et Hottingeri in *Cic. eclogg.* ed. II. p. 175. et Bardilii in Seebodii bibl. crit. nov. a. 1826. fasc. VI. p. 602. damnatum *exulantem* nihilo secius tamen ut vel retineamus vel reducamus rogant triumviri stlitibus grammaticis iudicandis Goerenzius l. l. p. 307., Moserus in Myrtilletano tribunali p. 378., cui videtur Participium per ἐπεξήγησιν adiectum, arbiterque Halensis in nunciis litt. 26. n. 179. p. 745. qui observat *tum* referri ad scriptoris rem praeteritam commemorantis tempus, compp. Virg. X. 445. (ubi v. Iahn.) ibidemque 533. Corn. Nep. VIII. *Thrasyb.* 2, 4. Liv. II. 30. laudatis Walchii *emendd. Liv.* p. 196. et de simili usu abundare visae Graecae Part. τότε, e. g. in Luciani *Timone* c. 3. pr., Krügeri *comment. de extr. part. Thucyd.* p. 297. Adde annot. nostram ad *or. pro Scauro* §. 22. Sed nos iam *exulem* codd. MSS., maxumeque Bernensis, stilo confiximus.

quom] L. *α*, ed. vet. s. l. < *iam.* Sed Goerenz. bene comparat VIII. *Att. ep.* 11. *cui tum, quom iam in armis essemus, consulatus alter — deferebatur.* Nos negativae sententiae exemplum indicamus ib. in l. VII. *ep.* 11. ad fin. *nihil iam concedendum putant Caesari.*

neutris] Bern. D. 106. Erf. *neutri. Referre gratiam* dicitur hic in utramque partem, ut valeat etiam = *ulcisci iniuriam,* ut *pro Sulla* c. 16. f. Cf. Ruhnken. ad Terent. *eun.* II. 3, 93.

illa] D. 106. L. *β in* (Bern. L. *α pro* †) > *illa.* Est Ablativus absolutus, ut 11, 6. *Parad.* II. §. 1. f. *de re p.* II. 3. *quod ei fuit illa manu copiisque facillumum.* Cf. Heusing. ad Corn. Nep. XVII. *Ages.* 5, 2. f. Pron. *illa* δεικτικῶς positum pro *tanta*, ut *pro Scauro* §. 33. De *Tarquinio superbo habito et dicto* v. *Phil.* III. 4, 9. *de re p.* II. 25. *rex ille primum optumi regis caede maculatus integra mente non erat et, quom metueret*

7 superbia et importunitate si quemquam habere potuit. Atque ut huius, quem dixi, mores veros amicos parare non potuerunt: sic multorum opes praepotentium exclu-
8 dunt amicitias fidelis. Non enim solum ipsa Fortuna caeca 'st, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa 'st. Itaque efferuntur fere fastidio et contumacia: neque quicquam insipiente fortunato intolerabilius [fieri potest].

---

ipse poenam sceleris sui summam, metui se volebat; deinde, victoriis divitiisque subnixus exultabat insolentia neque suos mores regere poterat neque suorum libidines; et quae seqq.

et] > Ed. vet. s. l. *Importunitas* est immanitas eius, qui aliis ultro aliquid *importat* mali negotiumque facessit. Cf. Moser. ad I. *de re p.* 40. *vides unius importunitate et superbia Tarquini nomen huic populo in odium venisse regium.*

si quemquam] Haec notioni primariae cum emphasi praepositae subiecta dubitationem indicant: ut ipsa formula *miror, si, θαυμάζω, εἰ* —, rem incredibilem: e. g. in Terent. *Andr.* I. 2, 4. Ochsn. citat intt. ad Marc. *evang.* 15, 4. Viger. *de idiot. Gr.* VIII. 6, 3. p. 505. — Bern. D. 106. Erf. L. *α*, *β*, bRl. *γ*, *ε*, ed. vet. s. l. *amicum* > *habere* < *amicum* Schwarzii Altf. codex.

§. 7. *ut* > L. *α*. *huius;* Bern. *eius.* — L. *α* < *veros.* Comp. var. lect. 16, 5. f. 10. pr. et c. 25. pr. suspicere interpolationem factam ex opposita supra §. 4. f. *simulatione.* Verumtamen concinnitas suadet, ut hic retineamus Adiectivum propter seqq. *amicitias fidelis.*

parare] Ed. vet. *parere* et cum Bern. D. 106. Erf. L. *α*, *β*, bRl. *γ*, *ε* *potuerunt* pro volg. *potuere*, quae forma ap. Cic. in prosa oratione vix usquam sana. — L. *α* *praepotentum* cum novem libris Aldi.

§. 8. × *Non e. fortuna ipsa solum c. e., sed etiam plerosque e. c.* L. *α*. × Eyb: *cecos efficit.* Cf. P. Syrus 232.

efferuntur] Bern. *perferuntur* et cum Erf. L. *α*, bRl. *γ*, *ε*, < volg. *illi* × Eyb cum D. 106. L. *β*, ed. vet. s. l. *illi efferuntur.*

contumacia] Ed. vet. s. l. *contumelia* †. — Bern. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. Eyb: *nec.* — Erf. * *insipienti.* — Bern. exhibens *fortuna* (superscripta tantum syllaba *to*, videtur inopportuno loco meminisse *Fortunae insanae* in Pacuvii *Duloreste* ap. scriptor. *rhetor. ad Herenn.* II. 23, 5.

f. fieri potest] × Excpt. L. *potest intolerabilius fieri* × Goth. 117. int. *potest fieri.* Suspicionem, quam haec vv. movent, non omnem tollit locus ab Ochsn. quamvis apte comparatus *epistt.* III. 7, 7. f. *Nec potest fieri me quicquam superbius;* et ib. XIV. *ep.* 1, 9. *amor in nos tantus est, ut nihil supra possit,* ubi tamen subaudias *addi*, ut plene loquitur Corn. Nep. XXV. in *Attico* c. 4. §. 1. f. Cf. huius cap. §. 3. 18, 4. f.

9 **Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commodis [fuerunt] moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari; sperni ab his veteres amicitias, indulgeri novis.**
10 **Quid autem stultius, quam, quom plurumum copiis, facultatibus, opibus possint, cetera parare, quae parantur pecunia, equos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa; amicos non parare, optumam et pulcherrumam vitae (ut ita dicam) su-**

---

§. 9. *hoc quidem*] abundat sic, ut attentionem dirigat ad seqq., ut 5, 5. *legg.* II. c. 7. pr. Lactantius in *epitome* c. 56. §. 5. *Potest hoc evenire, ut* etc. e Cic. l. III. *de re publica.* Pariter abundare videtur *Id* h. dial. 7, 14. pr. (ubi tamen simul refertur ad superiora) et *ad Q. fr.* I. *ep.* 1. c. 2. pr. *Quasi vero ego id putem, non te aliquantum negoti sustinere.* Similiter sequentium praenuntia est Particula *Sic* h. dial. 5, 12. pr. et in *VI. de re publ.* 24. (*somn. Scip.* c. 8.) post in. *Sic habeto, non esse te mortalem;* et *Ita*, de qua v. Ernesti *ind. latin.* vel in ipsius *claui* vel in Schützii *lex. Cicer.* — Bern. *hic quidem*, ut 11, 12. pr., et cum Erf. L. *α videri.* Sed v. *N. D.* II. c. 16. pr. *divin.* II. 41, 91. *off.* I. 14, 44. t. I. p. 110.

antea] L. *α ante commodis fuerant m.;* Bern. Erf. *c. fuerint m.;* ✕ D. 106. *fuerunt commodis moribus* ✕ bRl. *γ commodis moribus fuerunt.*

imperio, potestate] bRl. *γ imperiis.* Deinde Bern. cum duob. aliis penes Goerenz. Erf. L. *α, β*, ed. vet. s. l. *sperni* < volgo: *que.* Ἀσυνδέτως et hoc et seq. membrum subiecta sunt priori sententiae *eos — immutari*, quae utrumque compraehendit.

ab his] L. *α ab hys;* ceteri ll. nostri mss. quidem *ab iis.* — Ed. vet. s. l. cum bRl. *s indulgere.* Sic correctum in *γ* quoque, ut subaudias *eos:* quae constrnctio ab hoc παραλληλίσμῳ aliena; licet vv. passiva et activa alibi (ut *Aen.* III. 61.) iungi recte doceat Grz. ad I. *legg.* 21, 56. pr. — ∼ L. *α indulgeri novas.*

§. 10. *possint*] sp. *ii, quos Fortuna complexa est* §. 8. Ad quos cur haec referri nolit Ochsn. in *ecll.* p. 176., rationem non reddidit. — D. 106. ed. vet. s. l. *pecuniam* †. — L. *β egregiam vestem* ✕ Bern. *vestemque egregiam.* Hoc Adiectivum fortasse quispiam interpolatori acceptum tulerit comp. *parad.* VI. 3. §. 2. Intelleguntur autem tum ad cultum corporis pertinentes (14, 2.), tum stragulae vestes. *Vasa pretiosa* censentur *parad.* I. 3, 1. V. 2, 3. *or. pro Rosc. Am.* 46, 133. *caelatum aurum et argentum* ac *Corinthia opera.* — L. *α sed* > *amicos.*

non] Eyb: † *vero.* — Nonnisi comparationis causa, ut ipsa excusatio addita indicat, amicos dixit *optumam et pulcherrumam vitae supellectilem*, sicut Xenophon *memor. Socr.* II. 4, 1. ὡς πάντων κτημάτων

11 pellectilem? Etenim, cetera quom parant, cui parent, nesciunt, nec cuius causa laborent (eius enim istorum quicque,

---

κράτιστον ἂν εἴη φίλος σαφὴς καὶ ἀγαθός hunceque aemulans Lucianus in *Toxari* c. 62. de *amicitia* dixit: ἐγὼ οὐδὲν ἄλλο ἡγοῦμαι ἀνθρώποις εἶναι τούτου κτῆμα ἄμεινον ἢ κάλλιον· ut recte indicarit Gernh. p. 276. in *add.* ad p. 118. nihil hanc vocem habere invidiae, si nexum consideraris eorumque, quos Laelius perstringat, perversitatem utilitate omnia metiendi, neque premendas voces a proverbiali familiaris sermonis locutione ad amicitiam tralatas. Nimirum, ut hunc interpretem interpretemur, valet haec animadversio contra eum, quem Gernh. p. 278. in *add.* ad p. 154. a Iacobo in *prolegg. ad Luciani Toxarin* p. XXI. s. memoratum memorat, equitem de Gagern, qui in libri, quo morum historiae summam collegit (*Resultate der Sittengeschichte*) P. V. p. 60. et hanc comparationem perstringit et ipsum sermonem Latinum, quippe quo amicus admodum familiaris appelletur *necessarius.* Comparatus p. 33. Francogallorum vocabulo *nécessaire* receptaculum rerum futilium vilisque pretii, quarum usus multis sive ignotus sive supervacuus, significantium sermo est atque in partes vocatus, scilicet, ut Vir Perill. omen nominis magis ab indigentia, quam ab amore, ducti declararet: quae quidem attentissumum quemque lectorem facillumum est videre festivius ac lepidius, quam verius aut probabilius esse dicta; licet c. 23. pr. amicitiae et comparandae et colendae ratio dicatur *res maxume necessaria.*

§. 11. † *cum cetera parant* L. β >< L. α, Erf. ed. vet. s. l. *cetera cum parantur;* D. 106. *cetera* † *comparantur* et cum Bern. Erf. L. β, bRl. γ, ε, ed. vet. s. l. *cui parentur;* L. α, Eyb: *cui parantur.* — Ed. vet. s. l. *ne* † *cuius* — D. 106. Erf. L. α, Eyb: *laborant;* L. β *laboratur* †.

eius enim] Sic unus Aldi liber < *est* volgo: quo verborum ordine praeponderantem in Pron. vim Grz. l. l. p. 308. interpretatur sic: *dem nämlich gehört jedes von diesen Dingen an, der an Kräften überlegen ist;* praefert tamen ex libro suo, ut ait, optumo: *eius est enim* etc., ut alacrius dictum: *dem gehört ja jedes von diesen Dingen an;* et ipse dudum praetuleram ad I. *off.* 17, 54. Sed postquam comperi de illo Aldi libro, non dubito *est* proscribere. Sic praecise Virgil. *ecl.* III. 1. 2.

quicque] Ed. vet. s. l. *quisque;* sed in exemplo bibl. Paul. manus docta correxit *quicquid*, ut Bern. (< *qui*) D. 106. Deinceps L. α et Schwarzii Altf. cod. *vicit viribus*, h. e., qui superstes fuit et heres. Vincendo *fit* demum res victoris. Itaque vel propter hanc causam *est* volgo inculcatum offendit quadam tenus, nisi hic legatur *vicit.* Quamquam Praesens indicare potest victorem confestim potiri alienis bonis. Cf. *parad.* I, 1, 4. (7.) 3, 2. pr. (14. pr.) IV. 7. pr. (29. pr.) et venustissumum Venusinum vatem

qui vincit viribus); amicitiarum sua cuique permanet stabilis et certa possessio: ut, etiam si illa maneant, quae sunt quasi dona Fortunae, tamen vita inculta et deserta ab amicis, non possit esse iucunda. Sed haec hac tenus.

16 Constituendi [sunt] autem, qui sint in amicitia 56
fines et quasi termini diligendi: de quibus

---

serm. II. *sat.* 2, 129. — 135. Seneca *ep.* 88. ante med. *Cuius colonus est si bene tecum agitur, heredis.*

amicitiarum] L. *α* et Schwarzii Altf. cod. *amicorum.* — bRl. *γ suarum † cuique;* Goth. 48. *sua cuilibet.* Equidem haec duo vocabula suspecta habeo. Nam nimis distribuunt ac dispertiunt *amicitias*, quasi res privatas: nisi cum duobus Aldi cdd. legatur *amicitiae*, ut conveniat cum 23, 4.

certa p.] Eyb: *firma p.* — *ut etiamsi i. maneat.* Iac. Frid. Heusingerus *emend. Ovid. Heroid.* XX. 101. *ut etiam illa maneant — non potest.* Sed tum offendit *etiam* abruptiorque oratio, quae sic erat nectenda. *Sed* (v. *atque*) *ut illa maneant* etc.

dona Fortunae] Eadem, quia *parantur pecunia* (15, 10.), dicuntur *pecuniae munera:* sic enim *parad.* I. 1, 4. e Schützii coni. legendum. *Vita inculta et deserta* dicitur pro *vita deserta ab amicis, a quibus coli* *are.*

C. 16. × *Constituendi autem sunt* D. 106. L. *α*, bRl. *ε* et Erf., qui liber deinceps *qui sunt.* Goerenz., cuius aures offendit battologia *sunt autem, qui sint,* prius v. *sunt* pro insiticio habet: quod nobis ad *off.* I. 20, 68. sollicitantibus oblocutus erat Gernh. in *add.* p. 276. propter ambiguitatem, quae existeret, constructionis. Eam vero tollerent D. 106. L. *α* < *qui sint,* h. e. quibus utendum sit finibus. Cf. 17. pr. Sed ea ambiguitas nulla est. Nemo enim sic construet: *qui autem constituendi sint in amicitia fines:* quia ita scribi oportuerat *amicitiae fines*, ut infra §. 10. Exemplis explanavit Ochsn. in Oliv. *ecll.* p. 177. attractionem Substantivi *fines* in relativa sententia: *de divin.* II. 12, 28. *quomodo est collata inter ipsos, quae pars inimici, quae pars familiaris esset?* II. *or. de lege agr.* 37, 102. *ea ne accidere possent, consilio meo ac ratione provisa sunt.* V. Iac. Gronov. ad I. *fin.* 10, 34. f. annot. 54. Wopkensii *miscell. obss.* VIII. p. 272. Inversum quoddam attractionis genus est ap. Herod. *Polyhymn.* (*βίβλ.* ή) 52. l. 7. s. ut ap. Thucyd. I. 93. *δήλη ή οἰκοδομία ἐστιν — ὅτι κατὰ σπουδὴν ἐγένετο* pro *δῆλόν ἐστι, ὅτι ἡ οἰκ.* Cf. Augusti Matthiae gramm. Gr. ed. I. §. 296. eundemque V. D. ad Cic. *or. pro leg. Man.* 12, 34. pr. His auctoritatibus addas III. *off.* c. 29. pr. *N. D.* II. c. 44. in f. Horat. *od. l. I.* c. 6. pr. *serm.* II. 4, 46. s.

fines et quasi t.] L. *α fines quidam et t.;* Bern. *quasi fines et quasi t.* Pro Gerundio *diligendi* = *amandi*, ed. vet. s. l. offert Participium *deligendi* primo casu, glandes pro Cereris munere! Cf. c. 11. pr.

tris video sententias ferri, quarum nullam probo: unam, ut eodem modo erga amicos affecti simus, quo erga nosmet ipsos; alteram, ut [nostra] in amicos benevolentia illorum [erga nos] benevolentiae pariter aequaliterque respondeat; ter- P. tiam, ut, quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. 107.
2 Harum trium sententiarum nulli prorsus assentior. Nec enim a. 57 illa prima vera 'st, ut, quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. Quam multa enim, quae nostri causa

---

tris video] ⨯ L. β *video tres sententias proferri:* quae interpretatio certe verior est, quam Hottingeri ad Oliv. *ecll.* p. 178., qui *ferri* accipit pro *circumferri*, *obtinere*. At comparanda erat formula *ferre suffragia*. Bene vero Ochsn. *video* interpretatur de re ex scriptorum testimoniis cognita = *reperio*, compp. *fin.* I. 20, 66. pr. *off.* I. 26, 90. t. I. p. 203. *Tusc.* IV. 3, 5. 37, 79. (*videmus*); *leg.* II. 6, 14. *Quod idem et Zaleucum et Charondam fecisse video;* III. c. 8. ad f.

amicos] D. 106. Erf. L. α, β, ed. vet. s. l. *amicum.* — L. α *affecti sumus* ⨯ L. β. *simus affecti.* Cf. *fin.* I. 20, 68. pr. — D. 106. ed. vet. s. l. *et* (> bRl. γ) *alteram, ut in amicos b. nostra illorum benivolentiae erga nos:* quae inconstantia vv. insiticia prodit in his generaliter dictis. — D. 106. *aequabiliterque.* L. β *et* (> Vim.) *aequaliter.* Videtur ἀσυνδέτως dici solitum *pariter aequaliter*, ut *praeter propter:* omninoque synonyma alterum ad alterum sic apposita passim observes, e. g. VII. *ad fam. ep.* 5. §. 2. iam ex optimis codd. editur: *ut eum meis omnibus studiis beneficiis quam ornatissimum domum reducerem* pro olim volg. *beneficiisque.* Cf. obs. infra ad §. 12.

tertiam, ut] Ed. vet. s. l. *tertiam vero.* L. α *Tertia ut*, quasi abrupta constructione: postque id. liber: *Istarum tr. opinionum nulli p. assentio.* Grz. l. l. p. 294. putat has tres sententias ex iudicio aliquo Theophrasti, infra ad 20, 5. referendo, ductas esse; sed quomodo hae inde ductae sint, hanc ego suspicionem non assequor.

§. 2. ⨯ L. β *prima* (ed. vet. s. l. <) *illa.* — bRl. γ < *ut.* Cf. non tam 14, 4. f., quam obs. ad 4, 6. pr. — L. α *quisque in se* ⨯ *in se q.* < *sit* Bern. Erf. L. β, bRl. γ. Cf. *fin.* II. 26, 83. pr. Copiam orationis alio atque alio modo variatae in h. l. illustravit Aug. Matthiae in libello bonae frugis uberrumo: *Entwurf einer Theorie des Lat. Stils* §. 15. p. 82.

nostri causa] Sic Eyb cum nostris omnibus praeter bRl. ε, qui tuetur volg. *nostra causa.* „Eiusmodi Genitivum a Romanis positum in oppositionis vi et gravitate augenda" recte agnoscit C. H. Frotscherus ad *vitam Dav. Ruhnkenii a Dan. Wyttenbachio scriptam* p. 154. ad f. in Frid. Lindemanni ed. *vitarum duumvirorum* etc. p. 145. Namque, ut alibi

numquam faceremus, facimus [causa] amicorum! precari ab indigno, supplicare; tum acerbius [in aliquem] invehi, insectari vehementius: quae in nostris rebus non satis honeste,
3 in amicorum fiunt honestissume. Multaeque res sunt, in quibus de suis commodis viri boni multa detrahunt detrahi-
4 que patiuntur, ut his amici potius, quam ipsi fruantur. Al- 58
tera sententia 'st, quae definit amicitiam paribus officis ac

---

per zeugma dicitur *domi bellique* v. *militiaeque:* ita hic *nostri causa*, quamvis inusitatius dictum, excusare videtur concinnitas oppositionis *amicorum* [*causa*]. V. A. Gellium XX. c. 6. et Servium ad Virg. *Aen.* XII. 29. Ochsnerus l. l. p. 179. haec exempla posuit e Cic. *Acad.* II. 38, 120. *nostri causa* (ubi tamen Grz. p. 216. e Lactantio et e libris MSS. restituit *nostra causa*) et e Plin. *hist. nat.* II. c. 63. sect. 63. p. 370. ed. Franz. de terra: *quae nostri causa alit!*

numquam] L. *α*, Goth. 48. *non.* — Eyb: *amicorum* × *causa* × *facimus*, ut 10, 8. Malim. *facimus amicorum*, ut mox *in amicorum.* Bern. *faciamus c. am. id est* > *precari ab* < ed. vet. s. l. *amico pro.* Eyb: *pr. pro amico indigno.* Cf. *paradox.* V. c. 3. §. 1. f., ubi sic iunguntur *precari, denique supplicare.* — Eyb: *in aliquem acerbius invehi;* × L. *α acerbius invehi in aliquem.* De constructione huius verbi v. Bremium ad Corn. Nep. XV. *Epam.* 6, 1. f.; sed in generali sententia absolute adhiberi potuit.

insectari] L. *α*, Vim. < *que* volgo. Cf. obs. infra ad §. 12. Tum ∾ bRl. *γ nostris* × *in rebus* — *honeste* < *fierent* ed. vet. s. l. — *in amicorum* < L. *β autem;* bRl. *γ commoda.* Immo ex antecedd. *rebus* intellege. Vides talis ellipseos exempla in *Cat. mai.* c. 9. pr. *Phil.* II. 41, 106. f. *Tusc.* I. 24, 56. *tam natura putarem hominis vitam sustentari, quam vitis, quam arboris;* *fin.* I. 16, 51. pr. III. 2, 5. *non tam rerum inventor fuit, quam verborum novorum.* — *hoc non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum consequamur;* I. *de divin.* 3, 5. *cetera divinationis genera sustulit, somniorum et furoris reliquit.* Cf. Bremius ad Corn. Nep. VII. *Alcib.* 5, 3.

fiunt] > L. *α*: ut subaudiatur *facimus.* L. *β sunt*, ut Eyb: *sunt honestissimae.*

§. 3. *Multae quidem r. sunt* L. *β* × Eyb: *multaeque sunt res.* Part. *que* = *quoque.* Continuat orationem in transitione ad res deinceps memorandas I. *off.* 4, 13. pr. *N. D.* II. 57, 142. s. c. 58. pr. ubi Heindorf. recte repudiat *quoque.* — *Res* h. l. = *causae* III. *off.* 12, 50. pr.

commodis] > Bern. Id. cum ed. vet. *ut his* pro volg. *ut iis;* Eyb: *ut hi.*

§. 4. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. *diffinit*, ut ubique in cdd. fere omnibus

voluntatibus. Hoc quidem 'st nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit acceptorum ratio et datorum. Ditior [mihi] et affluentior videtur esse amicitia nec observare restricte, ne plus reddat, quam acceperit.

---

scriptum legitur. Et sane h. l. explicari possit: *tamquam finibus distinguit* vel *disterminat*. Sed alibi etiam *finire* et *terminare* simpliciter sic usurpantur. — Erf. L. *α*, *β et* pro *ac*.

voluntatibus] D. 106. *voluptatibus*, sollenni permutatione. H. cap. §. 1. dixerat *benevolentiam*. Eodem sensu *studia* 14, 10. iunguntur cum *beneficiis* 9, 2. = *meritis* 8, 2. = *officiis* h. l.

§. 5. *nimis* × *est exiguum* L. *α*. Voc. *nimis* nostri ll. omnes tuentur: eiusque cum Adverbiis, Adiectivis, Verbis iuncti exempla Grz. l. l. p. 308. posuit haec *ad divers.* II. *ep.* 6. *nimis cito*; VI. *ep.* 7. f. *nimis stulte et nimis impudenter*; VII. *ep.* 2. *nimis verecunde*. Addas alia licet e Schelleri lex. s. v. *Nimis* laterc. 6765. et e M(eineri) *Uebersicht aller zum lat. Sprachstudium gehörigen Partikeln* (Ciz. 807.) p. 305. Ac *nimis* saepe a librariis neglectum observaverat Goer. ad I. *fin.* 18, 57. laudatque nunc Garatonium ad II. *Phil.* 41, 106. *nimis inter omnis constabat*.

vocare] L. *β revocare*. Seq. μεσόζευγμα e Bern. × pro volg. *ut par sit ratio acceptorum et datorum*; h. e., ut tantumdem detur, quantum accipiatur; = *ut parientur*, *parient inter se*, *paria faciant accepta et data*. Longe alia sententia ap. Plin. *hist. nat.* II. c. 7. post med. Fortuna dicitur *in tota ratione mortalium sola utramque paginam facere*: quoniam in vita eidem et munera omnia accepta feruntur et damna expensa; sive paria sint sive inaequalia. Possunt enim in utraque pagina etiam impares rationes perscribi, in quibus exigundis debitor summa quadam *relinquetur*.

Divitior] Sic bRl. *γ*, ut Oliv. < Bern. *est*; > Erf. L. *β Divinior*; volgo *ditior*, ut unus cd. Manutii et Ciz. b, qui uterque *enim* pro *mihi*. Ed. vet. s. l. *Ditior* (< *vero* D. 119 a.) *et affluentior mihi vid.* > L. *α Divitior videtur mihi esse*. Comparativi non contractam formam priscae Latinitati Laelii accommodatiorem et h. l. trium, in quibus Bern. esse videtur, penes se codd. fide confirmatam Goerenzius observat reperiri *de re p.* I. 17. 32. et in *parad.* VI. 3, 50., ubi v. Iac. Gronov. et Gernh. Productior item Superlativi forma reperitur II. *off.* c. 17. pr. — *Opibus et copiis affluentes* dixit Cic. *or. II. de lege agr.* 30, 82. Cf. Lucretius VI. 12. s.

amicitia] D. 119 a. Vim. < *vera* L. *β*. × volgo: *vera amicitia*. Cf. infra §. 10.

restricte] L. *β*, bRl. *γ* † *stricte*. Cf. II. *off.* 18, 62. *restricti* (h. e. parci) *esse nullo modo debemus*. Vocab. tralatum videtur ab usu *hostorii* v. *radii*, h. e. ligni, quo modius aequatur mensuraeque raduntur, inter-

6 Neque enim verendum 'st, ne quid excidat aut ne quid in terram defluat aut ne plus aequo in amicitiam congeratur.

7 Tertius vero ille finis deterrumus, ut, quanti quisque se 59

---

prete Prisciano p. 683. et Apuleio *de orthographia* p. 108. ubi Osannus affert Plauti locum ap. Caelium Rhodig. *lectt. antiqq.* X. 4. extantem: *Dii deaeque omnes tantam nobis laetitiam, tot gaudia sine radio cumuletis.* In Xenoph. *symp.* IV. 43. dicitur οὔτ᾽ ἀριθμῷ οὔτε σταθμῷ ἐπαρκεῖν contraque in Ioh. *evang.* 4, 34. ἐκ μέτρου διδόναι. — L. *β* † *quam* > *quam.* — L. *α accipit* †.

§. 6. *Neque enim*] > L. *α Nec.* Post *aut* ed. vet. s. l. < *ne quid.* Optume interpretatur Grz. l. l. p. 309.: „*Non enim in metiendis amicitiae officiis ac beneficiis par ratio est cum mensuris aridorum fluidorumque, e quibus supra modum congesta excidunt atque defluunt*"; et ad duplicem hanc mensurae similitudinem Laelium concinnitatis studio deductum observat, ut paria paribus responderent: *exigue et exiliter; acceptorum et datorum; divitior et affluentior.* V. quae de hoc concinnitatis studio, fonte abundantiae cuiusdam, observavimus in Iahnii *annall. philologiae* vol. III. vel collect. secundae (a. 1827.) vol. I. fasc. 3. p. 25. ss. compp. locis *de re publ.* I. 4. *nostri casus plus honoris habuerunt, quam laboris, neque tantum molestiae, quantum gloriae.* II. 5. (Romulus) *urbem perennis amnis et aequabilis et in mare late influentis posuit in ripa, quo posset urbs et accipere ex mari, quo egeret, et reddere, quo redundaret: eodemque ut flumine res ad victum cultumque maxume necessarias non solum mari absorberet, sed etiam invectas acciperet ex terra.* *N. D.* II. 10, 26. *aquae etiam admistum esse calorem, primum ipse liquor aquae declarat et effusio, quae neque conglaciaret frigoribus neque nive pruinaque concresceret, nisi eadem se admisto calore liquefacta et dilapsa diffunderet. Itaque et aquilonibus relicuisque frigoribus durescit humor et idem vicissim mollitur tepefactus et tabescit calore.* De hac membra exaequandi diligentia interdum paene nimia v. etiam Augusti Matthiae *Grundriss einer Theorie des Lat. Stils.* §. 9. p. 20. §. 16, 4. p. 35.

aut] pro *aut omnino* accipit Goerenzius. Ed. vet. s. l. *aut neque* et cum Goth. 117. *plus aequo* < *quid:* quod in ceteris libris adiectum idem V. D. retineri volebat.—*congeratur* < *illorum erga nos benevolentiae* L. *β*, nempe e superioribus.

§. 7. *vero*] > *ille deterrimus finis* < *est* L. *β* × *f. deterrimus* < bRl. *s est;* D. 106. *f. teterrimus* < *est* L. *α.* Hottingerus interpretatur: *Tertia vero illa sententia fines amicitiae deterrime constituit.*

quisque se] Sic tres Aldi et duo Goerenzii libri < *ipse* volgo adiectum compensatur oppositionis vi, qua Pron. *se* nervosius effertur, ut §. 9. × Bern. *quanti se quisque f.* Cf. Goerenzii obs. supra ad 9, 8. de Pron. *se* vel simplici vel geminato.

8 faciat, tanti fiat ab amicis. Saepe enim in quibusdam aut
animus abiectior [est] aut spes amplificandae fortunae fra-
9 ctior: non igitur amici talem esse in eum, qualis ille in
se 'st; sed potius eniti et efficere, ut amici iacentem animum
10 excitet inducatque in spem cogitationemque meliorem. Alius
igitur finis [verae] amicitiae constituendus est, si prius,
11 quid maxume repraehendere Scipio solitus sit, edixero. Ne-
gabat ullam vocem inimiciorem amicitiae potuisse reperiri, b

---

§. 8. *est* ⨯ *abiectior* Vim. > L. *α animus amplificandae facultatis fractior.* Cf. *parad.* V. c. 1. extr. *oboedientia fracti animi et abiecti.*

§. 9. *non igitur*] Vim. < *est* Goth. 117. ⨯ L. *β Non est ergo a.* ⨯ L. *α Num igitur amici est —?*

ille] > † Bern. Vt in proxumis, sic *eniti atque efficere* iungi *Phil.* IV. 6, 16. pr. *ad famill.* XIII. *ep.* 29, 13. observat Grz. Cf. etiam *off.* III. 2, 6. ad f. *quantum conniti animo potes, quantum labore contendere, —, tantum fac ut efficias;* ib. 10, 42. *eniti et contendere debet.*

in spem] Sic L. *α*, Ven. 474. Oliv. In Bern. Praepositionem *in* volgo omissam eiusdem, ut videtur, librarii manus superscripsit. Cf. *off.* II. 15, 53. *quae te ratio in istam spem induxit? Catil.* II. extr. *quibus ego ducibus in hanc spem sententiamque sum ingressus.*

§. 10. *Alius ergo* L. *β*. — Ed. vet. s. l. *amicitiae* ⨯ *verae.* Cf. paulo ante §. 5. et c. 25. pr.

quid] Erf. ed. vet. s. l. *quod* †. Tum D. 106. *solitus Scipio sit* ⨯ L. *α*, Goth. 48. *solitus sit Scipio* ⨯ Vim. *Scipio solitus fuit.* Tum Nobbius cum Ern. *dixero* abnuentibus nostris auibus omnibus: etsi plane sic *L.* I. *de re p.* c. 42. *off.* II. 1, 1. f. *dixero* legitur et *diximus* ib. c. 6. 22. *rhet. ad Herenn.* I. 10, 16. f. Praefert Ochsner. in *ecll.* p. 181. *edixero* tum propter numerum orationis, tum quod h. l. habeat aliquid gravitatis verbum magistratuum sollenne in promulgando decreto quodam. Loquitur igitur Laelius ore pleniore quasi praeco Scipionis censoris, ut omnes forte dubitantium obmurmurandi conatus ipso grandiloquentiae voltu aspectuque conterreat. Confunduntur tamen ista verba alibi, e. g. *orat.* 39, 137. *legg.* II. 10, 24.

§. 11. *inimicitiorem* † L. *α*, *β* miro consensu cum Bern., qui insuper addit *esse.* — L. *β reperire.* Quia sequitur *qui dixisset*, propterea scriptor hic notat *vocem*, non, ut in similibus ll. infra 22, 4. et *off.* III. 7, 34., *errorem* v. *opinionem.*

quam eius, qui dixisset *ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus:* nec vero se adduci posse, ut hoc, quem-

---

oportere] np. *quemque*, ad quod indefinitum Subiectum refertur seq. tertia persona *esset osurus:* ut 17, 5. 22, 2. *fin.* II. 7. extr. III. 21, 70. *fatentur alienum esse a iustitia* —, *detrahere quid de aliquo, quod sibi assumat; Tusc.* I. 38, 91. *licet etiam, mortalem esse animum, iudicantem aeterna moliri, . . . gloriae cupiditate, quam sensurus non sit.* V. Hotting. ad I. *de divin.* c. 29. p. 80. a. Goerenz. ad *Acad.* I. 1, 2. p. 4. b. et obs. nostram ad I. *off.* 33, 121. p. 256. Augusti Matthiae *grammat. Gr.* ed. I. §. 294. n. 2.

ut si] D. 106. Erf. *ut.* Similiter ap. Corn. Nep. in *Timoth.* III. 4. in quibusdam libris legitur: *ut* (pro *ut si*) *in sua navi esset Fortuna.* Certe post similem comparandi Particulam *tamquam* interdum *si* omittitur, e. g. *V. fin.* 15, 42. *tamquam omnino sine animo sint.* In Graeco praecepto est Part. ὡς cum Participio ap. Aristot. *rhet.* II. c. 13. (*οἱ πρεσβύτεροι*) *κατὰ τὴν Βίαντος ὑποθήκην καὶ φιλοῦσιν ὡς μισήσοντες καὶ μισοῦσιν ὡς φιλήσοντες·* ib. c. 21. ap. Diog. Laërt. I. 87. *δεῖ φιλεῖν ὡς μισήσοντας·* quam eandem constructionem retinuit A. Gellius, qui I. c. 3. ad f. Chiloni tribuit hoc praeceptum: *Hac fini ames, tamquam forte fortuna osurus: hac itidem tenus oderis, tamquam fortasse post amaturus.* Detracta hac altera sententiae parte iure hoc praeceptum repraehendatur, si a volgaribus familiaritatibus ad inveteratas sapientium amicitias transferatur. V. 9, 10. f. cl. c. 21. pr. Sed calumniatus Laelius est sapientissumi viri sententiam, qui de volgaribus tantum familiaritatibus locutus est, ut apparet ex reddita ap. Diog. Laërt. I. 87. ratione: *τοὺς γὰρ πλείστους κακούς.* Eodemque valet adiectum ibi Biantis consilium: *συνεβούλευε τε ὧδε· Βραδέως ἐγχείρει τοῖς πραττομένοις· ὃ δ' ἂν ἕλῃ, βεβαίως τηρῶν διάμενε·* quibuscum cf. Isocratis vocem infra ad §. 13. laudatam. Merito igitur hoc exploratae utilitatis consilium, cuius paulo post 17, 5. ipsum Laelium fieri videbimus auctorem, ut quod affectionem amoris intra modum tantum coërceat, laudarunt Valer. Max. VII. c. 3. *ext.* 4. et Gellius I. c. 3. f. Sophoclis *Aias* v. 681. ss. (661. ss. e recens. Ed. Wunderi); P. Syrus v. 340. et 811. *Ita habeas amicum, posse ut fieri inimicum putes.*

osurus] Ed. vet. s. l. *obscurus.* — *nec* < *huc* L. *α;* idem vero cum L. *β*, D. 106. < *se:* quod Pron. fortasse alibi inculcatum est. Cf. 22, 8. Sed eo suppresso hic post orationem aliunde repetitam non statim perspiceretur, ad ipsum Scipionem referenda esse seqq., ubi Bern. *adduci potuisse.* Ceterum e verbo negativo supplendum eius contrarium, np. verbum affirmativum *dicebat*, ad seq. membrum post *nec*, ut alibi in membro adversativo post *sed*, e. g. *N. D.* I. 25, 71., itemque in quovis annexo membro vel sine Particula, ut ap. Liv. IV. 2. pr. (quem l. citat Bauer. ad Sanct. *Minerv.* II. p. 224. n. *δ*), vel cum Part. *enim*, ut ap. Cic. *off.* III. 27, 100. t. II. p. 371. V. annot. nostram ad III. *off.* 2, 9. pr. Bremii ad

admodum putaretur, a Biante dictum crederet, qui sapiens
habitus [esset] unus e septem; impuri cuiusdam aut am-
bitiosi aut omnia ad suam potentiam revocantis esse senten-
12 tiam. Quonam enim modo quisquam amicus esse poterit,
cui se putabit inimicum esse posse? Quin etiam necesse erit
cupere, [et] optare, ut quam saepissume peccet amicus,
quo pluris det [sibi] tamquam ansas ad repraehendendum;

Corn. Nep. V. *Cimon.* I, 4. et quos laudat Stallbaumius ad Ruddimanni *instt. grammatt.* P. II. p. 361.

dictum] Erf. probante Wundero in *praef.* p. CCXXIV. < *esse* L. β × volgo: *esse dictum.* Sic deinceps Bern. L. β *esset habitus* × L. α *habitus est.* Cf. 1, 13. *off.* III. 4, 3. (§. 16.). — D. 106. L. β *ex septem.* Cf. *parad.* I. 1, 6. (8.) *legg.* II. 11, 26. *qui sapientissumus in septem fuit.* Similiter Plutarch. in *Solone* c. 12. ὃν ἕβδομον ἐν τοῖς σοφοῖς καταριθμοῦσιν. Cf. h. dial. 2, 5. pr. Nicol. Damasc. p. 50. *suppl.* p. 34.

impuri] bRl. γ, ε, D. 106. ed. vet. s. l. praeponunt *sed*, quod in L. β superscriptum omittitur a L. α, Bern. Erf. Cf. Horat. I. *serm.* 1, 1. — 3. Lentulus ap. Cic. *ad famil.* XII. 15, 17. f. et Cortius ad l. IX. vv. extrema: *Non multi cibi hospitem accipies, multi ioci.* Vide, sis, (praeter loc. III. *off.* 33, 119. infra ad §. 12. ascriptum) obs. ad 13, 6. pr. et de simili ellipsi Particulae ἀλλά Schwebelium ad Lamb. Bosii *ellipses Grr.* p. 472. (752.) De v. *impuri* v. Westerhovii *index* Terentianus. Lucilius ap. Cicer. *N. D.* I. 23, 64. *Tubulus si Lucius umquam . . putasset esse deos, tam periurus aut tam impurus fuisset?* h. e. μιάστωρ.

aut ambitiosi] Ed. vet. s. l. *et amb.* — *Omnia ad suam potentiam revocantis* dictum, ut 9, 7. *ad voluptatem omnia referre.* V. Io. Fr. Gronovii *obss.* II. 19.

§. 12. *esse poterit*] < Erf. *ei;* Bern. D. 106. L. β, bRl. γ, ε, ed. vet. s. l. *eius* × L. α *poterit esse eius, cuius se putat;* D. 106. *cui se putarit* × Bern. *putabit se:* cuius Pronominis omissio hic item, ut §. 11., ambiguitatem inferret. Biantis illud praeceptum ne Valerius Max. quidem l. c. diffitetur *prima specie nimis callidum videri inimicumque simplicitati, qua praecipue familiaritas gaudeat.*

et] Al. *etiam.* Quod si statuerimus fieri in his cognatis verbis gradationem, fatebimur ea ἀσυνδέτως iungi potuisse, ut in uno Aldi libro: *cupere, optare.* Cf. obs. ad h. cap. §. 2. *off.* III. 33, 119. *non recipit istam coniunctionem honestas; aspernatur, repellit.*

pluris] D. 106. *plus* †. — L. α *sibi* × *det* et cum Schwarzii Altf. cod. *tamquam causas.* Sed *ansa* dicitur pro quovis praetextu, quo abuti possimus ad aliquid dicendum faciundumve. Scite Grz. l. l. p. 309. observat contra Ciceronis consuetudinem (*Caecin.* 6, 17. *Sext.* 10, 22.) hic, ut

rursum autem recte factis commodisque amicorum angi, [dolere,] invidere. Quare hoc quidem praeceptum, cuiuscumque 'st, ad tollendam amicitiam valet.
13 Illud praecipiundum [fuit], ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis compa-

---

magis attenderetur ad propriam tralati verbi *repraehendere* vim, additam esse Part. *tamquam*, de cuius usu v. obs. ad 13, 2. f. cl. *de fin.* IV. c. 7. extr. Sic rei similitudo disertius exprimitur iuncto hoc vocabulo cum verbo cognato item in *or. pro Plancio* 34, 84. *repraehensionis ansam aliquam.*

rursum] D. 106. L. *β*, bRl. *γ rursus.* Eadem varietas II. *off.* 1, 5. (2. f.) 6, 5. (20.). Tum nostri libri omnes cum volg. *necesse erit* (> Ox. *η*) *angi.* Iterata verba expungendo Gernh. omne tulit punctum censorum tum Halensis, tum Myrtilletani Moseri p. 978. — L. *β*, ed. vet. s. l. *angi dolore* × bRl. *s dolere angi.* — L. *β*, bRl. *γ* † *et* > *invidere.* Concinnitas suadet, ut, quemadmodum *peccata* et *repraehensionis ansae recte factis commodisque* opponuntur, sic *cupere*, *optare* et *angi*, *invidere* inter se respondeant. *Dolere* vel *dolore* videtur interpres ascripsisse ad v. *angi*, quod eandem habet vim 3, 4.

cuiuscumque 'st] Sic Indicativus in oratione recta ponitur post Relativa vel geminata vel enclitica Particula *cumque* aucta, ut vis eorum pateat in infinitum: *qualecumque 'st* I. *Tusc.* 34, 82. f. *de divin.* II. 28, 60.; *cuicuimodi sunt* III. *fin.* 9, 30.; item I. *Tusc.* 37, 112. f. *quicquid est*; in primis, ubi quis ambigue de re parum perspecta loquitur, ut *Tusc.* IV. c. 17. pr. de sapiente: *is, quisquis est;* Ovid. *metam.* I. 32. de creatore; Plin. *hist. nat.* II. c. 7. *Irridendum vero, agere curam rerum humanarum illud, quidquid est, summum;* ὅ τι δὴ κοτέ ἐστι Herodot. VII. 16. § 3. I. 34. s. V. obs. ad I. *off.* 27, 94. t. I. p. 211. Eadem Indicativi ratio est post comparativam Part. *utut*, itemque post *sive* — *sive*, ubi rès non a nostra cogitatione suspensa in incerto relinquitur.

ad tollendam] L. *β* † *adtolere.* Similiter de falsa et fallace ratione loquitur Cic. *off.* III. 29, 104. *contra omne ius iurandum valet.* Hoc praeceptum, si quod aliud, amicitiae inimicum esse intellegitur e praecepto Isocratis *ad Demon.* 9, 8. Ἀποδέχου τῶν ἑταίρων μὴ μόνον τοὺς ἐπὶ τοῖς κακοῖς δυσχεραίνοντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς μὴ φθονοῦντας.

§. 13. *Illud*] Bern. < volgo: *potius.* Pro *fuit* (quod Ochsner. docte pro *fuisset* positum accipit, ut 4, 8. f.) L. *β est* contra consecutionem temporum: quae tamen discrepantia interpretis supplementum prodit, quo remoto hoc Gerundium pendet a seqq. *Scipio . . . putabat.*

eam diligentiam] h. e. tam accuratum iudicium cum delectu. V. obs. ad *off.* II. 15, 54. p. 104. *rhet. ad Herenn.* IV. 21, 29. f. *deligere oportet, quem velis diligere.* — L. *α adderemus.* Cf. *off.* I. 6, 18. f.

in amicitiis] L. *β*, bRl. *γ in amicis.* D. 106. < *comparandis.* Cf. *fin.* I. 20, 66. f. — L. *β ne aliquando inciperemus* × *amare.*

randis; ut ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus; quin etiam, si minus felices in deligendo fuissemus, ferundum id Scipio potius, quam inimici-
17 tiarum tempus cogitandum, putabat. **His igitur finibus** 61
utendum arbitror, ut, quom emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas: ut etiam, si qua fortuna acciderit, ut minus iustae amicorum voluntates adiuvandae sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum sit de

---

felices in del.] D. 106. L. β, ed. vet. s. l. *fel. in diligendo* × L. *α in diligendo felices.* — Id. *expectandum* † pro v. *cogitandum.* Isocrates *ad Demonic.* 9, 2. *Βραδέως μὲν φίλος γίνου, γενόμενος δὲ πειρῶ διαμένειν.* Aristoteles in *rhet.* II. 21. *οὐ δεῖ, ὥςπερ φασὶ, φιλεῖν ὡς μισήσοντα . . ἀλλ' ὡς ἀεὶ φιλήσοντα· ἐπιβουλία γὰρ θάτερον· . . . δεῖ γὰρ τὸν γ' ἀληθινὸν φίλον ὡς φιλήσοντα ἀεὶ φιλεῖν.*

C. 17. *Hiis ergo* L. β. Cf. 16, 10. pr. — *utendum* < *esse* † Gellius I. 3. — L. β *ut omendati.* — Pro *sint* ∼ Gellius *sunt:* quod praeferrem, nisi oratio haec esset obliqua. De hac conditione consensionis non vitiosae v. 11, 8.

tum] Ed. vet. s. l. *tunc.* — L. α < *rerum.* — Id. *voluptatum,* ut fere ubique peccari solet in voc. *voluntatum*, ut I. *de re publ.* 2., ubi bene correxit Moserus p. 13. s. Cf. amicitiae definitio 4, 9. 6, 1. itemque *amicorum* I. *off.* 17, 56. *in quibus eadem studia sunt, eaedem voluntates.* Hinc *fin.* III. 2, 8. f. *vir . . mecum et amicitia et omni voluntate sententiaque coniunctus.* Plutarchus *περὶ πολυφιλ.* p. 96. *E, F.* c. VIII. f. *τῇ φιλικῇ συμφωνίᾳ καὶ ἁρμονίᾳ* comprachendit *τὸ ὁμολογεῖν καὶ ὁμοδοξεῖν καὶ ὁμοβουλεῖν καὶ συνομοπαθεῖν.*

ut etiam] Sic etiam Gellius. Sed h. l. unus Manutii liber *et*, nempe ut nova hic incipiat constructio: de qua mox ad seq. v. *sit* quaeremus.

amicorum voluntates] × Gellius: *voluntates amicorum.* L. *α amicorum cause sint defensande* et cum L. β, bRl. γ, ε, D. 106. ed. vet. s. l. *aut de capite*, eademque ed. cum L. α etiam *de* > *fama.* Vtraque loquendi formula usitata est de re, quae in discrimen venit, qua de dimicandum est. *Fin.* II. 17, 56. *Pericula adeunda sunt, — si magna res, magna hereditas agetur.* Corn. Nep. XXV. *Att.* 15, 2. Dicitur autem *caput* pro salute statuque omni civili. V. Ernesti *clavis Cic.* s. v. Sic Cic. *Acad.* II. 38, 119. f. *illud, sicut caput et famam tuam, defendere necesse erit;* et I. *off.* 12, 5. (38.) dicitur *cum inimico esse certamen capitis et famae.* Corn. Nep. XIX. *Phoc.* 3, 2. *capitis damnatos patria pepulit.*

sit] Bern. D. 106. cum septem Oxx. multisque aliis *est* > *de via* < *sit*

via, modo ne summa turpitudo sequatur. Est enim qua te-
2 nus amicitiae venia dari possit. Nec vero neglegenda 'st fama; nec mediocre telum ad res gerundas existumare oportet benevolentiam civium: quam blanditiis et assentando colli-

---

Gellius; *est* Erf. L. *α*, ed. vet. s. l. > L. *β declinandum modo avia* (Neutrum plurale) *ne.* Itaque suspicor Verbo substantivo ad fidem huius codicis deleto pro *ut* corrigendum *Atq;*. Fit gradatio per *Atque etiam:* ut simili lege proposita c. 13. pr. per Particulas *Nec — quidem.*

modo] < *hoc* D. 106. — Bern. *ne turpitudo sectetur.* Ciz. b quoque < *summa.* Cf. praeceptum c. 12. pr. Ad *modo* subaudias licet *caveamus;* vel accipias pro *dum modo*, ut *off.* II. 20, 71. *modo ne adiuvent*, ubi v. annot. II. p. 137. Plenius dicitur ib. III. 6, 31. *modo hoc ita faciat, ut ne* etc.

est enim] < *meta* ed. vet. s. l. Cernitur Graecismus in periphrasi *est qua tenus* = *quadam tenus.* Sic *ad Herenn.* IV. 26, 36. *est quom* = *aliquando*, in Horat. *epist.* II. 1, 6. *est ubi* = *alicubi* = *interdum* ib. II. 1, 63. Plauti *capt.* II. 2, 77. ἔνι ὅτε = ἐνίοτε. Alibi *est ut* cum Coniunctivo vel *est* cum Infinitivo sequentis verbi in periphrasi adhibetur sic, ut affirmet tantum seqq. e. g. ap. Horat. III. *od.* 1, 9. V. Popma ad Caton. *de R. R.* c. 1. ab in. Perizonii ad Sanctii *Minerv.* IV. 4. annot. 52. extr. atque ibid. Bauer. t. II. p. 103. s. n. ξ, et p. 193. n. s. *Est qui* = *nonnemo* ap. Horat. I. *od.* 1, 19. — *Est quibus*, ἐνίοις, ap. Propert. III. 7, 17., ubi v. Burmannum Secundum. Cf. Herodot. *Polyhymn.* (VII.) c. 187. l. 8. Viger. *de idiott.* c. V. sect. VI. ab. in. p. 234. s. ibique Zeunii annott. 29. 31.

amicitiae] *amicitia* L. *β*: idemque pro volg. *dari venia* × *venia dari* cum Bern. et Gellio. Sed idem Gellius paulo post × *dari amicitiae venia*, suo scilicet arbitratu. Ceterum his postremis non proxume quasi in parenthesi praecedens membrum *modo ne* etc. confirmatur, ut sententia eadem sit, quae 11, 8. aut Horatii illa: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum;* sed corroboratur primarium membrum illud idque affirmativum: *declinandum de via.* Hottingero et Ochsnero in *ecll.* p. 185. videtur accipiendum de defensione sontis. Certe talis facilitatis praeceptum posuit Cicero *off.* II. 14, 51. auctore Panaetio. Cf. Gorgiae sententia ad 11, 8. commemorata; Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 23.

§. 2. *nec mediocre*] Bern. *ut mediocre.* — Ed. vet. s. l. *extimare . . . assentationibus* = 25, 8. *blanditiis*, quibus qui multitudinis levitatem quasi titillant, *assentatores populi* audiunt *off.* II. 18, 63. f. — L. *α*, *β turpe est* × *colligere.*

gere turpe 'st. Virtus, quam sequitur caritas, minume repudianda 'st.

4 Sed saepe (etenim redeo ad Scipionem, cuius omnis 62
sermo [erat de amicitia]) querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores essent: capras et ovis quot quisque haberet, dicere posse; amicos quot haberet, non posse [dicere]; et in illis quidem parandis adhibere curam, in p. 108. a.

---

§. 3. L. α, ed. vet. s. l. < *Sed* > *virtus*. Cf. 27, 1.

§. 4. *et*>*enim* (Ciz. b *nam*) *redeo* Erf. L. β, ed. vet. s. l. × D. 119 a. Goth. 117. Olivetus: *redeo enim:* quam Part. (> Bern. D. 106. cum quatuor Oxx.) × post v. *querebatur* transfert Goth. 48. Malim parenthesin sic constitui: *saepe enim redeo* etc. Praeter *etenim* Ox. ν < *querebatur:* quasi nulla parenthesi seqq. penderent a formula *sermo erat*. > L. α. *Sed Scipio saepe de amicitia conquerebatur:* qui cod. movet mihi suspicionem vv. *cuius omnis sermo erat de amicitia* insiticia esse. Structa sunt enim sic, quasi sententia foret =: *qui nulla de re, nisi de amicitia, sermonem mecum conferre solebat.* Quam interpretationem, quamvis ineptissumam, tamen ex ipsa Latinitate haustam omninoque veram esse, apparebit coll. I. *Acad.* 4, 16. de Socratis more disserundi: *omnis eius oratio in virtute laudanda consumebatur*, cum eiusd. §. principio. Aliter supra c. 1. extr. dicebatur *tota disputatio.* Et hic quidem ed. vet. s. l. < *omnis.* Certe adiectio *de amicitia* inculcata videbatur in simili loco 10, 1. Satis habui praeterea notare v. *erat.*

omnibus in rebus] × D. 106. L. β *in omnibus rebus* × Erf. *in rebus omnibus.* Cf. 13, 11. pr. bRl. s < *essent,* quod Ox. ψ mutat in *esse,* quasi ante non legeretur *quod.* Duplicem post verbum *querebatur* constructionem, primum *quod* cum verbo finito, tum Accus. cum Infinitivo notavit Perizonius ad Sanct. III. 14. n. 16. ed. Bauer. t. I. p. 718. s. Sed ex eo verbo ad seqq. subauditur *dicebat.*

capras] < *que* Ox. E. Rectius intellexeris *enim:* quemadmodum in Xenophontis *memor.* II. 4, 2. pr. adhibentur Particulae καὶ γάρ: quem locum Laelius respexit iam supra 15, 10. — *et* [bRl. s b]*oves* < *quidem* L. β. Pro *haberet* in priore loco ed. vet. s. l. *habeat* > D. 106. L. β, bRl. ε. — Alia vulgo totius orationis constructio haec est: *ut* (> nostri libri omnes cum multis aliis), *capras . . ., dicere posset, . . . non posset* (L. α, ed. vet. s. l. *posse*) *dicere.* × D. 106. Pith. Ven. 477. *dicere non posset.* Recte C. Langii aliaeque edd. utroque loco *posse*, ad quod Verbum auxiliare in negativa sententia iterari non solet eiusdem Verbi Infinitivus ab eo rectus, e. g. 5, 14. 20, 7. f. *N. D.* I. c. 2. f. *Acad.* II. 32, 103. *alia posse percipi dicas, alia non posse.*

adhibere] L. α *homines* > *adh. curam.* — bRl. γ *in amicis diligendis.* — Idem cum Bern. et L. β *ad amicitias.* Cf. Eurip. *Hippol.* 925.

amicis eligendis neglegentes esse nec habere quasi signa quaedam et notas, quibus eos, qui ad amicitiam essent idonei, iudicarent.

5 Sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi: cuius generis magna penuria. Et iudicare difficile [est] sane, nisi expertum: experiundum [est] autem in ipsa amicitia. Ita praecurrit amicitia iudicium tollitque experiundi potestatem. Est igitur prudentis sustinere, ut currum, sic 63
impetum benevolentiae: quo utamur, quasi equis tentatis, sic

---

§. 5. *Sunt ergo* L. *β*. — *firmi* = *graves* c. 18. pr. — *eligendi* < *ad amicitiam* bRl. *γ* × Bern. *eligendi et constantes*. Deinde volgatur *est* > *magna* (Erf. *maxima*) p. × *magna penuria* (Vim. <) *est* L. *a*. Deinceps Gernh. cum edd. Ascensiana II. et Lugd. *difficile* < volgo: *est:* quod tuetur nostris libris Eyboque adiutoribus Grz. l. l. p. 309. comp. II. *Phil.* 24, 59. pr. *difficilis est sane repraehensio et lubrica.* Sed ibi non finit membrum, et ipse V. D. observat alibi ad voce. *facilis* et *difficilis* Verbum substantivum a Cic. omitti, ut I. *off.* 16, 64. Cf. Corn. Nep. XXV. *Att.* 12, 5. *difficile fuit iudicare;* 16, 1. H. l. Bern. *difficile est nisi* (Ciz. A <) *sane* × Erf. *nisi expertum sane difficile est.* — Eyb: *nisi prius sit expertum*, np. passive. Sed v. obs. ad 16, 11.

experiundum 'st autem] × D. 106. Erf. *experiendum autem est.* — L. *a* < *in*. Cf. 22, 8. ss. *Experiri amicorum fidem* locutio est fere proverbialis, ex cuius potestate Cortius bene interpretatus est *epistulam V. lib. I. ad fam.* §. 1. 2. Similiter ib. III. 10, 7. *Nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti ego te facerem; quamquam in consuetudine cotidiana perspexisses, sicuti perspicies:* ut h. l. paulo post §. 6. *perspiciuntur* et *cognoscuntur.*

Ita] < L. *β que.* L. *à Sed* > *ita.* Bern. *et ita percurrit.* V. de h. l. obs. ad I. *off.* 29, 102. t. I. p. 122. Deinde Schwarzii Altf. cod. *iudiciumque* × *tollit.* Ciz. b, D. 119 a. *et* > *tollit.* An ἀσυνδέτῳ hic quoque usus Laelius? Cf. obs. ad 16, 2.

currum] Ed. vet. s. l. *cursum* < *navis* D. 106. Comparari possit I. *de re p.* c. 29. *in gubernanda re publica moderans cursum atque in sua potestate retinens.* Sed plus huc facit versus ap. Cic. *ad Att.* XIII. 21. *Sustineat currum, ut bonu' saepe agitator, equosque, h. e. quo volt loco, insistat.* Ad hunc versum alludit etiam *Acad.* II. 29, 94. pr. Hinc ibid. 17, 53. *sustinere se, sustinere assensionem* = *cohibere. Tusc.* IV. c. 18. f. *incitata semel proclive labuntur sustinerique nullo modo possunt.*

quo] h. e. eo consilio, ut = ὄφρα. L. *a qua* †, et cum L. *β*, Erf. *equis temperatis.* D. 106. ed. vet. s. l. *aquis tempestatis.* Non recte Wetzelius retulit P. Victorii sententiam, qui *VV. LL.* lib. XXIV. c. 20. ait

6 [amicitiis] aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam saepe in parva pecunia perspiciuntur, quam sint leves: quidam, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. Sin

---

se emendasse *aquis temptatis* secutum fidem antiqq. exemplarium. Illos, quibus melius videatur *equis*, putat inductos hoc, quod supra in simili ipso *curruum* mentio sit, qui ab *equis* trahuntur. Sed contra haec disputat sic: „Aliud est, quod nunc inquit. Neque enim de frenando cohibendoque im„petu benevolentiae nunc agit, quae res similis est retentioni aurigae, cum „currum sustinet, sed de amicitiis temptandis: quod fieri oportere dicit: „atque id etiam simili confirmat, quo simili utilitatem huius rei ante oculos „ponit. Ante enim quam aliquis ignotum flumen ingrediatur, aquas tempta„re consuevit: quod in amicitia etiam Cicero servandum tradit. Plato in „*X. libro de legibus* [p. 892. D. E. ed. H. Steph.] eodem simili usus est". Sed haec ab h. l. aliena sunt. Cf. 19, 5.

amicitiis] Bern. Erf. L. β, bRl. γ, ed. vet. s. l. *amicitia*. Alii praeponunt *in*. Facciol. haec expunxit: et officiunt concinnitati comparationis. Ducta videntur ex superioribus: *experiundum autem in ipsa amicitia*. Propter oppositionem *equorum tentatorum* quasi per zeugma passive dicuntur *mores periclitati*, quos periclitati sumus, ut *off.* I. c. 8. f. *meditata et praeparata*.

§. 6. ✕ Ed. vet. s. l. *perspiciuntur quam leves sint.* ✕ bRl. γ *quam leves sint* (L. β *sunt*) *perspiciuntur*. Qualem c. 16. pr., talem hic attractionem agnoscere non volt Ochsner. p. 187. propter seq. *cognoscuntur*. Istud tamen Verbum absolute ponitur, ut illuc non pertineat secundarium hoc membrum: *quam leves sint*.

quidam] < Bern. *aut*, h. e. *autem*, quod plane scriptum extat in Erf. L. α, β, bRl. γ, ε, ed. vet. s. l. — *parva* < *pecunia* ead. ed. cum L. α. Cf. *off.* II. 11, 38. *ammirantur eum, qui pecunia non movetur.* — D. 106. *in magnis* ∾. Cf. tamen Corn. Nep. XIX. *Phoc.* 1, 3. pr.

Sin] L. β, Erf. Goth. 48. < volgo: *vero:* quarum Partt. iunctarum praecedente *si* cum conditione contraria unum exemplum e Columella VII. 3. habet Hor. Tursellinus ed. Ernest. p. 797. s. Facciolati correctionem *si vero* probat Goerenz. l. l. p. 310. Et* potest *n* adhaesisse ex absorptae Part. *vero* compendio. Sed ut *sin autem* 10, 5., non praecedente *si*, tamen in degradatione superiora aegre et difficulter concedentis ponitur: sic simplex *sin* pro *si tamen*, *si nihilo minus* adhibita videtur. Cf. 21, 4. pr. 7. *off.* I. c. 31. f. II. 14, 50. *Semel igitur aut non saepe certe. Sin erit, cur faciundum sit saepius* etc. et in gradatione ibid. I. 15, 47. Primitus haec superiora removens Particula, contracta ex *si ne*, ut recte statuit Ramshorn. in grammat. Lat. §. 190. annot. 3. p. 590. = *si non*, praecise ponitur, ut subaudiatur *potiusque*.

erunt aliqui reperti, qui pecuniam praeferre amicitiae sordidum existument; ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiae non anteponant: ut, quom ex altera parte proposita haec sint, ex altera ius amicitiae, non multo illa malint? Imbecilla enim natura ad contemnendam potentiam: quam etiamsi neglecta amicitia consecuti sint, obscuratum iri

---

erunt aliqui reperti] ✕ L. α *aliqui reperti erunt* cum ed. vet. s. l., quae cum Bern. *extiment*, ut 18, 7. f.: eademque deinde *invenimus*.

imperia] Hoc voc. agnoscit Eyb quoque; sed cum Erf. excludit Wunderus in *praef.* ad *VV. LL.* p. CXXIV.; quia saepissume interpretes similibus in locis addiderint. Alibi tamen Cicero *honoribus* togae vel *magistratibus* adiungere *imperia* solet, h. e. potestates in paludamento, ut I. *off.* 8, 26. pr. et extr. *honoris, imperi, potentiae, gloriae cupiditates*; 21, 71. *ea, quae plerique ammirantur, imperia et magistratus; de re p.* I. 17. *imperia consulatusque nostros — non praemiorum aut gloriae caussa appetendos.* Corn. Nep. I. *Milt.* 8, 2.

anteponant] bRl. γ, *s ante ponunt.* L. α, β, ed. vet. s. l. Eyb: *vis* pro voc. *ius.* Cf. 10, 7. — Eyb: *non multi i. malint.*

Imbecilla] Ox. ψ non improbante Gernhardo (< *est* Eyb, ed. Ulrici Hahn a. 1469.: de qua vv. structura v. Ellendtium ad Cic. *Brut.* 49, 181.) *enim* (< *est* codd. Gudianus, Bern. D. 106. Erf. L. β.) *natura* < *est* ed. Ernesti. *Natura* dicitur pro hominis animo, cui naturalis (ab ipsa Natura insita) est appetitio quaedam principatus. Cf. *off.* I. 4, 6. §. 13.

etiamsi negl. am.] ✕ Gud. *neglecta amicitia etiamsi*, quae vv. structura placet Kleinio in Seebodii *bibl. crit.* 1822. I. p. 171. Volgatae lectioni *consecuti sunt* e Bern. L. α praetuli *cons. sint*, in quod coniectura ductus inciderat Ochsn. comp. c. 27. §. 2. f. 12. f. *Tusc.* I. 38, 91. *etiamsi tu id non agas.* Add. IV. *de re p.* 21. pr. (*somn. Scip.* c. 7. pr.) *off.* III. 17, 68. Indicativi in re certa exempla reperiuntur in *Cat. Mai.* 22, 2. f. *parad.* IV. 12. Tertia Verbi Persona sic indefinite posita est I. *off.* c. 9. pr.

obscuratum iri] Sic Bern. Erf. ap. Wunderum, L. α, β, bRl. γ. Sed D. 106. *obscurari* < unus cod. Manutii *peccatum*; bRl. *s obscuratum esse.* Moserus l. c. p. 979. ex unius MS. stribligine *obscuritari* elicere voluit *id obscurari*, scilicet critica nescio qua metathesi. Quinque cdd. ap. Gernb. *excusari* > ed. vet. s. l. Interpreti debetur lectio Erf. cuiusd. ap. Ernestum, duorum Manutii librorum, ed. Rom. Venett. 477. 487. 498. aliarumque *excusatum iri*, quibus Victorius, Lambinus, secutus duos libros MSS. et plerosque libros volgatos, aliique adiiciunt *se*: in qua lectione Kleinius l. c. suspica-

arbitrantur, quia non sine magna causa neglecta amicitia.
7 **Itaque verae amicitiae difficillume reperiuntur in is, qui in** 64
honoribus reque publica versantur. Vbi enim istum invenies,
8 **qui honorem amici anteponat suo? Quid? haec ut omittam,**
quam graves, quam difficiles videntur calamitatum societa-

---

batur latere: *excusari tamen esse*, quod plane non concoquo: nisi forte V. D. scripsit *sese*. Torkillius Badenus ibid. collect. a. 1820. fasc. VII. p. 654. *observatum iri*, h. e. *observantia cultum iri*. Sane utrumque verbum confunditur *Tusc.* V. 41, 119. f. necnon ap. Hygin. *poët. astron.* IV. 14. *obscurare* (in Münteri ed. I. adhuc legebatur *observare*) *lumen:* ubi tamen *obserare* v. *obstruere* legendum conieci in Iahnii annalibus philol. Vol. III. (collect. annuae II. vol. I.) fasc. 3. p. 34. Waardenburgius in *opusc. critt.* p. 167. *obscuratum iri* interpretatur = *suppressum, volgo non repraehensum iri;* sed nonnihil asperitatis inesse in hac dictione ratus suspicatur excidisse negationem legendumque: *non obscurandum sibi arbitrantur*, hac totius loci sententia: „amicitiam a multis adeo neglegi prae potentia, ut hoc, quia tanta de causa fiat, ne dissimulandum quidem existument." At vero receptae e codd. lectionis sententia haec est: *Multi magis ignominiam sinistri exitus, quam causarum turpitudinem formidant: quam praemiorum splendore obscuratum iri remque inhonestam denique secunda fortuna nobilitatum iri sperant.* Cf. Plato in *politia* I. c. 16. ad f. p. 344. *B.* Significatur igitur spes *eius rei turpitudinem obscuratum iri.* Cf. *off.* III. 11, 47. f. ibidemque ad §. 35. t. II. p. 241. collecta exempla, quae huius verbi tralationem illustrant.

arbitrantur] Erf. *arbitrămur.* — Deinde pro volg. *sit* (> Ox. ψ) *neglecta* × codd. Gud. Bern. D. 106. L. *α*, ed. vet. s. l. et Rom. 469. *neglecta sit*, quod v. ne loco quidem movere audebat Gernh., scilicet ne ambiguitas nescio quae attentis lectoribus existeret.

§. 7. Seorsum a ceteris libris × Eyb: *Vbi enim istum* (D. 106. *iustum*) *invenies* (sic L. *β* quoque et ed. vet. s. l.) ... *suo? Itaque v. a. difficillime* (L. *α difficile*) *r. in his* (cum Bern. L. *β*, ed. vet. s. l.) *qui in* (*in* > L. *α.*) *h. rei publicae versantur.* Volg. *invenias* non convenit interrogationi *ubi;* quamvis licet recte diceretur *vix invenias.* Cf. §. 6.

§. 8. *Quod* Bern. × D. 106. *Quid ut haec* × L. *α Quid autem hic ut abmittam.*

difficiles] Sic L. *α* < L. *β plurisque;* volgo *plerisque*, cuius vis inest in proxx., ubi ed. vet. s. l. † < *non.* — D. 106. *inventus* †, quod in L. *β* a m. 2 > L. *β* a m. 1.

9 tes? ad quas non est facile inventu, qui descendat. Quamquam Ennius recte:

b. *Amicus certus in re incerta cernitur:*

tamen haec duo levitatis et infirmitatis plerosque convincunt,
18 aut si in bonis rebus contemnunt aut in malis deserunt. Qui igitur utraque in re gravem, constantem, stabilem se [in

---

descendat] Bern. bRl. γ, D. 106. Erf. *descendant;* bRl. ε *discedant.* Pindar. *φῶτι παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν.* Theognis sect. III. 79. ss. laudatus Themistio in or. *περὶ φιλίας: παύρους εὑρήσεις . . . ἄνδρας ἑταίρους πιστοὺς ἐν χαλεποῖς πρήγμασι γιγνομένους, οἵτινες ἂν τολμῷεν ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντες ἶσον τῶν ἀγαθῶν τῶν τε κακῶν μετέχειν.*

Ennius] Bern. *Enni* = apud Ennium .-. *amicus certus*; sed Adv. *recte* vix potest referri ad seq. v. *cernitur.* L. α, β, ed. vet. s. l. *dicat* > *recte* < *inquit* D. 106. Pro *certus* id. *certe* et pro *incerta* L. α † *certa.* Videtur hic locus repetitus de *Duloreste* (cf. annot. ad 6, 5. 6.); si quidem recte censuit Hier. Columna ad Ennii *fragg.* p. 459. Ennium hanc sententiam proverbialem ex Euripide extulisse, apud quem Pylades nullo pacto Orestem deserere, sed cum amico emori cupiens haec ait: *ποῦ γὰρ ὢν δείξω φίλος, Εἴ σε μὴ 'ν δεινοῖσιν ὄντα συμφοραῖς ἐπαρκέσω;* quibus verbis aperte significat non posse quemquam sese amicum profiteri, nisi amicum duro in discrimine versantem iuverit. Quamquam non in *Iphig. Taur.*, cui Pacuvianam certe *Dulorestem* compares (v. supra 7, 9.), sed in *Oreste* v. 802. Euripideus ille amicus certus sic loquitur: estque haec sententia alibi disertius etiam expressa, ut in Eurip. *Hecuba* 1212. Br. (1216. Pors.) et ab Isocrate *ad Demonic.* p. 7. med. ed. Steph. c. 9. §. 5., qui locus certe ipsi Ciceroni obversabatur scribenti *epist.* 16. *l.* IX. *ad famil.* §. 3.

convincunt] D. 106. *conveniunt.* In seqq. Particula *si* ad utrumque disiunctionis membrum pertinens a priore attracta est. Verbo *contemnunt* Moserus suadet ut e tribus cdd. addamus *amicos:* quos compendio *AM* circumscriptos ante voc. *aut* (ed. vet. s. l. < *in*, quam absorpsit seq. litera *m*) facile contemnere et deserere potuerit levitas infidi librarii: cuius rei testis citatur I. Nicolai *de siglis veterum* p. 65. Sed per se intelleguntur *amici.*

C. 18. *igitur*] L. β *ergo* > L. α: fortasse recte; ea est enim huius sententiae ad praecedentem ratio, ut Part. adversativa potius subaudiatur, ut si diceretur: *Sin quis utraque in re.*

gravem] (< *et* L. α.) > ed. vet. s. l.: concinne sane, si legatur *constantem et stabilem*, vel × cum D. 119 a. *stabilem* (inseras tamen *et*) *constantem.* Cf. §. 2. pr. Sed *gravis* h. l. = *firmus* 17, 5. pr.

amicitia] praestiterit, hunc ex maxume raro [hominum] genere iudicare debemus et paene divino.

2 Firmamentum autem stabilitatis constantiaeque eius, quam in amicitia quaerimus, 65
3 fides. Nihil enim stabile, quod infidum. Simplicem praeterea et communem et consentientem, qui rebus eisdem moveatur, eligi par est: quae

---

praestiterit] ∾ L. β *praestitit*. — L. α < *in*. Otiosum est *in amicitia*, quum praecesserit *utraque in re*. Cf. infra §. 7. pr.

ex maxume] ⨯ L. α, ed. vet. s. l. Eyb: *maxime* (Bern. *maximo*) *ex* †. Cf. *off*. I. c. 33. pr. — Eyb: *hominem genere* ⨯ Bern. D. 106. Erf. L. β, bRl. γ, ε, ed. vet. s. l. *genere hominum*, quem Genitivum Bern. non habet nisi in marg. ascriptum, ut opinor, propter seqq. *et paene divino*: in qua ex *raro* facta gradatione oppositionem quaerebat adhuc Gernhardus. Cf. 17, 5. 21, 11. — L. α, Eyb: *debemus* ⨯ *iudicare*.

§. 2. *constantiaeque*] < *est* † Bern. Erf. L. α ⨯ L. β, bRl. γ *et constantiae est*. Hi omnes libri cum bRl. ε, ed. vet. s. l. multisque aliis post *fides* * < volg. *est*; quod item I. *off*. 7, 23. librarii alii alio loco infercitunt.

§. 3. L. β, Goth. 48. Eyb: *Nihil* (< Bern. Guelpherb. ed. vet. s. l. *est*, excpt. L. <) *enim* (< *est* bRl. γ, Ciz. A. Vim.) *stabile* (< volgo: *est*), *quod infidum* (bRl. γ cum optumo cod. ap. Goerenz. l. c. p. 310. < volgo:) *est*; quod omnibus his locis spurium esse ipse iam suspicatus fueram in censura illa Darmstadiensibus nunciis scholasticis adiuncta l. c. p. 78. Cf. locum similiter a scribarum, qui, quicquid cogitant, idem volunt scribi, interpolationibus perpurgatum I. *off*. 14, 43. f.

consentientem] < Bern. D. 106. Eyb: *id est*, quae in Erf. corrupta sunt in *idem*. Ed. vet. s. l. *et* (< *qui* Ven. 477.); bRl. γ cum Ciz. A *id est qui rebus eiusdem modi utatur*. bRl. ε *l*. (= *vel*) *qui de rebus hisdem moveatur*, *eligere*. Pro volg. *iisdem* ed. vet. s. l. *eiusdem*, corruptum ex *eisdem*, ut cum L. β Eyboque scripsi. Ox. π < *rebus*. Quaeri potest, an hoc membrum propter interpretamenti indicia *id est* et *vel* e §. 4. huc ascitum sit. Equidem retinuerim concinnitatis gratia putarimque illic iteratis verbis respici huc. *Consentire* = ὁμοδοξεῖν. In amicitia esse ὁμοδοξίαν neque tamen hanc unam sufficere docet Aristoteles *eth. Nicom*. IX. c. 6. *Qui rebus eisdem moveatur* = ὁμοπαθής: *eisdem rebus moveri* = συμπαθεῖν vel ὁμοπαθεῖν: de quorum verborum significatu a vi verbi ὁμοιοπαθεῖν distinguendo v. Wyttenbachii *animadvv*. (p. 539. s.) in *Plutarchi moralia* p. 72. *B*. Plutarchus *de amico et adul*. c. 5. p. 51. B. τὸ μάλιστα φιλίας ἀρχὴν συνέχον καὶ συνιστάνον ὁμοιότης ἐστὶν ἐπιτηδευμάτων καὶ ἠθῶν, καὶ ὅλως τὸ χαίρειν τοῖς αὐτοῖς, καὶ τὸ ταὐτὰ φεύγειν προ-

omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum potest
4 esse multiplex ingenium et tortuosum. Neque vero, qui non
eisdem rebus movetur naturaque consentit, aut fidus aut
5 stabilis [potest esse]. Addendum [eodem] 'st, ut
ne in criminibus aut inferundis delectetur aut
credat oblatis: quae omnia pertinent ad eam, quam
6 iam dudum tracto, constantiam. Ita fit verum illud, [quod
7 initio dixi,] amicitiam nisi inter bonos esse non posse. Est

---

τον εἰς ταὐτὸ συνάπτει καὶ συνίστησι διὰ τῆς ὁμοιοπαθείας. Id. c. 7. p. D. E. *Ἀρχὴν δὲ φιλίας ἔφαμεν εἶναι τοῖς πλείστοις τὴν ταὐτὰ μὲν ἐπαινοῦσ ἀσπαζομένην ἔθη καὶ ἤθη, τοῖς δὲ αὐτοῖς χαίρουσαν ἐπιτηδεύμασιν καὶ πράγμασι καὶ διατριβαῖς, ὁμοιοπαθῆ διάθεσίν τε καὶ φύσιν.*

Neque] L. α *Nec.* Tum ed. vet. s. l. † < *ingenium.* Bern. *ingeniosum.* × L. β totam hanc sententiam reiicit post §. 4.

§. 4. *eisdem* iterum Bern. Erf. L. β, Eyb pro volg. *iisdem.* Tum Erf. L. α, β cum libris Goerenzii *naturaque;* Bern. *naturaeque;* ed. vet. s. l. *namque.* D. 106. cum volg. *et natura.,* Plutarcho *de am. et adul.* c. 9. p. 53. *F.* pr. dicitur *συμπαθὴς καὶ συμφυής.*

aut fidus] Nostri quoque libri omnes tuentur *aut* expunctam a superis edd., contra quos Grz. l. c. p. 310. comparat *Acadd.* I. 11, 39. f. *fin.* V. 21, 57. *nec vero intermittunt aut ammirationem earum rerum — aut investigationem novarum.* Eyb: *aut stabilis* × *aut fidus,* itemque cum L. α *esse* × *potest.* Cf. 15, 3. 8. f.

§. 5. *eidem est* L. α × L. β *est eisdem,* ut sane volg. *eodem* suspicionem movere possit, etiamsi comparaveris §. 8. pr. *Accedat huc* et *off.* I. 42, 150. f. — L. β, ed. vet. s. l. *ut nec* > L. α *ne.* D. 106. *in* > *criminibus — delectetur* < *amicus* † cum eod. libro Eyb. Praepositio *in,* quae volgo abest, cum Abl. Participii sic iungitur 8, 2. Cf. 23, 3. *ad fam. l. VI. ep.* 4. §. 11. f. *in hac inani prudentiae laude delector,* et quae observavit Goerenzius ad II. *legg.* 7, 17. pr. Neque verborum structura, quo minus eam h. l. reciperemus, obstare videbatur. Nam in altero membro per *ἀνακολουθίαν* quandam novo verbo illato subauditur substantivi Dativus, quum disiunctio post Substantivum facta eundem Casum in altero quoque membro expectare iuberet.

omnia pertinent] × Bern. D. 106. Erf. L. β, bRl. γ, s, ed. vet. s. l. *pert. omnia.* Cf. §. 3. — *iam* > L. α, ed. vet. s. l. Eyb: *dudum.* Cf. 22, 3.

§. 6. *Ita*] < L. α, β *que;* ed. vet. s. l. *itaque sit v.* × Bern. *Ita verum sit.* — D. 106. L. α *in* > *initio* > in L. β superscriptum. — Eyb: *quod dicitur.* Hoc emblema, simile illi 4, 8., suspicamur ascriptum ab aliquo, qui meminisset loci 5, 5. Cf. praeterea 20, 11.

enim boni viri; quem eundem *sapientem* licet dicere, haec duo tenere [in amicitia]: primum, ne quid fictum sit neue simulatum (aperte enim vel odisse magis ingenui 'st, quam fronte occultare sententiam); deinde non solum [ab aliquo] allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum [semper aliquid existimantem ab amico esse violatum].

8. **Accedat huc suavitas quaedam sermonum** 66 **atque morum**, haud quaquam mediocre condimentum p. 109. a.

---

§. 7. *dicere*] Schwarzii Altf. cod. *nominare*. — L. β *teneri*; L. α *in amicitia* × *tenere*. V. 20, 12. 14. f. Videtur hic ex generali sententia concludi. — D. 106. *est* > *primum*. — Pro *neue* Bern. *neque*.

aperte] Eyb: *appetere* † et cum L. α, ed. vet. s. l. † *amare* > *vel odisse*. — Bern. L. α *ingenii* †; Eyb: *ingenuum* † Cf. *fin.* II. 24, 77. *Verba tu fingas et ea dicas, quae non sentias —: ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur? Vide, quaeso, rectumne sit.* — D. 106. *iam* > *deinde*. E superioribus intellegitur *est boni viri*. Indicavimus igitur parenthesin, cuius indicium Part. *enim*, ut 1, 6. pr.

non] < L. α *magis*. — Ox. U. *ab alio*; — D. 106. *oblatas*; L. β *illatas*; × Eyb: *illatas ab aliquo*; ed. vet. s. l. *oblatas de aliquo*. Comp. §. 5. videatur deletis verbis *ab* (> Bern.) *aliquo* > legendum *oblatas*. Sed vetat oppositio *allatarum* et *repellendarum*; in isto autem voc. *allatas* simul latet oppositio seqq. verborum *ne ipsum quidem*, ut opus non fuerit addi *ab aliquo*. Cf. Cic. l. III. *ad famil. ep.* 8. §. 19. Appio scribens: *Tu quom istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere* etc. quae variatis verbis §. 23. iterantur, idque *doctissumis hominibus auctoribus, quorum sunt de amicitia gerunda praeclarissume scripti libri.* Vt h. l. *repellere*, sic = *reprimere* ib. §. 26.

ne i. quidem] Ed. vet. s. l. *nee i. q. e. s.* × *suspiciosum* (L. α <) *esse* Erf. Horum vv. interpretamentum esse videtur totum hoc membrum *semper aliquid . . . violatum*. Nam Adv. *semper* adversatur ex meo quidem qualicumque sensu degradationi Particulis *ne . . . quidem* indicatae. Aliter res se habet 20, 2. pr. Certe dubia sunt vv. *existimantem* (ed. vet. s. l. *extimantem* > L. α.) *ab amico* (Ox. v *aliquo*, I *amicis*) *esse* vel (L. α <) *fuisse*, quod Eyb substituit. Haec omnia de boni viri officiis generaliter ponenda fuerunt ad ea, quae modo ante singulariter de amicitia dicta essent, confirmanda.

§. 8. *Accedat h. s. quaedam*] D. 106. < volgo: *oportet*. L. α *oportet* × *suavitas quaedam*. Eyb: *sermonum* × *oportet*. Id. *haud quoquam* †. Bern. D. 106. *haud quamquam* †.

9 amicitiae. Tristitia autem et in omni re severitas habet illa quidem gravitatem; sed amicitia remissior esse debet et liberior et dulcior et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

19 Existit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis: 67
num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi, ut equis vetulis teneros an-
2 teponere solemus. Indigna dubitatio! Non enim amicitia-
8 rum [debent esse], sicut aliarum rerum, satietates. Veterruma quaeque, ut ea vina, quae vetustatem ferunt, [debe[n]t esse] suavissuma. verumque illud est, quod dicitur,

---

§. 9. *autem*] in Bern. a correctore erasa. Eyb: *quidem* †. — L. *α* † < *et.* V. annot. ad *or. in Clod. et Curion.* IV. 1. f. *Quid cum hoc homine nobis tam tristi ac severo.*

severitas] < *absit* D. 106. L. *α*, ed. vet. s. l. Scilicet offendit librarium pleonasmus Pronominis *illa* cum Particc. *quidem*, *sed:* quo de v. obs. ad II. *off.* 6, 21. f. — Eyb *habent.* — Ed. vet. s. l. < *sed* < *in* Bern.

et] > Bern. (cum L. *α*, *β*) *ad omnem* et cum ed. vet. s. l. *commoditatem;* L. *α communitatem.* Plutarchus *de amico et adul.* c. II. p. 49. *E. F.* laudat familiares τοὺς κεχαρισμένως ὁμιλοῦντας. Οὐδὲ γὰρ — τῷ πικρῷ σεμνὸν ἡ φιλία καὶ αὐστηρῷ: ἀλλ' αὐτὸ δὴ τοῦτο τὸ καλὸν καὶ τὸ σεμνὸν αὐτῆς ἡδὺ καὶ ποθούμενόν ἐστι. Id. c. XI. p. 54. *F.* αἱ μὲν τῶν φίλων χάριτες ἐπὶ καλῷ τινι καὶ ὠφελίμῳ τὸ εὐφραῖνον, ὥςπερ ἐπανθοῦν, ἔχουσιν· ἔστι δ' ὅτε καὶ παιδιᾷ καὶ τραπέζῃ καὶ οἴνῳ, καὶ, νὴ Δία, γέλωτι καὶ φλυαρίᾳ πρὸς ἀλλήλους, οἷον ἡδύσμασιν ἐχρήσαντο τῶν καλῶν καὶ σπουδαίων etc. et XXV. p. 66. *D.* κομιδῇ τινὸς ἀμούσου καὶ ἀτέχνου πρὸς εὔνοιαν ὁμιλίας, ἀηδίᾳ καὶ χαλεπότητι φεύγειν τὸ ἀγεννὲς ἐν φιλίᾳ καὶ ταπεινόν.

C. 19. *Extitit* L. *α*, ed. vet. s. l. — ~ Bern. L. *β quaestio* × *quaedam.* — Ed. vet. s. l. *ali*>*quando*<*que* Ox. E. ~ L. *α*, *β numquid.* V. Horat. Tursellin. *de Partt.* ed. Ern. p. 516. 517. c. 155. n. 7. 10.

§. 2. Ed. vet. s. l. *Haec est hominum* (L. *α O homine*) > *indigna dubitatio* < (*haec est* L. *β* cum quinque libris Manutii) *homine* Erf. × volgo: *i. homine dub.* Interpolatio nata ex *equorum* mentione.

amicitiarum d. e.] × Nostri omnes ll. *debent esse* (bRl. *s causae*>) *amicitiarum.* D. 106. ed. vet. s. l. Eyb: *societates.*

§. 3. *Veterrimae . . . suavissimae* a quibusdam editur non aliunde, ut videtur, quam ex correctione P. Suffridi. Nam libri, quod sciam, omnes *Veterrima — suavissima:* quod retinuimus adhibita faciliore correctione in Verbi Numero. Pro volg. *esse debent* × Erf. L. *β*, ed. vet. s. l. *debent esse:* de quo verborum ordine paene tam sollenni, quam *potest esse*, cur h. l. secus, quam §. 2., statuendum Gernh. p. 277. in *addend.* ad p. 143. decreverit, nescio equidem.

verum] Eyb < *que*, Bern. bRl. *s verumque est illud.* Erf. < *illud*

multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus
4 *expletum sit.* Novitates autem si spem afferunt, ut, tam- 68
quam in herbis non fallacibus, fructus appareat; non sunt
illae quidem repudiandae; vetustas tamen loco conservanda.
5 Maxuma 'st vis vetustatis et consuetudinis. Quin ipso equo,
[cuius modo mentionem feci,] si nulla res impediat, ne-

---

assentiente Wundero in *praef.* p. CXXIV. Verumtamen *illud* infert notum proverbium. Cf. etiam 23, 7. pr.

multos modios] >< L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. *modios multos.* Ead. ed. < *simul.* — Eyb: *expleatur;* L. *α expletum sit* >< *munus amicitiae.* Cf. Plutarch. *περὶ πολυφ.* c. 3. pr. §. 8. p. 94. *A.* *περὶ φιλαδελφ.* t. II. p. 482. *B.* *ἡ φύσις ἡγεμονίαν τῇ κρίσει πρὸς εὔνοιαν* (h. e. *ad fraternum amorem*) *οὐ δίδωσιν οὐδὲ ἀναμένει τὸν θρυλλούμενον τῶν ἁλῶν μέδιμνον,* np. *ut in amicitia.* Aristot. *eth. ad Nicom.* VIII. 3. sect. 6. *κατὰ τὴν παροιμίαν οὐκ ἔστιν εἰδῆσαι ἀλλήλοις πρὶν τοὺς λεγομένους ἅλας συναλῶσαι.* Id. *moral. Eudem.* VII. 2. *εἰς παροιμίαν ἐλήλυθεν ὁ μέδιμνος τῶν ἁλῶν.* Apostolius *proverb.* II. 60. Extat hoc adagium in Schotti *metricis* 968. recensuitque Erasmus p. 1489. *chil.* II. *centur.* I. n. 14. ed. Froben. p. 361.

§. 4. *Novitates*] Plutarchus *περὶ πολυφιλ.* p. 93. *D.* c. II. §. 4. *ἕκαστον ἡμῶν διὰ τὸ φιλόκαινον καὶ ἀψίκορον ὁ πρόσφατος ἀεὶ καὶ ἀνθῶν (φίλος) ἐπάγεται καὶ μετατίθησι πολλὰς ὁμοῦ καὶ ἀτελεῖς ἀρχὰς πράττοντας φιλίας καὶ συνηθείας, ἔρωτι τοῦ διωκομένου παρερχομένους τὸν καταλαμβανόμενον.*

appareat] L. *α appareant.* — bRl. *γ* † *quidem* >< *illae.* — Pro *tamen* L. *α autem.* — Eyb cum volg. *suo loco conservanda est* >< L. *β in* > *loco suo* Bern. > D. 106. *loco maxime cons.* et cum L. *α*, bRl. *γ* < *est.* Propter eandem inconstantiam loco non conservandum Pron. *suo* iudicavimus I. *off.* 40, 143. pr. *Loco* hic simpliciter dicitur pro *loco iis debito* vel *conveniente:* ut IV. *Att. ep.* 2. *quisque horum loco sententiam rogatus.*

Maxuma 'st] < volgo: *enim*, quae Part. in Erf. a manu recentiore superscripta ad similitudinem l. *pro Rosc. Am.* 22, 63. pr. >< Bern. L. *α enim est v.* >< Eyb: *enim vis est*, ut adeo ipsum verbum suspectum faciat, licet *pro Mil.* 23, 61. f. dicatur: *Magna est vis conscientiae.*

§. 5. *Quin*] Sic cum Pithoeano cod. Garatonius ad *Phil.* I. 12. p. 88. sa. D. 106. *qui in.* Erf. *quin et in*, sed in rasura. Ed. vet. s. l. *ut in.* L. *α*, *β atque* (bRl. *γ*, *ε*, Eyb: *Atqui*) *in.* Grz. observat II. *Phil.* 29. extr. *Quin his ipsis temporibus* in codd. praeter unum Vaticanum omnibus pariter corruptum in *Quippe in his* etc.

modo mentionem] L. *α*, ed. vet. s. l. *mentionem* (Ox. *ν* <) *nunc.* bRl. *γ*, *ε feci* (D. 106. *fecimus*) >< *mentionem.* Totum emblema debetur ludi magistro, sicut illud 2, 7. pr. §. 12., ubi praeter Guelpherb. cod. mem-

mo 'st, qui non eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo. Nec vero in hoc, quod est animal, sed in is etiam, quae sunt inanima, consuetudo valet; quom locis ipsis delectemur, montuosis et silvestribus, in quibus
6 diutius commorati sumus. Sed maxumum in amicitia, pa- 69
rem esse inferiori. Saepe enim excellentiae quaedam

---

bran. forma octonaria (*August.* 51, 12.) etiam Ox. σ *ut dicis*, Ox. η *ut aiunt.* H. l. est interpretatio Pronominis *ipso.*

qui non] Erf. *quin.* — Bern. *intracto*, sed correctum *intractato;* Eyb: *intacto;* D. 106. *intemptato.* — *et novo* < *et ignoto* L. β.

Nec vero] Sic Bern. ed. vet. s. l. Eyb cum aliis plerisque Goerenzii, qui V. D. observat harum Partt. usum in transitione atque omissionem Particulae *modo* sequente *sed* comp. II. *N. D.* 64, 162. *Nec vero supra terram, sed etiam in intumis eius tenebris.* Aliter comparatus est locus ibid. 29, 74., ut non magis in eo reperiatur pariatio, quae hic obtinet, quam I. *off.* 8, 25.; sed plena oppositio contrariorum. H. l. a bRl. ε substituitur *nec modo in hoc* < bRl. γ *tantum.* Erf. *nec vero* (< L. β *ut*, sed punctis notatum) *in hec tantum* < *modo* L. α. — L. β *q. e. animali, sed in hiis* < ab al. manu *etiam.* Bern. Eyb: *in his etiam.* — L. β a m. 1. *inanima;* m. 2. cum volg. *inanimata.* Eadem varietas II. *off.* 3, 11. pr. 12. 4, 14. 5, 17. 6, 19.

quom etc.] D. 106. *quin locis illis delectemur.* bRl. ε *nobis dico* > *qui* Bern. < Erf. *in* (cf. obs. ad 18, 5.) *locis ipsis* (Bern. *ipsi;* bRl. γ, ed. vet. s. l. *quia l. ipsis*) *delectamur.* L. β *quia in locis ipsis delectantur.*

montuosis] Bern. L. β, bRl. γ, ε, Eyb < D. 106. Erf. ed. vet. s. l. cum volg. *etiam.* L. α *delectemur etiam sylvestribus.* Part. *etiam* videtur profecta a sciolo, qui arbitraretur, eiusmodi locos per se minus delectare, quam illum, de quo vates cecinit: *Ille terrarum mihi praeter omnis angulos ridet* etc. meminissetque forte Ithacae, *asperrumis quam patriam tamquam nidulum In saxulis affixam sapientissumus Vir immortalitati ipsi anteposuit*, ut ex Homeri *od. A.* 56. ss. veteris cuiusdam, ut videtur, poëtae, fortasse Pacuvii in *Teucro*, verbis memoratur ap. Cic. I. *de or.* 44, 196. *legg.* II. c. 1. extr. Cf. ib. c. 2. pr. *movemur enim nescio quo pacto locis ipsis.* I. *fin.* 20, 69. sub f.

§. 6. *Sed maxumum*] < volgo: *est* > L. α *in amicitia* et cum D. 106. Erf. Ox. ν, ο, σ < Eyb cum volg. *superiorem*, quod voc. in L. β ab alia manu accessit, recte vero reiicitur ab Ed. Wundero in *praef.* ad *VV. LL. cod. Erf.* p. CXXIV. Sine verbo dicitur *off.* III. 32, 114. pr. *Sed illud maxumum.*

enim] Erf. *etiam.* Id. *qua vel* pro *qualis.* Scilicet eodem plane compendio *l'* scribi solitum tum *vel* tum *lis.* In *excellentia* = §. 7. *prae-*

sunt: qualis erat Scipionis in nostro (ut ita dicam) grege. Numquam se ille Philo, numquam Rupilio, numquam Mummio anteposuit, numquam inferioris ordinis amicis. Q. vero Maxumum fratrem, egregium virum omnino, sibi nequaquam parem, quod is anteibat aetate, tamquam superiorem cole-
7. bat: suosque omnis per se [esse] amplioris volebat. Quod 70
faciundum imitandumque omnibus, ut, si quam praestantiam b.
virtutis, ingéni, fortunae consecuti sunt, impartiant [ea] suis communicentque cum proxumis: ut, si parentibus nati

---

stantia virtutis, *ingéni*, *fortunae*, secus exponenda excelluit lepida Billerbeckii interpretatio, devia, ut videtur, propter Pluralem. Is vero h. l. adhibitus est accommodate ad *saepe*.

se ille] × Bern. L. *α ille se.* — Bern. D. 106. Erf. L. *β Rutilio;* L. *α rutilo.* V. 20, 7. — Erf. *nummio;* ed. vet. s. l. *Numio;* L. *α Numicio.*

vero] > Erf. *Q. Max.* V. obs. ad 12, 6. — *fratrem* < *suum* L. *α* cum ed. vet. s. l., quae *nequaquam* × *sibi.* Bern. < *aetate.* V. Plutarchi testimonium ad 3, 5. ascriptum. Similiter Cic. I. *de re p.* c. 12. de Scipione et Laelio: *fuit hoc in amicitia quasi quoddam ius inter illos, ut militiae propter eximiam belli gloriam Africanum ut deum coleret Laelius; domi vicissim Laelium, quod aetate antecedebat, observaret in parentis loco Scipio.*

esse] Vnus Manutii < *posse* ed. vet. s. l. × bRl. *γ*, Bern. D. 106. Erf. *posse esse* × L. *α*, *β*, bRl. *ε posse ampliores esse.* V. *posse* ascriptum videtur ad indicandam vim vocum *per se*, nimirum, ut *volebat* acciperetur pro *patiebatur.* Infinitivus *esse* suspectus ipsa transpositione abest a quodam Manutii libro, in quo tamen retinetur *posse.* Cf. 22, 1.

§. 7. *Quid* L. *α.* Post *imitandumque* L. *α* < volg. *est,* quod in Bern. post voc. *omnibus* demum superscriptum.

sunt] Ed. vet. s. l. *sint* cum L. *α*, in quo scriptum *impertiantur ea;* ed. illa: *eam.* Pron. in C. Langii ed. omissum tuetur Grz. observans eorum, quae ante memorata sint, summam Neutris Pronominum demonstrativorum colligi: quod verum est. Sed saepe alibi reticentur Pronn. cuiusvis vel numeri vel generis, ut extr. hoc cap. et 20, 3. *off.* I. 26, 9. f. (§. 92.) c. 42, 151. *Mercatura . . multa undique apportans multisque sine vanitate impartiens.*

communicentque] Ed. vet. s. l. † *convincuntque.* Bern. L. *α* † < *cum.* Tum Bern. a m. 1. cum D. 106. *sunt* et ed. vet. s. l. *habent* pro volg. *sint . . . habeant.* Solet autem in tali verborum circuitu constructio Modorum variatione distingui, ut modo ante. Alioqui mallem haec a superioribus seiungere, sicut alibi Partt. *ut si* in exemplis afferendis usurpantur:

sunt humilibus, si propinquos habent imbecillioris vel animo vel fortuna, horum augeant opes eisque honori sint et dignitati; ut in fabulis, qui aliquam diu propter ignorationem stirpis et generis in famulatu fuerunt, quom cogniti sunt et aut deorum aut regum filii inventi, retinent tamen caritatem
8 in pastores, quos patres multos annos duxerunt. Quod mul-

Vt si (ed. vet. s. l. † *a* >) *parentibus nati* s i n t *h.*, *si p.* h a b e a n t *..:* h o r u m (e Bern. pro volg. *eorum*) *augeant:* qui Modus hortandi in praeceptis ponitur 13, 1. Sed iteratae Part. *ut* in consecutione apodosin annectentis rationem recte expedivit Gernhardus.

eisque] Ed. vet. s. l. *eiusque.* — *ut in fabulis* < *de illis dicitur* † ead. ed. — Erf. *aliquando* †, ut L. α, β, quibuscum ed. vet. s. l. *ignorantiam* †. Ead. ed. *et* > *stirpis et g.* — L. β < *in* —. Pro volg. *fuerint* L. α *fuerunt.* — Bern. D. 106. < *et* —. L. β *sunt* (quod in Erf. punctis notatum) > *inventi.*

in pastores] < *vel in posteros* cod. Altf. Schwarzii, qui p. 8., nisi ob soni similitudinem orta esset haec lectio, rebatur addendum *eorum:* sic probabilem certe subesse sententiam.

multos annos] D. 106. Erf. < volgo *esse.* Hoc vero verbum repudiat E d. W u n d e r u s in *praef.* laud. p. CXXIV., quia deberet certe ante *mult. a.* poni. Quod ipsum sensisse videntur item librarii. Nam L. α, ed. vet. s. l. *multos* e s s e p e r *annos* et cum L. β, bRl. γ † *dixerunt* pro *duxerunt.* De utriusque verbi confusione v. citata a Mosero ad III. *de re p.* 23. p. 385. et de Infinitivo *esse* rarissume ad v. *duco* addito eundem et Creuzerum ad I. 2. p. 12. sq. ibidemque in *addendis* p. 562. ss. et IV. 7. p. 427. Quum h. l. etiam in Goth. 48. sit p e r m u l t o s *esse annos:* Moserus p. 979. Accusativorum concursum vitandi gratia praefert *multos per annos*, comp. *or. de imperio Pompei* 11, 32. *provinciam . . . liberam* p e r *hosce annos.* Sed sic dicitur ubique, ut ib. 11, 31. s. 12, 32. 22, 65. et Soloecum prorsus foret dicere *hos annos.* Itaque Pronominis demonstrativi usus cum voc. quantitatis comparandus nullo modo fuit.

§. 8. *Quod*] <aliq. libri *quidem*> L. α *Quid* et cum D. 106. *est* (> L. β) p r o f e c t o *multo* × *est multo* (Bern. <) *profecto* bRl. γ, s, Erf. ed. vet. s. l. Cf. 4, 2. Abest voc. *profecto* etiam ab alio quodam cod. Goerenzii, qui V. D. p. 311. observat Ciceronem alibi scribere simpliciter *multo etiam magis*, in quo vv. positu illud voc. hic non desideratum iri, quum sententiae vis insit non tam in *magis* (> Ciz. b), quam in *veris.* Hic nescio qua fide Gernh. ediderit *veris* × *in.* — Ox. ψ *parentibus*, quae lectio e compendio *pribus* = *patribus* oriri potuit. Ed. vet. s. l. *patribus* c e t e r i s q u e; L. α *certisque* × *patribus.* — *Faciundum* per *u* scripsi cum Erf. *faciendum* < *est* L. β, ed. vet. s. l. De Praepos. *in* cum Abl. in hu-

to magis in veris patribus certisque faciundum. Fructus enim ingéni et virtutis omnisque praestantiae tum maxumus
20 capitur, quom in proxumum quemque confertur. Ut igitur ii, 71
qui sunt in amicitiae coniunctionisque necessitudine superiores, exaequare se cum inferioribus debent: sic inferiores non dolere, se a suis aut ingenio aut fortuna aut
2 dignitate superari. Quorum plerique aut queruntur semper aliquid aut etiam exprobrant, eoque magis, si habere se putant, quod officiose [et amice] et cum labore ali-
3 quo suo factum queant dicere. Odiosum sane genus hominum, officia exprobrantium: quae meminisse debet is, in
4 quem collata sunt, non commemorare, qui contulit. Quam 72
ob rem ut ii, qui superiores sunt, summittere se debent in
5 amicitia: sic quodam modo inferiores extollere. Sunt enim

---

iusmodi locutionibus cf. 12, 5. — Nobis quidem totum hoc consectarium nimis singulare de interpolatione suspectum fit. Seq. Part. *enim* facile explicabitur, si subaudieris approbationem magis generalem: *Et recte quidem.*

Fructus] Similiter dicitur *off.* II. 16, 56. *fructus liberalitatis;* eodemque sensu Cic. in *oratore* 10, 34. scribit ad Brutum: *frueris ipse te.* Male igitur ed. vet. s. l. *natura* > *ingenii.* — Pro *tum* L. *β tunc.*

C. 20. *ii*] Eyb: *hi.* Cf. §. 4. pr. — *a* (> L. *β*) *suis* < *amicis* Eyb. cum ed. Vet. s. l., quae ead. *ingeniis* pro *ingenio* < *plerique* † L. *α.*
§. 2. *querentur.* † L. *β; quaerunt* † L. *α.* — *exprobant* † Bern., ut §. 3. Eyb *exprobantium*, e perversa scilicet originatione. Vv. *et* (Ven. 477. al. *aut* > ed. Lugd. 556.) *amice*, quibus in Palat. quart. substituitur *in* (> Palat. sec.) *amico*, praecedenti v. *officiose* ab interprete ascripta suspicatur post Gruterum Goerenzius, quia adversantur concinnitati congeminorum membrorum. — L. *α* < *suo factum.*

§. 3. *Odium* † Erf. — *debet is* < *potius* Eyb. — L. *β quae* † *contulit.* Cf. Demosthenes *pro corona* p. 517. (Reisk. 316.) Plutarch. *de amico et adul.* c. XXII. p. 64. *A.* *Πᾶσα ὀνειδιζομένη χάρις ἐπαχθὴς καὶ ἄχαρις καὶ οὐκ ἀνεκτή.* Seneca *de benef.* II. 10. f. *Inter prima praecepta et maxime necessaria sit, ne umquam exprobrem, immo ne admoneam quidem. Haec enim beneficii inter duos lex est: alter statim oblivisci debet dati, alter accepti numquam. Lacerat animum et premit frequens meritorum commemoratio.*

§. 4. Erf. *submittere se.* — Bern. *et* > *sic* — *inferiores* < *debent* ed. vet. s. l.

quidam, qui molestas amicitias faciunt, quom ipsi se contemni putant: quod non fere contingit, nisi is, qui etiam contemnendos se arbitrantur. Qui hac opinione non modo
6 verbis, sed etiam opere levandi sunt. Tantum autem 73
p. cuique tribuendum, [primum] quantum ipse effi-
110. cere possis; deinde, quantum ille, quem dili-
a.
7 gas atque adiuves, sustinere. Non enim tu pos-

---

§. 5. × *contemni se p.* Erf. × *putant contempni se* L. *α*. Cf. 16, 11. Facile post *ipsi* Pron. *se* potuit praeteriri, deinde Verbo subiici ad exemplum sequentium: quorum tamen ipsorum ordo variat, ut prox. annotatio manifestabit. Ceterum huius generis amico cuidam querulo Cato Maior ap. Plutarch. in *vita* c. 37. p. 177. *B.* *κινδυνεύει τὸ λίαν φιλεῖν* (ὥς φησι *Θεόφραστος*) *αἴτιον τοῦ μισεῖν γίνεσθαι πολλάκις* (cf. supra 10, 8.)· *ἐπεὶ καὶ σὺ τῷ μάλιστα φιλεῖν, ἧττον οἰόμενος, ἢ προσήκει, τιμᾶσθαι, χαλεπαίνεις.*

contingit] Bern. *contigit.* — Ed. vet. s. l. *nisi his;* ∼ L. *β* *nisi in hiis qui* (< *etiam*) *contempnandos se* × L. *α* *se contemnendos.* Cf. *off.* I. 22, 2. pr. *id in magnis animis ingenisque plerumque contingit;* et *Brut.* 31, 118. pr.

§. 6. *tribuendum* (> L. *α*) < *est* Bern. × *tribuendum cuique* ed. vet. s. l. *primum* < *est* ead. ed. cum L. *α*. × L. *β* *cuique primum trib. est.* — L. *β* *possit.* Sufficerent ad sententiae integritatem haec: *tantum autem tribuendum,* si quidem haec arctius applicanda ad praecedentem sententiam: *qui hac opinione . . . . levandi sunt.* At vero non ad istos solos, sed ad omne amicorum genus spectat novum hoc praeceptum generale. In seqq. autem probabiliter Ox. *x* < *ipse;* D. 106. < *efficere:* ut post Gerundium illud ad *quantum possis* subaudiatur *tribuere* = §. 8. *deferre ad alterum.* Suspicionem movet potius *primum,* quippe quod sua sponte intellegatur e seq. oppositione, quum inter se reciprocentur *primum* et *deinde.* Et quam importune vagum istud vocabulum se intrudit inter *tantum, quantum!* Certe ita collocanda fuerunt vv. *Tribuendum autem cuique primum tantum* etc.

deinde] Ciz. b. < *et* L. *α* pro volg. *etiam:* quod quidem inutile deprachendetur comp. I. *off.* 14, 2. (42.) — D. 106. *ipse* pro *ille* — *sustinere* < *possit* L. *α*, ed. vet. s. l.

§. 7. *tu* < *neque* Erf. L. *β*, quasi sequeretur: *neque, si possis, quidvis ad alterum deferre debeas; sed videndum, quid* etc. × Bern. L. *α* *neque tu* etc., post quae expectaretur alterum membrum: *neque alter quidvis possit sustinere;* sed sic continuanda constructio §. 8. mutata foret in *ἀνακόλουθον.* Cf. *or. pro Scauro* II. §. 2. ibique obs. ad Asconium.

sis, quamvis licet excellas, omnis tuos ad honores amplissumos perducere: ut Scipio P. Rupilium potuit consulem ef-
8 ficere, fratrem eius Lucium non potuit. Quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum: videndum tamen, quid ille
9 possit sustinere. Omnino amicitiae corroboratis 74
iam confirmatisque et ingenis et aetatibus iudicandae sunt; nec, si qui ineunte aetate venandi aut pilae studiosi fuerunt, eos habere necessarios, quos tum
10 eodem studio praeditos dilexerunt. Isto enim modo nutrices et paedagogi iure vetustatis plurumum benevolentiae postulabunt: qui neglegendi quidem non sunt, sed alio quodam mo-

---

quamvis] Sic bRl. γ (ε in marg.) ed. vet. s. l. pro volg. *quantumvis* (quod est in D. 106. Erf. et a m. 1. in bRl. ε) < L. α. *quamvis*; L. β et > *quamvis* < *licet* Gernh. cum ed. C. Langii, MSS. Colon. et Oxx. ο, σ: idque melius. Falso autem *quantumvis licet* tribuitur Eybo, apud quem nullum ex h. l. excerptum extat certe in ed. a. 493.

P. Rupilium] Sic L. β, ed. vet. s. l.; *P. Rutilium* Bern. bRl. γ, ε, D. 106. Erf. L. α, ut 19, 6. (§. 69.). V. Boher. ad *Tusc.* IV. 17, 40. — Goth. 48. *efficere* > *non potuit.* Cf. obs. ad 17, 4.

§. 8. Bern. *quodvis.* — D. 106. *ferre* × ed. vet. s. l. *deferre quidvis.* Tum *videndum tamen* D. 106. < *est* Vim. × volgo: *vid. est tamen.* — Bern. L. α *quod.*

§. 9. *et* > Erf. L. β *ingeniis.* — Pro *nec* L. β *nisi.* — Ed. vet. s. l. *aut* > *venandi* — L. β *studiose* et cum L. α, D. 106. Erf. ed. vet. s. l. *fuerunt* pro volg. *fuerint.* Tum ead. ed. *oportet* > *eos habere necessarios* Bern. bRl. γ, ε, D. 106. Erf. < *oportet* volgo. Gernh. e superioribus supplet *iudicandi sunt.* Malim post *nec* subaudiri *iudicandum* (= *decernendum*) *est:* ne hoc ad alienum iudicium referatur. De notione et vi voc. *necessarius* praeter annot. ad 15, 10. f. v. Iac. Grimmium in Savinii, Sciuri et Goeschenii trifronte *Iano iuris perito* (*Zeitschrift für geschichtl. Rechtswissenschaft*) vol. II. fasc. 1. p. 40.

tum] D. 106. *cum.* Ceterum *quos pilae studiosi eodem studio praeditos dilexerunt*, eos συσφαιρίσαντας vocat Plutarchus περὶ πολυφιλ. c. III. §. 8. p. 94. *A.*

§. 10. *Illo enim m.* ed. vet. s. l. — *iure* † *potestatis* Schwarzii Altf. cod. — *postulabant* † ed. vet. s. l. Pro *neglegendi* Bern. a m. 1. *diligendi.*

sed] > † ed. vet. s. l. *alio quodam modo* < bRl. ε, D. 106. Erf. *est;* bRl. γ *sunt.* Goerenzio l. l. p. 311. subaudiendum videbatur *curandi.* At vero non tam contrarium verbi *neglegendi* hic subauditur, ut fere alibi

11 do. Aliter amicitiae stabiles permanere non possunt. Dispares enim mores disparia studia secuntur, quorum dissimilitudo dissociat [amicitias]: nec ob aliam causam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta 'st inter eos, quanta maxuma potest [esse], morum studiorumque distantia.

12 Recte etiam praecipi potest [in amicitiis], ne intemperata quaedam benevolentia (quod persaepe fit) impediat magnas utilitates amicorum. 75

13 Nec enim (ut ad fabulas redeam) Troiam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrimis iter suum impedientem, audire voluisset.

14 Et saepe incidunt magnae res, ut discedendum sit ab amicis: quas qui impedire volt, quod desiderium non facile fe-

---

dicere in altero membro post *negare;* sed idem verbum una cum negatione ipsa denuo cogitandum relinquitur, np. *neglegendi non sunt* = *diligendi*, quod ipsum in quibusdam libris suppletur.

Aliter] < Bern. *enim;* × ed. vet. s. l. *Non enim aliter amicitiae possunt permanere.* Cf. 10, 2.

§. 11. *secuntur*] Sic scriptum in excpt. L. *Studia sequuntur* < *eorum* L. α, β. — Ed. vet. s. l. *amicitias* × *dissociat*, cuius Verbi absolute positi interpretatio videtur *separat amicitias:* quam lectionem excerpsit Eyb. Certe non tam usitate dixeris *dissociare amicitias*, quam *dissociare animos* v. *amicos*. Et hanc *dissociationem* non ad amicitiarum stabilitatem tantum pertinere, sed in universum ad primam benevolentiae coniunctionem, patet in seqq. Cf. Plutarch. *περὶ πολυφιλ.* c. VIII. p. 96. E. *πῶς οἷόντε φιλίαν ἤθεσι διαφόροις ἐγγενέσθαι καὶ πάθεσιν ἀνομοίοις καὶ βίοις ἑτέρως προαιρέσεως ἔχουσιν;*

aliam causam] Ox. ν < volgo: *ullam* × L. α *aliam ullam causam.* L. β † *ulli boni improbis* < *improbi bonis.* — Ed. vet. s. l. < *nisi* —. Eyb: *maxime* —. Bern. *esse* × *potest.* Infinitivus intellegitur, praecedente verbo finito *est.* V. Ramshornii grammat. Lat. §. 156. 8) b) p. 321. *Distantia* h. l. et Apulei. p. 35. Wouuer. = *discrepantia.*

§. 12. *etiam*] Ed. vet. s. l. *enim.* — L. α *potest praecipi in amicitia.* L. β *in amicitias.* Cf. §. 14. f. c. 10, 6. 18, 7. Pro Nominativo *quod* in L. β est Abl. *qua*, np. *benevolentia.*

§. 13. *Neque enim* ed. vet. s. l. — *ut* > Bern. *ad* > L. β. — Bern. *si* > *redeam.* — D. 106. *educatus* × *erat.*

§. 14. × Erf. *res magnae, ut d. ab amicis sit* ∼.

quas] *quos* ed. vet. s. l. < *qui.* — Ead. cum L. α, bRl. γ *eo* >

rat, is et infirmus est mollisque naturâ et ob eam ipsam causam parum iustus. Atque in omni re consideran- 76
dum 'st, et quid postules ab amico et quid pa- b.
tiare a te impetrari.

21 Est etiam quaedam calamitas in amicitiis dimittendis nonnumquam necessaria: iam enim a sapientium familiaritatibus ad volgaris amicitias oratio [nostra] delabi-
2 tur. Erumpunt saepe vitia amicorum, quom in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet in-
3 famia. Tales [igitur] amicitiae [sunt] remissione usus eluendae et (ut Catonem dicere audivi) *dissuendae magis, quam*

---

quod. In L. β *eo* superscriptum. bRl. *e est qui;* non distincte tamen exaratum legitur *est.* — Ed. vet. s. l. *non facile* ⨯ *desiderium.* — Ead. ed. † *in* > *natura.*

parum] < Ed. vet. s. l. *est.* D. 106. *in amicitiam* pro volg. *in amicitia* (> Ox. η) *parum iustus.* Cf. §. 12. pr. et 21, 3.

§. 15. † *Atqui* — *et quod* utrobique Bern.

C. 21. *Constat etiam* L. β < *quasi*, quam a nostris omnibus omissam Part., interpretando frustra vindicatam ab Ochsnero in *ecll.* p. 188., repudiavit Wunderus in *praef.* ad *VV. LL. cod. Erf.* p. CXXIV. — bRl. γ, ε, ed. vet. s. l. *sapientum* et hic et §. 4. Cf. 2, 5. *fin.* V. 19, 53. pr. Contra I. *legg.* 13. (al. 24.) 62. ad f. *consulta fortium et sapientum.* V. nostram ad III. *off.* c. 4. pr. et Meyeri ad *orator.* 1. §. 1. f. observationem.

familiaritatibus] L. β *familiaritate.* — L. β *oratio mea;* sed superscr. *nostra* ⨯ L. α *nostra oratio.* Comp. infra §. 4. 26, 12. Ad *volgarem amicitiam*, quam 6, 9. *verae et perfectae* opposuerat, paululum deflectebat oratio iam 17, 1. f.

§. 2. *quom*] ~ Bern. Erf. ed. vet. s. l. *tum.* — Erf. L. β *redundat.* Particulae *quom* vis haec est: *adeo in ipsos amicos; et, si minus in hos, saepius tamen in alienos, et quidem ita, ut eorum* etc.

§. 3. ⨯ *amicitiae igitur sunt* L. α. ⨯ Bern. *remissione usus sunt.* Dicitur h. l. *usus*, ut c. 22. f. c. 9, 1., pro *familiaritate*, ut *consuetudo* ib. §. 2. — L. β, ed. vet. s. l. *elevandae;* Bern. *evellendae* cum Palat. sext. et Ciz. A: cui tamen superscr. *eluendae.* Quae si vera lectio est, Cicero in tralato verbi usu aemulatus est Isocratem in or. *ad Demon.* c. 1. §. 3. f. τὰς τῶν σπουδαίων φιλίας οὐδ' ἂν ὁ πᾶς αἰὼν ἐξαλείψειεν. Nam quod Gellius dixit l. XII. c. 1. *quae partus suos . . . aliis nutriendos dedunt, vinculum illud coagulumque animi atque amoris, quo parentes cum filiis Natura consociat., interscindunt aut certe quidem diluunt deteruntque:* in eo per chiasmum *diluunt* ad *coagulum*, *deterunt* ad *vinculum*

discindendae: nisi quaedam admodum intolerabilis iniuria exarserit, ut neque rectum neque honestum sit nec fieri pos-
4 sit, ut non statim alienatio disiunctioque faciunda sit. Sin 77
aut morum aut studiorum commutatio quaedam (ut fieri solet) facta erit aut [in] rei publicae [partibus] dissensio

---

referendum. Si quidem ulla correctione opus esset, equidem ceteris omnibus antehaberem Schelleri ɔi. in lex. Lat. p. 3273. s. v. *Elue* n. 1. extr. propositam: '*soluendae:* cuius verbi primam literam absorptam esse a priore voc. suspicere hinc, quod in nonnullis libris est *remissiore uu.* Ita quidem iam hic spectaret ad seq. Catonis dictum, ubi item una *s* detracta est in Bern., ubi scriptum *disuendae.* L. *α.* < *et;* idemque cum D. 106. *audivi* × *dicere.*

discindendae] L. *α* cum omnibus Manutii libris *discidendae.* Cf. I. *of.* 33, 120. f., ubi dixit *repente praecidere.*

admodum] > Schwarzii Altf. cod. *intolerabilis* < *in amicitia* L. *α.* Cf. 20, 14. f. *Exardescere iniuria* dicitur sic, ut Antecedens accipiatur pro Consequente, *indignatione* v. *dolore ex iniuria accepta.* — L. *α nec rectum nec h.* Melius certe in ultimo membro Bern. Erf. L. *β*, ed. vet. s. l. *nec* (pro volg. *neque*) *fieri p.* Cf. 12, 1. *off.* III. c. 29. pr.

alienatio] est interna dissociatio animorum; *disiunctio* autem externa amicitiae discissio, quum alter ab alterius usu ac convictu se removet. Cf. infra §. 6. *Faciunda* per *u* scriptum in Erf. codice.

§. 4. *Sin* D. 106. < volgo: *autem* < Bern. Erf. L. *β aut;* ed. vet. s. l. *ut* > *morum.* — L. *α ac studiorum.* Particulam *autem* (quae item §. 7. post *sin* inculcatur, ut 17, 6. *vero*) ortam suspicor ex *aut*, quae iterata saepe habet copulandi vim, ut in I. *off.* 11, 36. pr. *Morum* autem *studiorumque* nexum coniunctionemque agnoverat Laelius 20, 11.

commutatio] L. *α* † *mutatio.* — Erf. L. *β* < *in;* Bern. a m. 1. *in re publica;* ut *partibus* sit pro Dativo = *diversarum partium civibus;* sed ego illud item, ut hoc *in rei publicae partibus* habeo pro interpretamento Genitivi, cuius eadem vis, ac §. 6. circumlocutionis: *quae est in re publica*, vel *de re p.* cum verbo 10, 3. De hoc usu Genitivi v. Augusti Matthiae obs. ad III. *Catil.* §. 14. *pro Mur.* 4, 8. Ctr. nescio, quo pacto huius disputationis summam Iacobus in *prolegg.* ad Luciani *Toxarin* p. XIV. ad Aristotelem transtulerit, qui *Ethic. ad Nicom. lib. IX.* praecepta de moribus cum arte civitates regendi coniunxisset et praeceptis de aequalitate civium amicitiae necessitudine iunctorum cautum voluisset, ne, si quando in rei publicae partibus dissensio oriretur, amicitia hac re tolleretur. At vero Aristoteles l. IX. c. 8. sect. 5. non nisi comparat *politicam* (h. e. a prudentia profectam) *amicitiam* cum *concordia in re publica:* quippe in utraque omnia ad communem utilitatem referri officiis ultro citro accipiundis reddendis.

intercesserit (loquor, ut paulo ante dixi, non de sapientium,
sed de communibus amicitiis): cauendum erit, ne non solum
5 amicitiae depositae, sed inimicitiae susceptae videantur. Ni-
hil enim turpius, quam cum eo bellum gerere, quicum fa-
6 miliariter vixeris. Ab amicitia Q. Pompei meo nomine se
removerat (ut scitis) Scipio; propter dissensionem autem,

---

loquor] < *enim* D. 106. < volgo: *iam;* Erf. *loquar iam*, cuius fide Wunderus in *praef.* p. CXXIV. *enim* deleri iubet, ubivis interpretibus obviam et hic in quinque Manutii libris et in vett. edd. omissam. Repetita videtur e §. 1. una cum Part. *iam.* Sic 6, 9. infarta est *nunc*, quam hic quoque substituit L. *α*. Asyndeton vides in simili Parenthesi c. 26, 12.

sapientium] Cf. §. 1. Hic L. *α* quoque *sapientum.* Bern. *sapientia.* In L. *β* prior *de* superscripta; altera omissa. Sic certe Tacitus *dial. de or.* 28, 5. *non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur*, Graecismo quodam. Nam sic Sext. Empir. *adv. Math.* XI. 55. *διώκεται . . . οὐ δι᾽ ἑαυτόν, ἀλλὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ περιγινομένην ἀπόλαυσιν.* His exemplis nescio an tueri liceat volgatam lectionem in Cic. *or. pro Balbo* 1, 4. *plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quam non modo ex mea, sed cuiusquam oratione capere possitis:* ubi *sed* < *ex* Erf. probante Wundero in *praefat.* p. XVIII. Cf. obs. ad 9, 9. f.

ne] Ed. vet. s. l. † *ut.* — *depositae* < *sint* † L. *α*, et eum Bern. bRl. *γ*, D. 106. *etiam* (< *ne* bRl. *ε*, ed. vet. s. l.) > *inimicitiae* Vim. Ox. *ν* × volgo: *etiam susceptae vid.* × L. *β videantur suptae.*

§. 5. *Nihil* < *est* Eyb cum Bern. — *enim* < *est* D. 106. L. *α*. V. annot. ad I. *off.* 20, 68. p. 158. et 42, 150. p. 297. cl. h. dial. 26, 11. pr.

b. gerere] Schwarzii Altf. cod. *b. agere* × L. *β gerere bellum*, h. e. *inimicitiam* interprete Runkelio, qui laudato Dukero ad Flor. III. p. 727. comparat *Phil.* II. 1. pr. — bRl. *ε*, ed. vet. s. l. *quocum* × Bern. L. *α*, bRl. *ε cum quo* —. Excpt. L. *ante* > *vixeras.*

§. 6. *Pompei*] Sic apocopen passus hic Genit. in Bern. et L. *α*, qui mox *removit.* Quod Laelius dicit *meo nomine*, h. e. *propter iniuriam mihi factam a Q. Pompeio.* V. Plutarchi *ἀποφϑ. στρατ.* p. 200. *C.* dictum Scip. Minor. VIII. Wyttenbachii ibi *animadvv.* p. 1127. Pighii *annal.* t. II. p. 479. Ipsius fraude Laelius a. 611. repulsam quum tulisset, proxumo demum anno consulatum consecutus est, quem A. V. C. DCXIII. quinquennio post praeturam gessit. V. infra 25, 11. *Tusc.* V. c. 19. pr.

dissensionem] *defensionem* † ed. vet. s. l. — *In re publica* Moserus l. c. p. 984. interpretatur *de re publica, non* (re) *privata.* Laelius ap. Cic. *de re publ.* I. 19. *Obtrectatores et invidi Scipionis tenent . . . senatus alteram partem, dissidentem a nobis auctore Metello et P. Mucio: neque hunc* (sp. Scipionem), *qui unus potest, concitatis sociis et nomine Latino,*

quae erat in re publica, alienatus est a collega nostro Metello. Vtrumque egit graviter, auctoritate, et offensione animi non
7. acerba. Quam ob rem [primum] danda opera [est], ne qua 78
amicorum dissidia fiant; sin tale aliquid evenerit: ut extinctae
8 potius amicitiae, quam oppressae videantur; cauendum vero,
p. 111. a. ne in gravis inimicitias convertant [se amicitiae]: ex quibus

---

foederibus violatis, triumviris seditiosissumis aliquid cotidie novi molientibus, bonis viris locupletibus perturbatis, his tam periculosis rebus subvenire patiuntur.

alienatus] Ox. *o* < *est:* quod quidem Tempus propter diversas verborum confestim absolutae verborumque continuatae actionis rationes minus convenit huic sermoni de mortuo, quam seq. v. *egit*, pro quo L. *α eque*, h. e. *aeque*. Sed tum existit difficultas in Abl. *auctoritate* absolute posito. Ne ibi *sed* reponendum suspicemur pro *et*, meminisse debemus in eo ipso, si liber sis ab animi perturbatione, inesse *gravitatem auctoritatemque*. De illa simultate cum *Metello* (L. *β* a m. 1. † *Marcello*) v. I. *off.* 25, 87. f. Ellendt in *histor. eloq. Rom.* editioni suae *Bruti* praefixa p. XXVII. Scipio post mortem ab ipso etiam Metello Macedonico laudatus est. V. ib. annot. et Plutarch. in *ἀποφθέγμ.* p. 202. *A.* n. III.

§. 7. × *primum d. est opera* L. *α*, Eyb × D. 106. *danda est opera primum:* quod voc. item in suspicionem venit 20, 6.

dissidia] e D. 106. et ed. vet. s. l. pro volg. *discidia* recepi cum Gernh. Nam seqq. *sin* (< *autem* L. *α*; *tamen* bRl. *γ*. Cf. h. cap. §. 4. pr.) *tale aliquid* (bRl. *s sin qd'*) *evenerit* variatis verbis repetunt, quae §. 4. dicta sunt. Cf. 10, 7. pr. — Extr. hac §. volgatur *esse* > (L. *α*) *videantur*. Cf. h. cap. §. 4. f.

§. 8. *cauendum* (< *est* D. 106.) *vero* < *est* Bern. V. annot. ad I. *off.* 8, 26. pr. — *ne* L. *α*, *β*, Eyb < *etiam:* quod volgo additur, ut h. cap. §. 4. f. — L. *β ad* pro *in*.

convertant se amicitiae] × Eyb: *amicitiae se convertant.* Illa volgata verborum structura absurda est ad seqq. Sed verba *convertendi, vertendi*, ut *mutandi*, *movendi* etc., neutraliter interdum adhibita videmus, e. gr. *de fato* c. 7, 14. et 9, 17. f., ubi etiam cod. Erl. et Gud. 2. *convertere*, non *converti*, quod nunc volgatur. Passivum in eadem sententia habet Valer. Max. VII. c. 3. ext. 3. *eam* (amicitiam) *ad gravissimas inimicitias posse converti.* Sed v. Cic. *Brut.* 38, 141. f.

ex] Erf. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. Eyb pro volg. *e*. Grz. observat. vv. *gignendi*, *nascendi*, *oriundi* nusquam asciscere *ex*, sed ubique *e*, compp. *N. D.* II. 11, 29. 12, 33. 19, 50. f. 47, 120. pr. Comparari tamen contra possunt exempla ibid. 32, 81. f. 33, 84., ut nobis videatur animadverten-

iurgia, maledicta, contumeliae gignuntur: quae tamen, si tolerabiles [erunt], ferundae [sunt] et hic honos veteri amicitiae tribuendus, ut is in culpa sit, qui faciat, non is, qui patiatur iniuriam.

9 **Omnino horum vitiorum atque incommodorum una cautio atque provisio, ut n e n i m i s c i t o d i l i g e r e i n c i p i a n t n e u e n o n d i g n o s.**

---

dum potius, quaenam sequantur literae. Cf. igitur ib. I. 5, 12. ad f. *e x quo existit illud;* I. *off.* 35, 131. *e x q u i b u s magna significatio fit;* I. *Tusc.* c. 22. in f. *e x quo illa ratio nata 'st;* itemque I. 27, 66. *e x terra natum.* Atque ib. 23, 54. pr. fortasse e *somn. Scip.* c. 8. (VI. *de re p.* 25.) corrigendum: *nam e x* (pro *e*) *principio oriuntur omnia*, quum sequatur: *ipsum autem nulla e x re — nec e x se aliud creabit.*

contumeliae] < L. *β*, Eyb: *que.* — Ed. vet. s. l. † *et* > *si.* Tum Eyb: *f u e r i n t*, *ferendae e r u n t.* Cum Erf. per *u* scripsi *ferundae.*

hic] Eyb: *is.* — L. *α honor.* — Bern. < *veteri;* quod aliquid offensionis habet h. l. = *pristinae* vel *priori.* Nam *vetus amicitia* = *inveterata am.* Potest tamen commode accipi pro *diuturna.* Cf. 10, 9. c. 22. f. — Tum *tribuendus* D. 106. Erf. L. *α*, *β* < *est* volgo.

ut] Ed. vet. s. l. < *is* et cum L. *α sit* × *in culpa.* Eyb < *in.* Post volg. *non* < *is* Eyb cum Bern. Erf. L. *α*, *β*, bRl. *γ*, *ε*, ed. vet. s. l. Goerenzius hoc Pron. item, ut ad Partt. *et — et*, *nec — nec*, *non — sed*, geminari in omni oppositione docuit comp. *off.* I. 25, 87. f. Excipiundus tamen locus h. dial. 20, 3., ubi post *non* iterandum Pron. *is* compensatur novo Verbo *commemorare.*

§. 9. *Omnino*] L. *α*, ed. vet. s. l. < volgo: *omnium:* quod additamentum in aliis libris transpositum damnat Grz., quum sine exemplo sit *omnino omnium* in sententiae principio positum, nec raro *omnino* abruptius positum librarios ad supplendum invitarit. — Eyb: *vitiorum* × *horum.*

cautio] Ed. vet. s. l. (< volgo: *est*) *atque* cum Ox. I. < *una:* quod vocab. si cum volg. iteraris: retinendum utique in prioribus *omnino omnium.* Sed tum scriptor vix interposuisset *atque;* adhibuisset potius ἐπαναφοράν *u n a cautio*, *u n a provisio*, vel certe dixisset *una q u e provisio.* Cf. *pro Rosc. Am.* 40, 117. ubi *cauti providique* iunguntur.

ne] Ed. vet. s. l. *neque.* — Pro *nimis* L. *β* a m. 1. † *invitus.* — Ed. vet. l. s. † *dignos* > *diligere.* — Bern. *incipiantur;* al. *incipias;* volgo: *incipiamus* pro *incipiant*, quam Verbi pluralis tertiam Personam referas ad indefinitum Subiectum, ut 15, 10. D. 106. *incipiant* × *cito diligere.* Id. cod. et ed. vet. s. l. *neque* et cum Bern. bRl. *γ*, *ε i n dignos.* Cf. 16, 18. ibique l. Isocratis l. Seneca *ep.* 3. post in. *Diu cogita*, *an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit. Quum placuerit fieri*, *tam audacter cum illo loquere*, *quam tecum:* quae simillima sunt Ennianis in h. dial. 6, 6. pr.

10 Digni autem amicitia [sunt]; quibus in 79
11 ipsis [in]est· [causa], cur diligantur. — Rarum genus! — Et quidem omnia praeclara rara; nec quicquam

---

§. 10. legebatur *sunt amicitia.* ⨯ Meliorem certe verborum positum suppeditavit Eyb. Sed nobiscum ad I. *off.* 19, 64. p. 150. verbum suspectum habet Gernh. p. 278. in *add.* p. 163.

in] > Erf. L. *β*, ed. vet. s. l. — *in>est causa* L. *α* ⨯ Bern. *causa est.*

§. 11. *Rarum genus*] < *est* † ed. vet. s. l. *R. genus equidem. Omnia* etc. Eyb. Vv. *et quidem omnia praeclara rara* volgo in parenthesi ponuntur. Nos plene interpunximus auctore Goerenzio l. l. p. 311. sq., qui laudat Garatonii observationem ad *or. pro Plancio* c. 13. p. Orell. 79. Particulas *et quidem* in responsione esse confitentis sic, ut obiectionem in suam rem trahat. Cic. *de legg.* III. 10, 24. pr. *de fin.* II. 25, 81. Ibid. 24, 78. ubi disceptatur cum Epicuro: *quid autem est amare, e quo nomen ductum 'st amicitiae, nisi velle bonis aliquem affici quam maxumis, etiamsi ad se nihil ex his redeat? — Et quidem prodest, inquit, mihi eo esse animo. — Immo videri fortasse.* V. ibi Goerenz. p. 239. b. Idem V. D. ad II. *fin.* 3, 9. pr. has Partt. ≐ *sed sane* notare ait, ita ut *et* adversandi, *quidem* asseverandi vim habeat: quae tamen vis mihi non Particulis ipsis inesse videtur; sed ante has subaudiri *ita 'st*, vel modo exposita adversarii sententia, cui castigationem vel elevationem quandam addunt. Hinc istae Partt. usurpantur in obiectiuncula, quae plus, quam ipsa volt, ideoque nihil efficit, refellenda, quum inde in simili causa eliciantur absurda. Cf. *Tusc.* III. 20, 48. pr. *N. D.* I. 36, 100. f.

praeclara] Ed. vet. s. l. † *sunt* > *rara.* Animadvertendum ad παρήχησιν: qualis est illa *pro Mur.* 9, 21. *operarum harum cotidianarum putat esse consulatum.* I. *off.* 18, 61. *pleniore ore.* Exemplis ibi collectis addas ex eod. l. 15, 47: *adulescentulorum more ardore quodam amoris;* II. *de divin.* 2, 4. f. *his praesertim moribus atque temporibus;* I. *off.* 16, 3. 4. (§. 50.) *Tusc.* IV. 17, 38. f. 28, 60. f. *de invent.* I. 2. §. 2. f. *ratio et oratio;* §. 3: *graui ac suaui commotus oratione;* e *Cat. Mai.* c. 2. f. *tamquam aliquam viam longam;* ex Ovid. *met.* XIII. 734. *aliquo quoque tempore virgo;* I. 299. *graciles gramen carpsere capellae.* V. ibi Gierigii annot. Cf. *tristt.* III. 4, 7. 8. Ennius b. dial. 17, 9. Virg. *Aen.* XII. 863. s. *desertis nocte sedens serum* etc. Cic. *Cat. Mai.* c. 11. f. *sensim sine sensu aetas senescit;* II. *de divin.* 69, 143. *visus est in somnis amicae amictus esse amiculo.* 2, 6. *me meae paeniteret* (fortunae); *pro Cael.* 31, 76. *me, me Hercule! invito.* Adhibe Burmanni animadv. ad Ovid. *Heroid.* ep. II. 61. et ad *amor.* III. 7, 26. itemque Broukhus. ad Tibull. I. 1, 5. Id. I. 7, (6.) 35. *Te tenet.* Lucretii I. v. 856. ibique Lambini obs. comp. cum Virg. *Aen.* II. 494. X. 864., ubi Taubmannus affert ex

difficilius, quam reperire [quod sit] omni ex parte [in suo
12 genere] perfectum. Sed plerique neque in rebus humanis quicquam [bonum] norunt, nisi quod fructuosum [sit]; et amicos, tamquam pecudes, eos potissumum diligunt, ex qui-

---

Livii IV. 38. *vi viam faciunt.* Cf. *Tusc.* III. 19, 44. 45. *vidi vi vitam evitari.* Ὀξύμωρον in tali παρηχήσει inest ap. Virgil. III. 383. et in fragm. e Cic. *l. VIII. epistt. ad M. Brutum* ap. Quinctil. l. IX. c. 4. §. 41. *Res mihi invisae visae sunt.* Idem vero simpliciter in *Tusc.* V. 12, 32. *in eo sitam vitam beatam.* Virg. *Aen.* IV. 174. *Fama, malum.* Horat. *od.* III. 4, 68. *omne nefas animo moventes;* I. *serm.* 3, 121. *esse pares res;* in *epist. ad Pisones* 139. *ridiculus mus.* Tibull. I. 4, 6. *tempora sicca Canis;* Virg. in *copa* v. 1. *Copa Syrisca, caput Graia redimita mitella.* Servius ad *Georg.* II. 13. *glauca canentia,* et scriptor *rhetor. ad Herenn.* l. IV. c. 12. sect. 18. in vitio talia ponunt. Cf. Isidor. *origg.* I. 33. Vossii *instt. oratt.* IV. 2, 4. ed. V. Marburg. a. 1681. p. 51. ss. Casp. Barthii commentar. in Gratii Falisci *cyneg.* 10. Consulto huiusmodi allitterationes quaesitas esse censuerunt M. Ant. Muretus *VV. LL.* l. I. c. 15. Turnebus *adversar.* VII. 19. Cerda ad Virg. *Aen.* II. 27. Taubmannus ib. ad III. 183. et ad Plauti *Menaechm.* II. 3, 53. Io. Aug. Ernestus *de grata negligentia orationis* in ipsius *opusce. philoll. et critt.* p. 133. s. denique Obbarius ad Horat. *epist.* I. 1, 94. in Seebodii *bibl. crit.* a. 1823. fasc. 2. p. 183. s., qui plurima suppeditavit exempla. Diversi generis παρηχήσεις notabimus 23, 6.

difficilius] < *est* ed. vet. s. l. — Pro Relat. *quod* L. *a quid.* Ed. vet. s. l. *ex omni parte quod sit in suo genere p.* × Eyb: *quod sit ex omni p.* ut excpt. L., quae ead. *suo in g. p.* × L. *a in g. suo p.* × Bern. *perfectum in suo genere:* quae tria vv. iam C. Langio suspecta exemplo absimili tuetur Gernhardus. *Quod omni ex p. — perfectum* < *est* Ciz. b. Cf. II. *de inv.* 1, 3. ad f. *nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura expolivit.*

§. 12. *plerique*] et quidem Epicureorum ritu. V. *N. D.* I. 44, 122.

neque] Ammian. Marcell. XXVIII. c. 4. ed. Bip. t. II. p. 157. *nec* (> D. 106.). L. *a non in humanis rebus bonum quidquam norunt* × bRl. *γ, s q. boni n.* × Bern. *q. norunt boni:* ut hoc voc. videatur interpretari *res humanas:* quae item c. 23, 1. simpliciter dicuntur pro *rebus, quas hominibus aut Fortuna aut Natura tribuit* (27, 8. pr.), ergo pro commodis vitae.

sit] Eyb: *est.* — L. *β diligunt* × *potissimum* —. Eyb † *a quibus.* Aliter dicitur II. *off.* 20, 69. *a quo expeditior et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior.*

13 bus se sperant maxumum fructum capturos. Ita pulcherruma 80 illa et maxume naturali carent amicitia, per se et propter se expetenda; nec ipsi sibi exemplo sunt, haec vis amicitiae qualis et quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut

---

se sperant] Sic Amm. Marcell. l. c. et L. *α* × volgo: *sp. se.* — Eyb: *maximos* (ed. vet. s. l. *magnos*) *fructus.* Volgo: *esse* > *capturos* Bern. D. 119 a. Ox. *ψ*. Extat tamen iste Infinitivus etiam ap. Amm. Marcellinum: quod documento esse debet, quam inveteratae sint multae interpolationes. Cf. *off.* II. c. 6. sub f. *ducuntur — spe, sibi id utile futurum.*

§. 13. *Ita*] < L. *α*, *β*, Eyb: *que* — L. *β illi* — Eyb: *naturali* × *maxime.* Deinceps Bern. < *et* idemque a m. 2. cum D. 106. Erf. L. *β* ~ *expetita.*

ipsi] > Ed. vet. s. l. et cum D. 106. L. *β et* > *qualis.* Cf. 9, 6.

Ipse] h. e. sua sponte, naturâ, propter φιλαυτίαν innatam. Cf. §. 15. *de fin.* III. 18, 59. sub f. *quoniam se ipsi omnes naturâ diligant*, ut recte e codd. Grz. correxit volgatum *ipsos*. H. 1. L. *β Ipsum enim se.* Deinde L. *α*, ed. vet. s. l. (Goth. < in marg.) *a se ipso* (np. solvendam sibi) pro volg. *a se ipse* × Erf. D. 119 a. *ipse a se*, h. e. quod alii si faciant, minus mirandum est, quum id quidem minus primae conciliationi Naturae repugnet. — *per se* < *ipse* L. *α*, quasi subaudiatur: *si minus amicus, tamquam alter idem.* × L. *β mercedem ipse a se caritatis suae exigat; sed quia ipse sibi carus quisque est.* De Pronominis *ipse* cum Pronominibus reflexivis modo eodem, modo diverso casu iuncti rationibus accuratius, quam Aug. Matthiae ad *or. pro Mur.* 3, 5., quem reclamante certe Didone ap. Virg. *Aen.* IV. 606. sequitur tamen Frotscherus in *epist. crit.* ad Henr. Meyerum ante huius editionem Ciceroniani *ad M. Brutum oratoris* p. XV. de loco c. 39. §. 135., subtilius igitur de hoc usu egit Ed. Wunderus in *praef.* ad *VV. LL. e cod. Erf. enott.* p. LXIX. ss. ad locum *or. de imperio Cn. Pompei* 13, 38. ubi volgatam lectionem, *Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet*, nos quidem sic interpretaremur, quasi subaudiretur: *ne dum alios.* Nam alia est oppositionis ratio ap. Florum III. 18, 7. *quum regum et gentium arbiter populus ipsum se regere non posset:* ubi v. Duker. p. 583. Sed ap. Cic. l. c. in cod. Erf. lectione, *qui se ipse non continet*, subauditur: *sed alio indiget rectore.* Sic *ad Q. fr.* I. ep. 1. c. 2. post in. *Quid est enim negoti continere eos, quibus praesis, si te ipse contineas?* h. e. ultro, tuae moderatione temperantiae. In eiusdem epist. c. 1. accommodate ad argumentum dicitur: *Si te ipse vehementius ad omnis partis bene audiundi excitaris;* sed in continuo adiectis, *non ut cum alis, sed ut tecum iam ipse certes*, recte, ut videtur, Nobbius recepit Schützii oi. *ipso.* Nam non alii, sed ipse iam sibi aemulandus proponitur. Ita ubique oppositionis ratio habenda. Vt supra c. 1. extr. *te*

aliquam [a se ipso] mercedem exigat [caritatis suae]; sed
14 [quod] per se sibi [quisque] carus est. Quod nisi idem in amicitiam transferetur; verus amicus nusquam reperie-
15 tur: est enim is quidem tamquam alter idem. Quod 81

---

ipsum cognosces, sic *fin.* V. 16, 44. *nosmet ipsos nosse* et *noscere nosmet ipsos.* I. *de or.* 26, 121. Contra *de divin.* II. 67, 138. *Quae 'st enim forma tam invisitata, . . quam non sibi ipse* (h. e. a nullo viso pulsus) *animus possit effingere?* Sic bis de *or.* III. 15, 58. Similiter, ut h. dial. 2, 8. *me ipse consolor:* Sulpicius ap. Cic. l. IV. *epist.* 5, 13. *qui in alienis morbis profitentur, tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt;* sp. sed aliorum auxilium implorare debent. Cff. Fr. Wagner. *de Pron. Ipse* in Seebodii *tabulario philol.* I. collect. a. 1824. fasc. 4. p. 648. ss. Ochsnerus in Cic. *ecll.* p. 33. s. Ramshorn. in grammat. Lat. p. 158. 2) c) p. 335. s., qui tamen exempla quaedam aut non satis emendata attulit aut minus recte explicat, ut locum Cic. *de fin.* (non, ut citatur, *Fam.*) V, 10. §. 28., in quo titubat etiam Billerbeckius, immemor ammonitionis nostrae ad I. *off.* 32, 115. t. I. p. 246. s. Ceterum ea est h. l. lectionis varietas, ut remotis interpolationibus eandem, quam 9, 6., enunciatorum oppositionem agnoscamus.

§. 14. *Quod si* bRl. *s. Quod enim* bRl. *γ.* Pro *idem* Bern. *quidem.* — D. 106. L. *α in amicitia* † ✕ bRl. *γ*, ed. vet. s. l. *in amicitiam idem.* Pro volg. *transferatur* Bern. Erf. L. *β*, bRl. *s transferetur* probatum et Zumptio et Goerenzio, qui etiam alicuius a se consulti codicis auctoritatem addit: quae vera lectio in duobus aliis corrupta sit in *transferretur.* Observat V. D. Futura coniuncta in consecutione, quorum alterum ad alterum referatur, ap. Ciceronem usitatissuma, scribarum culpa saepe obliterata et, ut vindicet lectiones a se I. *legg.* 14, 41. p. 63. *Acadd.* I. 7, 26. p. 43. *a.* probatas, comparat praeterea *off.* III. 4, 19. f. 5, 13. p. 221. omittens magnam exemplorum copiam, in quibus libri ad unum omnes consentiant.

nusquam] Sic pro volg. *numquam* ad exemplum c. 6, 3. f. scripsi cum ed. vet. s. l., in qua est *reperietur nusquam. Etenim is quidem est.* Erf. *nunquam* ✕ *amicus.* L. *β nunquam reperitur.* Bern. *n. reperiretur.* — Pro *quidem* L. *α. verus amicus* (> L. *β*, Bern. Erf.) *qui est.* Eyb: *quidam.*

alter idem] ἄλλος αὐτός: quae *amici* definitio Pythagorae tribuitur a Porphyrio in *vita* §. 33., in libro, qui fertur Plutarchi, *de vita et poësi Homeri* §. CLI. p. 226. Ernest., in Philonis Iud. fragm. ed. Mangeyi t. II. p. 658. τὸ Πυθαγόρειον ῥῆμα, ὅτι ἄρα ἐστὶ φίλος ἕτερος ἐγώ. Cf. Plutarch. περὶ πολυφιλ. c. 2. §. 5. p. 93. *E.* Cic. *ad Brut. ep.* 15. post in.: *ad te tamquam ad alterum me.* Plinii II. *ep.* 9. supra ad 13, 2. laudata est. Ioculariter ap. Plaut. in *Sticho* V. 4, 49. *ego tu sum, tu es ego: uni animi sumus.* Sed compara totum locum inde a v. 47. et ss. Si-

si hoc apparet in bestiis, volucribus; nantibus, agrestibus; cicuribus, feris; primum ut se diligant (id enim pariter cum omni animante nascitur), deinde ut requirant atque appetant, ad quas se applicent eiusdem generis animantis; id-

militer *alter ego* etc. pro *fratre* ap. Cic. *ad fam.* II. 15, 5. (ubi v. Cortii annot.), item pro *amoris* adeoque *consiliorum potentiaeque vicario* dicitur VII. *ad famil. ep.* 5. pr. IV. *ad Att. ep.* 1. post med. *Pompeius . . . ad omnia me alterum se fore dixit;* it. pro *eiusdem sententiae socio* ib. III. *ep.* 16. med. *me ipsum . . . accuso; deinde te, quasi me alterum; et simul meae culpae socium quaero.* V. Horatium Tursellinum *de Partt.* s. v. *Alter* c. XXV. n. 10. *Coniugem* sic appellat Antipater ap. Ioann. Stobaeum *serm.* LXV. p. 418. *εἴ τις προςλάβοι οἷον ἑαυτὸν ἕτερον.* Sententia huius loci magis explicatur a Socrate in Xenoph. *memor.* II. 4, 7. et ab Apuleio *de dogm. Plat.* l. II. ed. Wouuer. p. 34. s. *Amicitiam ait sociam eamque consensu consistere reciprocamque esse ac dilectionis vicem reddere, quando aequaliter redamat. Hoc amicitiae commodo provenit, quum amicus eum, quem diligit, pariter ac se cupit prosperis rebus potiri. Aequalitas ista non aliter provenit, nisi similitudo in utroque parili caritate conveniat. Nam ut pares paribus irresolubili nexu iunguntur: ita et discrepantes inter se disiuncti sunt nec aliorum amici.*

§. 15. *appareat* L. β, ed. vet. s. l. — Ead. *natantibus.* D. 106. *agrestibus* ✕ *nantibus.* — Erf. *cucuribus* ✕ L. β *in volucribus, agrestibus, turturibus, natantibus, feris.* De contrariis in pariatione ἀσυνδέτως compositis v. obs. ad c. 6. pr. Sic l. XIII. *ad Att. ep.* ult. in fine: *dextra sinistra. Lex de Gallia Cisalpina* c. 19. vers. 4. in Hugonis horreo iuris civilis (*Civilist. Magazin*) vol. 2. p. 438. *decretum interdictum:* ubi cf. vers. 2. *decernet interdicetve.* V. obs. infra ad 22, 11.

ut se] Bern. D. 106. L. α, ed. vet. s. l. < *ipsae* volgo ✕ *ipsae se d.* ✕ Erf. *ipsae diligant se.*

animante] > L. β. ✕ L. α *cum omni animante pariter:* quod Adv. sive = *sine ulla exceptione*, sive = *simul* interpretere, pariter aequaliterque otiosum videtur: nisi quod vim adauget. Tum Metelli liber *acquirant:* unde Guil. correxit* *anquirant.* Eadem vv. statim post confunduntur. — L. β < *atque appetant*, cui Pith. cod. substituit *atque reputent.* Vtrumque videatur prioris verbi, *anquirant*, esse interpretamentum. Potuit tamen sic circumscribi *coniunctionis appetitus.*

eiusdem] Bern. ed. vet. s. l. *eius.* Interpositam volgo ante hoc vocab. virgulam delevi. Nam hic Accus. attractus est a proximis vv. *ad quas se applicent.* Contra seq. Indicativus *faciunt* pendet a remotiore *Quod si* in sententiae totius principio. Plutarch. περὶ πολυφιλ. c. 8. p. 96. E. τὰ ἄψυχα (h. e. *bruta*) τοῖς συγγενέσι καὶ οἰκείοις ὁμοιοπαθεῖ κεραννύμενα καὶ προςίεται τὴν κοινωνίαν λείως καὶ μετ᾽ εὐμενείας.

que faciunt cum desiderio et cum quadam similitudine amoris humani: quanto id magis in homine fit natura, qui et se ipse diligit et alterum anquirit, cuius animum ita cum suo misceat, ut efficiat paene unum ex duobus!

---

amoris humani] ~ L. *α hum.* × *am.* Cf. scholion ms. ap. Wyttenbach. ad Plutarch. περὶ πολυφ. p. 93. *F.* ἡ προςπάθεια καὶ ἐν ἀλόγοις ζώοις ἐστὶ καὶ μάλιστα φυσική· — οὔτε φιλία ἐν τοῖς ἀλόγοις· ἡμεῖς δὲ — προςπάσχομεν καὶ χρήμασι καὶ τέκνοις καὶ γαμεταῖς, ἐμπαθεῖς ὄντες καὶ τῇ φυσικῇ ζωῇ θητεύοντες· φιλοῦμεν δὲ εἰς νοῦν ἀναδραμόντες, καὶ λυθέντες ἀπὸ τῶν ἰδίων τῶν ἡμῶν πρὸς τὰ αἰσθητὰ παθῶν. Οὕτω Πρόκλος ἐν ἐπισκέψεσι τῶν Ἀριστοτέλους ἐν τῇ πολιτείᾳ πρὸς τὴν Πλάτωνος πολιτείαν.

homine] L. *α hominis* et cum *β sit* pro *fit.* — D. 106. Erf. *se ipsum.* Cf. obs. ad §. 13. f. — bRl. *γ*, ed. vet. s. l., Eyb: *diligat* cum vi causali; item ut bRl. *γ*, *s anquirat;* Bern. a m. 1. D. 106. L. *β acquirit* (Bern. a m. 2. *adq.*); Eyb cum ed. vet. s. l. *acquirat.* „Ven. libri" [P. Victorii] „habent *anquirit* et [23, 5.] *anquirat.* Atque similiter plerisque aliis in locis, ubi *Ad*, vel *In* praepositiones uerbo illi anteponuntur in euulgatis exemplis scriptorum Ciceronis. Ac sane utroque isto in loco *Acquirendi*, id est, *comparandi et adipiscendi* significatio non admodum congruere uidetur. In aliis tamen saepe locis, *Inquirendi* saepe uerbum apte poni posset. *Anquirendi* quidem origo et vis manifesta est: neque obstare huius usurpationi quicquam animadvertere possum, nisi opinionem quandam antiquitatis nimiae. Sed nos de hac iudicare atque decidere, fortasse non ferenda audacia: praesertim cum forma ab omni ruditate absit." Ioach. Camerarius.

misceat] Eadem similitudine utitur Plutarchus περὶ πολυφιλ. cap. V. §. 16. p. 95. *A*, *B.* Ἡ φιλία συνάγει καὶ συνίστησι καὶ συνέχει καταπυκνοῦσα ταῖς ὁμιλίαις καὶ φιλοφροσύναις,

ὡς δ' ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐγόμφωσεν καὶ ἔδησε,

κατ' Ἐμπεδοκλέα· τοιαύτην γὰρ ἡ φιλία βούλεται ποιεῖν ἑνότητα καὶ σύμπηξιν.

ex] L. *β e.* Cf. 25, 3. Plutarchus l. l. c. VIII. f. p. 96. *F.* τῆς φιλικῆς συμφωνίας — καὶ ἁρμονίας οὐδὲν ἀνόμοιον οὐδὲ ἀνώμαλον οὐδὲ ἄνισον εἶναι δεῖ μέρος, ἀλλ' ἐξ ἁπάντων ὁμοίως ἐχόντων ὁμολογεῖν καὶ ὁμοδοξεῖν καὶ ὁμοβουλεῖν καὶ συνομοπαθεῖν, ὥςπερ μιᾶς ψυχῆς ἐν πλείοσι διῃρημένης σώμασι, ut Minucius in *Octavio* p. 4. ss. ed. Ouzel. Lugd. 1672. *quum et ipse tanto nostri semper amore flagraverit, ut et in ludicris et seriis pari mecum voluntate concineret; eadem velle vel nolle: crederes unam mentem in duobus fuisse divisam.* Calpurn. Flaccus *declamat.* XXII. *In uno utriusque mentem videres.* Sidonius lib. V. *epist.* 9. *animae duae, animus unus.* Gregor. Nazianz. *orat. funebr.* in *laud. Basilii Magni* p. 81. μία μὲν ἀμφοτέροις ἐδόκει ψυχὴ, δύο σώματα φέρουσα. Domitius poëta in *cicuta* ap. Philargyr. ad Virgil. *ecl.* III. 90. *ut aiunt, corpori-*

22 Sed plerique perverse (ne dicam, impudenter) ta- 82

---

bus geminis spiritus unus erat. Prosper Tyro *epigr.* 107. *duos spiritus unus alat.* Augustin. *confess.* lib. IV. c. 6. *Bene quidam* (Horat. I. *od.* 3, 8.) *dixit de amico suo dimidium animae meae. Nam ego sensi animam meam et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus.* Chrysostom. *in epist.* Pauli *ad Corinth.* I. c. 13. *homil.* XXXIII. p. 618. *τοῦτο γάρ ἐστι φιλία, μηκέτι εἶναι τὸν φιλοῦντα καὶ τὸν φιλούμενον δύο διῃρημένους, ἀλλὰ ἕνα τινὰ ἄνθρωπον, ὅπερ οὐδαμόθεν ἄλλῳ ἢ ἀπὸ τῆς ἀγάπης γίνεται.* Div. Lucas in *actis apostt.* 4, 32., unde Arator l. I. *histor. Apost.* „*Ecce tot egregiis unum cor inesse catervis Cernitis atque animam populus nanciscitur unam.*" Prudentius *contra Symmachum* lib. II. *implicitis societ mens unica gentes.* Hinc *unanimis amicus* apud Clement. *recognit. lib.* I. p. 7. Cff. eiusdem coloris dicta in Pauli *epist.* I. *ad Corinth.* 1, 10. *ad Philipp.* 1, 27. 2, 2. et in I. *Petri ep.* 3, 8. Homero *Il. Π.* 219. dicuntur *ἕνα θυμὸν ἔχοντες*, de quibus Homeri aemulus Maro *Aen.* IX. 182. *His amor unus erat*, et Manilius II. 631. (ed. Scal. p. 50. v. 6.) *Vnum pectus habent fideique immobile vinclum.* V. Scholiast. Persii ad *sat.* V. 22. Cyprianus *de duplici martyrio:* „*Quos arctissima iungit amicitia, propter summum animorum consensum unus animus esse dicuntur.* Cassianus I. 1. *Cuncti ad significandam sodalitatis sensusque nostri parilitatem pronuntiant unam mentem atque animam duobus inesse corporibus.* Suidas: *Ἕνωσις — γίνεται — κατὰ σχέσιν, ὡς ἐπὶ τῶν γνωμῶν, ὡς ἓν θέλημα.* Cf. Peerlkampium in *bibl. critica nova* I. p. 113. Luciani *Toxarin* c. 62. f. et ad eum l. Iacobi annotationem p. 158. s. et quae nos in eiusdem V. D. *prolegg.* p. XI. **) memorata attulimus ad I. *off.* 17, 56. p. 133. s. Hinc interpretere dictum in Catone filio, qui cum amico communem amicam *Psychen* nomine habebat, *δύο φίλοι, Ψυχὴ μία*, memoratum Plutarcho in *Cat. Min.* p. 794. D. Cf. Aristot. *magn. mor.* II. 10. p. 71, 20. Sylb.

C. 22. *imprudenter* † L. *β.* Cf. *Acad.* II. 40, 126. *quae tu vide ne impudenter etiam postules, non solum arroganter.* Tum volgabatur: *amicum habere talem* × Eyb: *talem* (< Erf. *habere*) *amicum* (< D. 106. bRl. *γ, ε*, ed. vet. s. l. *habere*) *volunt.* Cf. 13, 11. 19, 6., ubi librarii addiderunt *esse:* quem Infinitivum hic quoque potius, quam *habere*, subaudiendum arbitratur Grz. l. l. p. 312., ut ad illam formulam *talem te volo;* itemque *esse*, non *haberi*, IV. *Phil.* 3, 6. *legiones . . . essent, si te consulem quam hostem maluisses, tuae*, comp. *off.* II. 22, 78. pr. *qui vero populares se volunt:* ubi tamen lectionem *popularis se esse volunt* ipse V. D. ad II. *fin.* 31, 102. p. 274. s. firmaverat duorum a se adhibitorum codd. auctoritate: et hunc Infinitivum in asseveratione alibi ad vv. *velle*, *malle* etc. addi ne nunc quidem observare omisit. Accipimus vero duo alia a V. D. comparata exempla, *or.* II. 60, 246. *fin.* V. 5, 13. *Stratonem physicum se voluit.*

lem amicum volunt, quales ipsi esse non possunt: quaeque b.
2 ipsi non tribuunt amicis, haec ab eis desiderant. Par est autem primum ipsum esse virum bonum, tum
3 alterum similem sui quaerere. In talibus ea, quam iam dudum tractamus, stabilitas amicitiae confirmari potest: quom benevolentia coniuncti primum cupiditatibus is, quibus ceteri serviunt, imperabunt, deinde aequitate iustitiaque gaudebunt omniaque alter pro altero suscipiet neque quicquam umquam nisi honestum et rectum alter ab altero postulabit neque solum colent inter se ac diligent, sed etiam verebun-

---

quales] < *etiam* ed. vet. s. l. — *quales ipsi* < *iam* Bern. — *eis* L. α pro volg. *iis*; Bern. *his*; Erf. ed. vet. s. l. Eyb: *ipsis*.

§. 2. *Par est*] D. 106. *Parem* †. Pro *autem* ∼ ed. vet. s. l. *enim*. — Bern. < *ipsum*. — Ed. vet. s. l. *virum bonum* × *esse*. — D. 106. † *cum* pro *tum*. — L. β *similem sibi* × ed. vet. s. l. *sibi sim*. Cf. 14, 5. 25, 5. — D. 106. † *acquirere*.

§. 3. *ea*] Eyb: *enim*. — *iam* > L. α, ed. vet. s. l. *dudum*; Erf. *diu*. — Bern. a m. 2. cum D. 106. ed. vet. s. l. *tractavimus*. Cf. 18, 5. f. Sententiae auctor Aristoteles *ad Nicom*. IX. 6, 6. ἔστι δ' ἡ τοιαύτη ὁμόνοια ἐν τοῖς ἐπιεικέσιν· οὗτοι γὰρ καὶ ἑαυτοῖς ὁμονοοῦσι καὶ ἀλλήλοις, ἐπὶ τῶν αὐτῶν ὄντες, ὡς εἰπεῖν· τῶν τοιούτων γὰρ μένει τὰ βουλήματα καὶ οὐ μεταῤῥεῖ, ὥσπερ εὔριπος· βούλονταί τε τὰ δίκαια καὶ τὰ συμφέροντα· τούτων δὲ καὶ κοινῇ ἐφίενται.

benevolentia coniuncti] Sic Ox. ψ < Volgo: *homines* > *b. c.* Sed intelleguntur *tales*, h. e. *viri boni*. Cf. *off*. I. 17, 55. Bern. *benivolentiae* et cum ed. vet. s. l. Eyboque pro *iis* (> L. α <) *his* †. Eadem Pronomina permutantur in consimili loco *off*. II. 10, 37.

deinde ae. i. q. gaudebunt] > D. 106. — Pro *neque* Eyb *nec*. — bRl. γ *unquam* (> Ox. I.) × *quicquam*. Cf. *or*. II. 28, 122. *quod nihil quisquam umquam me audiente egit orator*. Liv. XXVI. 15. *Queis neque quid facerent neque quid dicerent, quidquam umquam pensi fuisset*. Cf. *rhetor. ad Herenn*. IV. 12, 18. Vt hic, sic I. *Parad*. c. 1. f. iungitur: *quod rectum et honestum et cum virtute 'st*. — Schwarzii Altf. cod. *alter pro altero postulabit*. Nimirum earundem vocum iteratio in causa fuit, ut unus versus intercideret. Ceterum in tali partitione Subiecto plurali quasi apposita partiumque reciprocatione Singularis Numerus immiscetur Plurali applicaturve ei per attractionem, ut in *Bruto* c. 55. f. Sueton. *Iul. Caes*. 89. ap. Virgil. *Aen*. XII. 161 — 164. Cic. *off*. I, 41, 147. t. I. p. 294. Tacit. *Ann*. II. 64. *ipsorum regum ingenia illi mite et amoenum, huic atrox, auidum et societatis impatiens erat*.

neque solum] < volgo: *se* × Ed. vet. s. l. *nec solummodo colent*

Digitized by Google

4 tur. Nam maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaque [in iis] perniciosus [est] error, 83
[qui existimant,] libidinum peccatorumque omnium [patere]
5 in amicitia licentiam. Virtutum Amicitia adiutrix

---

se. — D. 106. *sed et* pro *sed etiam*. Praeter L. α, in quo turbatur: *nec se solum colent sed etiam inter se ac diligent sed etiam*, et ceteri libri nostri et Eyb repudiant illud *se* improbatum Zumptio quoque. *Inter se* usurpatur modo pro Dativo ἀλλήλοις, modo pro Accus. ἀλλήλους. Praeter Rogerii exempla a Gernh. repetita Hotfingerus in Cic. *ecll.* comparat Plauti *mil. glor. Act.* V. vs. 40. additque Ochsner. p. 190. aliud e Corn. Nep. X. *Dion.* IV. 1.; nos denique indid. XVIII. *Eum.* 4, 2. et e Livii l. VII. extr. *complecti inter se.*

§. 4. *maxumum*] > Ox. ν, Vim. ed. vet. s. l. *Ornamentum* Hotting. interpretatur = *firmamentum* Ochsnerusque comparat Corn. Nep. XVII. *Ages.* 3, 2., ubi *insignius ornari* armis dicuntur milites, et X. Dion. 2, 1., ubi tamen in *ornamento* decoris notio praevalet, item ut XXV. in Attico 7, 2. *honorum* et *divitiarum*, quae luculentos homines reddunt. Aptius comparabis I. *off.* c. 27. pr. Plutarchus *de amico et adul.* c. 23. p. 64. D. pr. Οὐδὲ — τὸ συνειδέναι τοῖς φίλοις τὰ αἰσχρά, πόθεν γε δὴ τὸ συμπράττειν καὶ συνασχημονεῖν αἱρετόν ἐστιν;

in iis] Bern. excpt. L. *in his*. Tum *perniciosus error* < *amicitiae est* L. β. Cf. 10, 6. pr. × Eyb: *perniciosus error est in his, qui existimavit.* Ed. vet. s. l. *qui extimant.* Excpt. L. *qui putant.* Erf. *libidinem peccatorum.* Deinde *in amicitia* (L. α, Ox. ο <) × *patere* excpt. L. Vsitate dicitur *patere via*, *aditus*, *reditus*, *cursus*, *locus* vel ipsa *res*, ad quam datur aditus; sed *patet licentia* tam absonum est, quam *obstructa licentia*, etiamsi ex veriloquio verbi *licere* = *liquere* hoc voc. interpretatus fueris = *profluentiam non impeditam.* Nescio an simplicius faciliusque h. l. *esse* suppleri possit, quod item supplendum relinquitur certe in directa oratione ap. Sallust. in *Catil.* 51. *Aliis alia licentia:* ubi paulo post sequitur: *Ita in maxuma fortuna minuma licentia 'st.*

§. 5. *Virtutum*] < *enim* ed. vet. s. l. Sed graviter sine Particula interponitur sententia Pythagorica. Secundum Pythagoram enim amicitia σύνδεσμος πασῶν τῶν ἀρετῶν dicitur Simplicio in Epicteti *enchirid.* c. 37. ed. Schweigh. p. 334. Plutarch. *de amico et adul.* c. 9. p. 53. C. οὔτοι συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυ (ὁ ἀληθὴς φίλος) κατὰ τὸν Σοφοκλέα (in *Antig.* 523.) καὶ νὴ Δία γε συγκατορθοῦν καὶ συμφιλοκαλεῖν, οὐ συναμαρτάνειν οὐδὲ συῤῥᾳδιουργεῖν. Gravius vero atque ornatius Laelius usus est προσωποποιΐᾳ splendida ac magnifica. Omnino in hoc sermonis Laeliani loco sapientiae vis inest maxuma, quae cetera lumina, quamvis praeclara, ut exoriens sol stellas, obscurat.

a Natura data 'st, non Vitiorum comes, ut, quoniam solitaria non posset Virtus ad ea, quae summa sunt, pervenire, coniuncta et consociata cum altera perveniret. Quae si quos inter societas aut est aut fuit aut futura 'st: eorum 'st habendus ad summum Naturae bonum optumus
6 beatissumusque comitatus. Haec est, inquam, societas, in 84
qua omnia insunt, quae putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi atque iucunditas: ut et, quom
7 haec assint, beata vita sit et sine his esse non possit. Quod quom optumum maxumumque sit: id si volumus adipisci; virtuti opera danda 'st: sine qua nec amicitiam neque ullam

---

a] > Schwarzii Altf. cod. *natura*. L. β, ed. vet. s. l. † *non* × *solitaria*. bRl. γ *non posset* × *solitaria*. D. 106. Eyb: *possit* †. — Ed. vet. s. l. *sunt* × *summa*. — *inter* < *se* Erf. cum L. β, in quo tamen Pron. *se* expunctum. — *aut* > L. α *est*. — Bern. *bonum* × *naturae*.

§. 6. *inquam* × *est* L. α, Bern., qui deinceps *insunt* × *omnia*, Erf. L. α, β *sunt*. An verbum insiticium, ut 4, 9. f.? Nec displicet lectio *in qua omnia sunt*, np. *posita*, ut in *somn. Scip.* c. 7. (VI. *de re p.* c. 23. pr.) *or.* 4, 14. *non ut in eo tamen omnia sint*, ubi Lamb. *sint omnia*. Seneca *consol. ad Polyb.* c. 26. *in hoc tibi omnia sunt;* mutatoque ordine Cic. II. *or.* 53, 215. pr. *legg.* I. 10, 24. *in quo sunt omnia*. *Cat. Mai.* 3, 5. pr. (8.) *pro Quinctio* 26, 80. *Non omnia sunt in eloquentia; de re p.* I. 26. *est civitas popularis*, — *in qua in populo sunt omnia* = III. 33. *quum populi sunt omnia* = *quum per populum agi dicuntur et esse in populi potestate omnia*. I. 40. *ita acta pleraque, ut in populo essent omnia*. I. *ad Att.* 16, 4. *in eo autem erant omnia*. Cf. obs. supra ad 14, 9. Sed volgatam firmat comparatio loci 6, 7. *amicitia res plurumas continet*, et c. 7. pr.

q. putant h. expetenda] L. β *q. putent h. exspectanda*, ut it. §. 7. f. — L. α *et iocunditas*. — Volgo: *ut* < *et* Bern. D. 106. Erf. L. α, β, Schwarzii Altf. cod. omnesque cdd. a Goerenzio adhibiti, qui V. D. comparat l. *off.* 2, 4. f. Adde h. dial. 6, 2. f. 9, 9. 24, 3. Ed. vet. s. l. substituit *etiam*. — L. β *cum hac sint*; sed his superscriptum *adsit*. Ex Erf. L. α recepimus *assint*. — L. α *sine hys;* L. β *sine hiis*.

§. 7. *sit*] < L. β *scilicet* (> Qxx. I, ψ) *ut vita sit cum his beata*. Pro volg. *si id* × Vim. *id si*. — D. 106. *opera danda* × *virtuti*. Familiarior Ciceroni structura est fere haec: *virtuti danda opera 'st*. Sed hic ambiguitatem vitare voluisse videtur, quo referendum esset seq. Pron. *sine qua*.

nec] Sic pro volgato *neque* nostri libri omnes praeter unum alterumve Goerenzii. Etiam in altero membro L. α, bRl. *e nec*. — L. β *exspectandam*, ut §. 6.

8 rem expetendam consequi possumus. Ea vero neglecta qui
p. se amicos habere arbitrantur, tum se [denique] errasse sen-
112. tiunt, quom eos gravis aliquis casus experiri cogit. Quo-
a. circa (dicendum 'st enim saepius), q u o m i u d i c a v e r i s,
9 d i l i g e r e o p o r t e t; n o n, q u o m d i l e x e r i s, i u d i-
10 c a r e. Sed quom multis in rebus negligentia plectimur, tum maxume in amicis et deligendis et colendis. Praeposteris enim ūtimur consiliis et acta agimus, quod vetamur
11 veteri proverbio. Nam implicati ultro [et] citro vel usu

---

§. 8. *habere* × *amicos* L. *α*, ed. vet. s. l. — *denique* × *se* L. *α*. Cf. 15, 5. s. — D. 106. L. *β*, bRl. *γ*, ed. vet. s. l. *aliquis* × (> Goth. 48.) *gravis*. — L. *β* et > *cogit*. D. 106. *cogat*. Eurip. fragm. 98. (al. 113.) ex incerta tragoed. ap. Plutarch. in *Fab. Max.* p. 184. *B.* c. 17. *τὸ φίλων πεῖραν λαβεῖν οὐ σμικρὸν κακόν.* Isocrates *ad Demon.* c. 9. §. 3. p. 12. ed H. Wolf. *Μήτε μετὰ βλάβης πειρῶ τῶν φίλων, μήτε ἄπειρος εἶναι τῶν ἑταίρων θέλε* etc. Plutarch. *de amico et adul.* c. 2. p. 49. *D. τὴν τότε* (np. *ἐν ταῖς μεταβολαῖς*, *commutata fortuna*) *πεῖραν οὐ δεῖ περιμένειν ἀνωφελῆ, μᾶλλον δὲ βλαβερὰν καὶ οὐκ ἀκίνδυνον οὖσαν. Χαλεπὴ γὰρ ἐν καιρῷ δεομένῳ φίλων ἡ τῶν μὴ φίλων αἴσθησις, ἀντικαταλλαγὴν οὐκ ἔχουσα χρηστοῦ καὶ βεβαίου πρὸς ἀβέβαιον καὶ κίβδηλον* etc. ibid. 64. *D. E. ἥ γε κολακεία . . ἐν μὲν ταῖς ἐπιπόνοις καὶ κινδυνώδεσιν ὑπουργίαις ἀπαγορεύει· κἂν διαπειρώμενος κρούσῃς, σαθρὸν ἔκ τινος προφάσεως ὑπηχεῖ καὶ ἀγεννές.* Hinc Philemon ap. Stob. *serm.* XXX. p. 210. Grot. p. 135. *Εὔχου μὴ λαβεῖν πεῖραν φίλων.*

§. 9. *enim saepius* × *est* L. *α*. Particulae *enim* in Bern. expunctae D. 106. et ed. vet. s. l. substituit *etiam*. — L. *β*, excpt. L. *iudicaris* ∾. Praeceptum hoc Theophrasteum extat ap. Plutarch. *περὶ φιλαδελφ.* p. 482. *B.* c. 8. *οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν·* memoraturque Senecae in *ep.* 3. post in. *si aliquem amicum existimas, cui non tantumdem credis, quantum tibi; vehementer erras et non satis nosti vim verae amicitiae. Tu vero omnia cum amico delibera, sed de ipso prius. P o s t a m i c i t i a m c r e d e n d u m e s t, a n t e a m i c i t i a m i u d i c a n d u m. Isti vero praepostere officia permiscent, qui contra praecepta T h e o p h r a s t i, quum amaverint, iudicant; et non amant, quum iudicaverint.* Sidonius: *Namque ut sodalis tibi devinctior fierem, iudicavi.* Cf. 21, 9. Rutil. Lup. I. 5.

§. 10. *amicitiis* ed. vet. s. l., quae cum Bern., D. 106. Erf., L. *α et diligendis*, eademque mox *utamur* pro *vetamur*. Pro volg. *veteri* Erf. *vetere*. Cf. *off.* I. 7, 21. pr. Priscian. p. 763. L. *α proverbio* × *veteri*.

§. 11. *implicati*] de amicitiae necessitudine dicitur 13, 2. Vnus cod. Manutii: *ultro q u e citro:* L. *β v e l citro;* ed. vet. s. l. *citro q u e.* Cf. obs. de *ἀσυνδέτοις* supra ad 21, 15. et ad I. *off.* 17, 56. p. 134., ubi item

diuturno vel etiam officis repente in medio cursu amicitias
23 exorta aliqua offensione dirumpimus. Quo etiam magis vitu- 86
peranda rei maxume necessariae tanta incuria. V n a 's t
e n i m a m i c i t i a i n r e b u s h u m a n i s, d e c u i u s u t i-
2 l i t a t e o m n e s u n o o r e c o n s e n t i u n t. Quamquam
a multis ipsa virtus contemnitur et venditatio quaedam atque
ostentatio esse dicitur. Multi divitias despiciunt, quos par-
vo contentos tenuis victus cultusque delectat. Honores vero,
quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita

---

utramque Particulam libri mss. offerunt, *ultro citroque*, *ultro et citro*: affixamque volgo copulam recte detraxerat Davis. postque hunc Moserus II. *N. D.* 33, 84. f. Eadem fortasse delenda restat ib. 58, 145. f. comp. §. 146.

diuturno] Bern. D. 106. *diurno.* — Ed. vet. s. l. *in medio cursu* ⨯ *repente*, ut hoc voc. paene suspectum fiat, quum tamen in eo aptissume hic adiecto vis insit.

offensione] h. e. causa displicendi. Cf. 24, 2. 3. pr. Plutarchus *de amico et adul.* c. 7. p. 52. *D.* f. προςέκρουσε Πλάτων, h. e. Dionysio, apud quem in gratia fuerat, displicuit ita, ut hic abalienaretur ab eo. — D. 106. Erf. ed. vet. s. l. *dirumpimus* pro volg. *d i s rumpimus.*

C. 23. ⨯ L. *α Q u o d vituperanda etiam magis.* D. 106. *vituperanda* < *est* volgo. Sed † idem D. < *tanta.*

Vna] „Vt *unus* cum superlativo iungi solet, ut *Orat.* I. 22, 99., sic h. l. pro superlativo vox *omnes* legitur". G e r n h. in *add.* p. 278. Cf. ib. 8, 30. f. 32. f. 33. pr. et videbis *hanc unam rem* ubique *ceteris* opponi, quae praeterea in censum venire possent, ut h. l. §. 2. — bRl. *γ enim* ⨯ *est*; bRl. *s* et ed. vet. s. l. < *enim*: qua omissa sententia ex abrupto allata asciscere videtur nescio quid gravitatis. Sed L. *β* < *est.* Itaque, quum utrumque vocabulum simili compendio notaretur, vicinum a vicino videtur loci possessione deiectum.

§. 2. *a*] > Ed. vet. s. l. — *virtus* ⨯ *ipsa* Bern. D. 106. Erf. bRl. *γ*. — *Venditatio* (D. 106. † *vendicatio*) = *mangonium*, *vanitas.* Cf. *Tusc.* II. 26, 64. f. *rhet. ad Herenn.* II. 30, 47. *aut artifici significandi aut ingeni venditandi aut memoriae ostentandae causa.* — L. *α dicatur.*

despiciunt] Erf. L. *β spernunt.* — *Victus cultusque* iungitur *off.* I. 30, 106. 44, 158. II. 24, 86. *parad.* VI. 3, 5. *victu atque cultu terminatur pecuniae modus.* Alio sensu Corn. Nep. IV. *Pausan.* 3, 1. f. iunxit *cultum vestitumque.*

vero] > D. 106. Saepe sententiis adversativis ab interpolatoribus haec Particula inculcata est. Hic tamen gradationem adiuvat, ut 6, 6. f. — L. *β cupiditatibus.* D. 106. *quidam* ⨯ *cupiditate.*

contemnunt, ut nihil inanius, nihil levius existument! Itemque cetera, quae quibusdam ammirabilia videntur, per-
3 multi sunt, qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et ii, qui ad rem publicam se contulerunt, et ii, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur,

---

ut] L. *β quod.* Pro *inanius* Eyb *minus.* L. *α nihil levius* ⨯ *nihil inanius.* Pró volg. *levius esse* ⨯ Bern. Erf. L. *β*, bRl. *γ*, *s*, Eyb: *esse levius*, quod etiam in suis codd. repertum praefert Grz. l. c. p. 313., quippe quo asseverationi accedat pondus. En vero ed. vet. s. l. < *esse*. Cf. obs. ad 2, 5. Apud Plutarch. *de amico et adul.* c. 14. p. 57. *D.* otiosorum assentatores dicuntur *φιλοτιμίαν* appellare *κενοδοξίαν ἄκαρπον.*

itemque] L. *β itaque.* — Ed. vet. s. l. *mirabilia*, ut in gemino loco I. *off.* 21, 71. p. 165. in vv. *quae plerique ammirantur* volgo substituitur *mirentur.* — L. *β videbantur* — *putant.* Cf. *legg.* I. 23, 62. pr. fragm. 2. *lib. III. epistt. ad C. Caesar.* ap. Nonium v. *contemnere* p. 436. contraque de rebus adversis III. *fin.* 8, 29. *non curare idque contemnere* = *despicere ac pro nihilo putare.* I. *off.* 20, 67.

§. 3. *De amicitia*] < *autem* L. *β*. Deinceps L. *α omnes unum et idem;* ed. vet. s. l. *unum idemque.* Tum Eyb quater *hi;* Bern. *hii.* D. 106. secundo, L. *β* tertio, L. *α, β* quarto loco < *ii.* Sed cf. annot. ad 15, 4. pr. 21, 8. f.

rerum c.] ⨯ Ed. vet. s. l. *cognitione rerum.* L. *α*, Eyb: *in* > *rerum c.*, ut 18, 5. Cf. tamen 26. 3. f., ubi hoc additamentum vix dubito correctori acceptum ferre. — Ed. vet. s. l. *negotium* ⨯ *suum.* — *Otium* dicitur ipsa vita eorum, *qui suum negotium gerunt*, h. e., ut explicatur I. *off.* 9, 29. 20, 69., *qui delectantur re sua familiari;* qui non aliena negotia, sed sua procurant; qui non alienis commodis, sed suis serviunt; qui denique non aliis quietem laboribus suis comparant, sed quieta ipsimet vita tranquillaque fruuntur, ut loquitur Ovid. *tristt.* III. *el.* 4. v. 4. s. Horat. I. *epist.* 18, 107. Cf. id. I. *epist.* 7, 36. V. Henrici Stephani *schediasma* I. 11. in Gruteri *thes. crit. tomi V. supplem.* p. 24. *Ζῆν ἡδέως ἀπράγμονα* dixit Amphion ap. Euripidem in excerptis Stobaei *περὶ ἡσυχίας* p. 374. Grot. p. 21. *serm. LVIII.* (CCXXIV. Gesn.) vel in Valckenaërii *diatr.* c. VIII. v. 31. p. 82. a. Eiusmodi *ἀπράγμονες* vel *ὀλιγοπράγμονες*, h. e. *ἰδιοπράγμονες*, a re publica gerunda abstinentes, dicuntur etiam *σχολάσται*, *σχολαστικοί*, *otiosi*, atque ipsi praedicantur *σχολάζειν*, *otiari* (ap. Cic. III. *off.* c. 14, 58.), praesertim hi, qui *studiis oti* (Virg. *Ge.* IV. 564.), h. e. rerum cognitione doctrinaque, delectantur. Cicero *pro Sextio* 51, 110. *Graeculum se atque otiosum putari voluit, studio literarum se subito dedidit.* Id. *Caton. Mai.* 14, 10. Inde *otia* pro ipsis *doctis operibus oti* dicuntur Ovid. *tristt.* II. 224. Opponuntur hinc *ἀπραγμοσύνη καὶ ἡσυχία*,

et ii, qui suum negotium gerunt otiosi, postremo ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus, s i n e a m i c i t i a v i t a m e s s e n u l l a m, si modo velint aliqua ex parte liberaliter
4 vivere. Serpit enim (nescio, quomodo) per omnium vitas 87
amicitia nec ullam aetatis degendae rationem patitur esse ex-
5 pertem sui. Quin etiam, si quis ea asperitate 'st et imma- b.
nitate naturae, congressus ut hominum fugiat atque oderit,

---

illinc πολιτεία, tamquam ἀλλοτριοπραγία ἐπίπονος, ap. Plutarch. *de amico et adul.* c. 8. p. 53. *B.* et c. 14. p. 57. *D.*

postremo] Apud Quinctil. *instt.* II. 15, 6. *et* quadrigeminam excipit *et postremo etiam.* — Ed. vet. s. l. *totis* †. — Eyb: *voluptatibus* × *tradiderunt.* × L. *β voluptatibus totos tribuerunt* a m. 1.; sed a m. 2. *tradiderunt.*

vitam esse nullam] Erf. L. *β* < *sentiunt* volgo × bRl. *γ esse vitam n. s.* × bRl. *s*, Bern. *vitam esse s e n t i u n t nullam.* Haud dubie propterea VV. DD. quidam carere noluerunt iterato Verbo, quia seqq., ubi × Eyb ∾ *si modo a l i[illegible]a velint ex parte liberaliter vivere* (cf. *parad.* VI. 1, 2.), non oratione obliqua continentur; sed restringunt Laelii affirmationem de voluptariorum etiam sententia, quae Epicuri verbis ipsis in κυρίων δοξῶν XXIX. refertur a Diog. Laërtio X. 148. ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺ μέγιστόν ἐστιν ἡ τῆς φιλίας κτῆσις: quam sententiam reddidit Cic. *fin.* I. 20, 65.

§. 4. *Serpit*] = blandam et occultam vim suam insinuat et fundit. *Fin.* V. 23, 65. *caritas generis humani . . nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur, . . s e r p i t sensim foras.* Cf. II. 14, 45. De leni accessu somni dicitur Virgilio *Aen.* II. 269.

omnium vitas] × Ed. vet. s. l. *vitas omnium.* Cum ead. Eyb: *expertem* × (D. 106. <) *esse.*

§. 5. D. 106. *asperitatem eam et immanitatem.* Eyb: *si asperitate ea est a l i q u i s* < *et.* Item ceteri nostri *asperitate* × *ea.* Id. Eyb cum L. *α inhumanitate.* Voc. *immanitatis* enodare conatus est D o e d e r l i n i u s t. I. libri: *Lateinische Synonyme und Etymologien* p. 45., cui *immane* a *magno* elisa litera *g* cum privativo *in*, cuius vis abierit in *nimium*, dictum videtur = *vegrande, ingens*, atque inde = *portentosum, monstrosum, horrendum et ferum.* Immo ἐμμανής, ut μαινόμενα ὄρη, *insani montes.*

congressus ut] × Eyb: *ut egressus.* D. 106. L. *β societatem* (L. *α accessus*) > *hominum.* Bern. *hominem.* — Ed. vet. s. l. *fugerit.* Cff. Particulae *ut* postpositae exempla *de fin.* I. 10, 34. *nihil u t de utilitatibus, nihil u t de commodis suis cogitarent; divin.* I. 40, 88. f. II. 52, 107. *off.* II. 21, 72. *singulos u t attingant*, ubi opponitur *universis. Tusc.* I. 4, 12. Sed non huc pertinet locus, quem praeterea Ochsnerus in *ecll.* com-

M 2

qualem [fuisse] Athenis Timonem (nescio, quem) accepimus: tamen is pati non possit, ut non anquirat aliquem,
6 apud quem evomat virus acerbitatis suae. Atque hoc maxu-

---

parat, Xenoph. *memor.* III. 9, 6., in quo est synchysis potius negationis ad membrum secundarium spectantis cum membro primario, a cuius Infinitivo attracta est. Nemo enim umquam μὴ ἃ οἶδε dixit pro ἃ οὐκ οἶδε.

qualem] Ed. vet. s. l. * < *fuisse.* Cf. 2, 5. L. β *Timonem Athenis accepimus praedicasse* > Eyb. Comp. *Tusc.* IV. 11, 25. 27. v. Stolle *de Timone misanthropo* in *miscellan. Lips.* t. III. n. 4. Contemptim dicit *nescio, quem*, ut II. *divin.* 37, 79. *asseclae suo Pergameno* (*nescio, cui*); 55, 113. *nec ego Publicio* (*nescio, cui*) . . . *credendum existumo.*

anquirat] bRI. *s adquirat;* ceteri nostri *acquirat.* Cf. 21. f. Eyb: *tamen his pati non posset, quin noscet* (h. e. *nosset*) *aliquem ap. quem spiritum suae acerbitatis evomeret.* Ed. vet. s. l. *virus suae acerbitatis evomat:* „h. e. *eiiciat.* Vt enim cibus non coctus eiicitur, ita odium rabiesque illa effundi ac spargi in aliquos necesse habet.“ Petr. Victorius *VV. LL.* XXI. c. 14. qui animadvertit usurpatum eodem sensu Graecum ap. Aeschylum in *Eumenidibus*, quum, qui ex illis constabat, chorum ita Apollo accusavit, quod pati non posset se victum in iudicio: *Σύ τοι τάχ᾽ οὐκ ἔχουσα τῆς δίκης τέλος Ἐμῇ τὸν ἰὸν οὐδὲν ἐχθροῖσι βαρύν·* quo sensu Terentius in *adelph.* III. 2, 14. *iram hanc in eos evomam omnem.* Similius ad nostrum h. l. ib. III. 4, 65. *hec.* III. 5, 65. Cic. *pro Mil.* c. 29. pr. Metaphora ducta vel a bile, quia *aegritudinem* solet vomitus relevare, vel a sanie oris *rabie* spumantis. Atque haud scio an hic allusio sit ad Terentii *eun.* III. 2., in qua scaena Thraso se iactat Regis familiarem vv. 13. ss.

Tum, sicubi eum satias
hominum aut negoti si quando odium ceperat;
requiescere ubi volebat: quasi . ., nostin'? Gnatho: *Scio:*
Quasi ubi illam expueret miseriam ex animo. —
Thr. *Tenes.*
— *tum me convivam solum abducebat sibi.*

virus] Hoc voc. poëticum esse observat Gernh. in *add.* et comparat Horat. II. *epist.* 1, 158. *virus grave* „pro inculto et rudi genere scribendi.“ Recte vero Bothius videtur referre etiam ad venenatos aculeos Fescenninorum. Horum enim *saevus apertam in rabiem versus iocus* honestissumos quosque *cruento dente* lacessiverat, *mortiferum in venas figens per vulnera virus* non secus, quam morsus serpentium, quibus Natura *malum virus addidit*, ut loquamur et cum ipso Cic. in Arati *phaenom.* 436. vel ap. Nobbium 687. et cum Flacco l. c. Virgilioque *G.* I. 129.

§. 6. L. *α hic.* — Ed. vet. s. l. *iudicatur.* Bern. *diiudicaretur* et cum D. 106. Erf. L. β *possit.* — D. 106. *deus* × *nos.* — Ed. vet. s. l. † < *hac.* — Ead. *in solitudinem* et cum Bern. < *ibi* ∾. Ad seqq. cf. 15, 2. — *Aspiciendi*, non *adsp.*, scriptum extat in L. β.

me indicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret et in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam et copiam, hominis omnino aspiciundi potestatem eriperet. Quis tam esset ferreus, qui 88

---

esset ferreus] ✕ Ciz. A. D. 106. Vim. *ferreus esset*, ut verbum in hac interrogatione suspectum fiat. Facile sentitur acerba sugillatio in annominatione vel affictione verborum *ferreus — ferre — auferret*; quam imitari liceat vel sic: — *Wo gäb' es einen so von Stahl, der es in einem solchen Leben ausstehn könnte* (v. *der gegen die Langeweile in einem solchen Leben gestählt wäre*) *und dem nicht stehlen sollte den Genuss* etc.? vel sic: — *Wo gäb' es einen so eisern, dem ein solches Leben nicht eisig däuchten und den nicht entäussern würde des Genusses aller Ergötzungen die Einsamkeit?* Huiusmodi sunt ap. Plaut. in *captt.* II. 2, 76. 3, 36., cui compares e *Persa* II. 1, 8. itemque illud Plautinum: *memorem immemorem fecit, qui memori memorat, quod memor meminit.* Cic. *pro Caelio* 31, 75. f. *illius familiaritatis infamia; de harusp. resp.* 3, 6. f. 11, 23. f. *ad fam.* V. 12, 23. pr. ed. Cort. *parad.* II. §. 3. pr. 8. f. Corn. Nep. XXV. *Att.* c. 17. extr. *ita percepta habuit praecepta.* Ad similiter desinentia pertinet exemplum h. dial. 16, 11. f. *sententiam . . . potentiam.* In primis talia usurpantur in oppositis, ut in Terent. *Andr.* I. 3, 13., ubi Donat. comparat Cic. *in Verr.* IV, 12, 27. Similiora adhuc sunt exempla ab Ochsnero allata in Cic. *ecll.* 83. Corn. Nep. V. *Cim.* 1, 2. *non magis amore, quam more ductus;* atque ὁμοιόπτωτον Ennii in *Medea*, cui Iason ap. Cic. in *Tusc.* IV. 32, 69. *Tu me amoris mage, quam honoris, servavisti gratia.* Ib. II. 7, 17. *An parum 'st, si non amarum?* I. *Acad.* 1, 2. *Nec tamen istum cessare, sed celare, quae scribat, existumo.* Add. *pro Rosc. com.* 6, 19. pr. *pro Sulla* c. 16. f. Iuvenal. XII. 50. s. Aristoteles ῥητ. τέχν. III. 9, 9. *rhet. ad Alexandr.* 28, 3. Herodianus in Villoisoni *anecdot. Gr.* II. p. 92. Alexander περὶ σχημ. in rhetor. collect. Ald. p. 586. Eustath. passim ad Homer., de quibus locis v. indices ed. Florent.; de Latinis *rhet. ad Heren.* IV. c. 20. — 23. §. 28. — 32. IV. 14, 21. Cic. *or.* II. 63, 256. Quinctil. *instt.* IX. 3, 75. ss. Rutilius Lupus *de figg.* I. 3. II. 12. 13. Aquila Romanus c. 25. — 27. Iul. Rufinian. *de schemat. lex.* 12. Martian. Capella V. p. 174. ed. Grot. (429. in Capperonnér. *rhett.*) Charis. Sosipater IV. p. 251. Diomedes II. 441. Donatus 1774. ed. Putsch. Io. Gerh. Vossii *oratt. instt.* V. p. 697. — 706. 734. — 742. 756. — 762. ed. Dordr. 1609. Io. Aug. Ernesti *init. rhet.* §. 344. — 346. Mahne in *epicrisi censurarum biblioth. crit.* (Trai. ad Rh. 1808. 8.) p. 38. Iul. Frid. Böttcher *de Paronomasia finitimisque ei figuris Paulo Apostolo frequentatis. P. II.* Lips. ap. C. H. Reclam 1823. 24. 8. in primis *P. I. rhetorico-historica* §. 1., qua totum figurarum

eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum volupta-
7 tum omnium solitudo? Verum ergo illud est, quod a Ta-
rentino Archyta, ut opinor, dici solitum nostros senes com-
memorare audivi, ab aliis senibus auditum: *Si quis in cae-
lum ascendisset naturamque mundi et pulchritudinem siderum
perspexisset: insuavem illam ammirationem ei fore, quae iu-*
8 *cundissuma fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset.* Sic
Natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tamquam

---

in vocum similitudine positum genus doctissume complexus est: etiam *ἐπαναστροφήν* vel *παρήχησιν*, cuius exemplum notavimus 21, 11.

cuique] *Que*, ut recte admonuit Grz. l. c. p. 313., non magis pro *vel* ponitur, quam *off.* I. 32. f., in omnibusque casibus ponitur pro *et qui*, ut I. *ad fam.* 9, 58. *de orat.* I. 25, 119. f. *N. D.* I. 19, 50. f. 33, 92. II. 10, 26. pr. 33, 84. pr. *or.* I. pr. Adde, sis, II. *off.* 6, 21. 9, 33. pr. Observat praeterea Grz. *quique*, ubi non praecesserit *qui*, plerumque accipi posse pro *quicumque*, vel in oratione continuanda pro *porro qui*. De eo subdubitari liceat, quod postremo loco additur, simplex Relativum a Cicerone non iterari semel tantum: quo tamen nihil frequentius, maxume in orationibus. Dixerim potius non facile saepius repeti, nisi ubi addatur *denique* vel *postremo*. Hic quaedam gradatio obtinet, ut progressio fere haec sit: *adeoque cui non auferret* p o t i u s etc. — Extr. h. §. Bern. L. *α omnium* × *voluptatum.*

§. 7. Bern. *archita.* — D. 106. L. *β solitum* × *dici.* — L. *α naturam* < *que.* — Ed. vet. s. l. < *et.* — Bern. *syderum*, pro quibus ead. ed. *eius* et deinde *admirationem* × *illam.*

iucundissuma] *iocundissima* < *e i* Bern. — *aliquem* < *tunc* Erf. — *n a r r e t* † *habuisset* Bern. × L. *β* *h a b u i s s e t aliquem*, *cui narraret.* Gernh. in *add.* p. 279. pr. *aliquem* interpretatur = *aliquem quemcunque.* Cur non = *a l i u m quem?*

§. 8. Eyb: *nihil* × *solitarium.* L. *α nil.* Ergo *monachorum* nihilo minus, quam diaboli, quisquis est eremita ille infernalis, qui a divino consortio se removisse perhibetur, cacodaemonumque vita quam maxume adversatur Naturae, h. e. ordini ab ipso deo constituto.

semper] Erf. < *que.* — *ad a l i q u i d tamquam* < *ad* D. 106. cum ed. vet. s. l., in qua scriptum *aminiculum.* Auctoritate codicis Erf. Wunderus in *praef.* p. CXXIV. *tamquam* eiiciundam arbitratur, ut *quasi* c. 21. pr. Annuit L. *α*, *β*. Sed cf. 7, 2. f. 16, 12. et obs. ad III. *off.* 9, 39. *t a m q u a m tormenta quaedam adhibemus.* Plenius *N. D.* II. 47, 120. *vites sic clauiculis amminicula, t a m q u a m manibus, appraehendunt.*

amminiculum annititur: quod in amicissumo quoque dulcis-
24 sumum 'st. Sed quom tot signis eadem declaret, quid velit, anquirat, desideret: obsurdescimus (nescio, quomodo) nec ea, quae ab ea monemur, audimus.
2 Est enim varius et multiplex usus amicitiae, multaeque causae suspicionum offensionumque dantur; quas tum evitare, tum ele-

---

annititur] Erf. *ad*-(> L. *α*)*nititur*. L. *β* † *admittitur*. — L. *α*, ed. vet. s. l. *amantissimo*.

C. 24. *eadem*] Erf. < volgo *natura*: quam vocem hic repetitam exterminat Wunderus in *praef.* p. CXXIV.

anquirat] L. *β aut quaerat quidve;* Bern. Erf. *acquirat*. > D. 106. L. *α*, bRl. *ε*, ed. vet. s. l. — Volgo: *ac* (L. *α aut*) > *desideret* Erf. cum bRl. *γ*, *ε*, Bern. et tribus aliis codd. Goerenzii, assentiente Zumptio quoque. Concinnius quidem ad seq. bimembrem oppositionem abfuerit *anquirat*. Sed convenit huic loco vis, quam habet συναθροισμός.

obsurdescimus] D. 106. *assurdescimus*. Bern. *tum* > D. 119 a., ed. vet. s. l. *obsurdescimus* < volgo: *tamen* × Erf. L. *α*, bRl. *γ tamen* (< bRl. *ε nos* >) *obsurdescimus*, itemque cum libris non minus quatuor Goerenzius, quod *tamen* in apodosi post *quum* in protasi primum locum tenere soleat, idque graviter; praesertim, si Verbum statim adiungatur, e. g. I. *ad famil. ep.* 2, 11. Vbi nullam vim habeat, praetermitti, ut *off.* II. 14, 49. pr. 15, 54. f. Hic vero etiam graviter videtur omitti. L. *α monentur*, *audierimus*.

§. 2. L. *β tamen* pro *enim*, quae Part. h. l. vim habet concedendi = *quidem*, seq. Pron. relativo *quas* = *sed eas*, ut 9, 2. *quam si qui putant* etc. — L. *α suspicionum offensionumque dantur* × *causae*.

tum] > Bern. *evitare*. Deinceps D. 106. < *tum elevare*, L. *α t. relevare*, quae ambigas an priorum verborum corrupta sit lectio, quae interimit concinnitatem oppositionis. Nam alteri suspiciones offensionesque evitandae sunt, alteri oblatae ferundae, in meliorem partem interpretandae ignoscendaeque: idque animi est candidi atque ingenui. *Elevare* autem eas omnino hominis est non simplicis atque aperti, qui, si quid violatum sit, novis officiis compenset (II. *off.* c. 19. f.): neque enim i. e. q. mox *sublevare*, sed est vafri et versutiloquentuli, cuius malitia in veris neglectae amicitiae accusationibus nihilo minus a suspicionibus quadam tenus se purgare didicit. Si tamen genuinum sit: erit = tum excusatione uti, si evitare non potueris, quo minus in suspicionem offensionemque incideres, tum non facile offendi suspicionibus de amico oblatis. Sed sic parum differet a seq. verbo, ubi Eyb: *velle* > *ferre*.

3 vare, tum ferre sapientis est. Una illa sublevanda offensio [est], ut et utilitas in amicitia et fides retineatur: nam et monendi amici saepe sunt et obiurgandi; et haec accipiunda amice, quom benevole

---

§. 3. *illa sublevanda*] h. e. caute subeunda. Cf. §. 7. pr. et Plutarchus *de amico et adul.* c. paenult. in fine: *δεῖ καὶ περὶ τὴν παῤῥησίαν φιλοτεχνεῖν, ὅσῳ μέγιστόν ἐστι καὶ κράτιστον ἐν φιλίᾳ φάρμακον, εὐστοχίας τε καιροῦ μάλιστα καὶ κράσεως μέτρον ἐχούσης ἀεὶ δεομένην:* et quae seqq. c. ult. p. 74. *D. E.* Frustra igitur Withofius in libro ad c. 12, 8. p. 68. citato p. 145. ɔi. *in verbis cavenda.* Nam metathesis illa litterarum, quae perhibetur, artem criticam in rem ludicram vertit. Multo melius Facciol. ɔi. *illa subeunda* (= *non recusanda*). Sed tamen emendatio non prorsus necessaria. Primum enim *una*, ut h. cap. §. 1. = *praeter caeteras.* Deinde, si in seqq. retineatur recentioribus editoribus probata lectio, *ut et veritas . . . retineatur:* Pron. demonstrativum *illa* annexo hoc membro explicatur determinaturque, sicut 4, 6. pr. 16, 1. 2. pr. 7. 19, 7. pr. De hoc usu Particulae *ut* copiose disseruit Ed. Wunderus in *orationis pro Sestio* ab O. Müllero editae censura in Iahnii annal. philol. collect. II. a. 1827. vol. III. fasc. 2. pr. Ego tamen h. l. Particula *ut* consilium et finem declarari puto Pronominisque vim explicari determinarique instituta nova constructione: *nam et monendi* etc.: quemadmodum I. *off.* 9, 28. p. 63. s. *alterum genus assecuntur, in inferunda ne cui noceant iniuria; in alterum incidunt: discendi enim studio impediti* etc. H. l. *una illa* < *in* Bern. cum Ciz. b, quasi addere voluissent *re.* — Erf. Eyb: *est* × *offensio.*

et] > L. *α, β:* non male illi quidem; si quidem vera fuerit duorum Aldi librorum lectio *veritas*, auctore Corrado in *Quaestura* p. 316. in volgatas editiones recepta. Sed *veritatem in amicitia* qui tandem a *fide* distinguas in tali quidem nexu? Ab Eybo cum nostris quoque libris omnibus retinetur *utilitas*, sicut in amicitia, quum ammonitiones et obiurgationes benevolorum familiarium, verum dicentium, amice accipiuntur. Cff. seqq. §. 8. Plauti *trin.* 24. ss. 35. s. vel tota *scaena* I. *act.* I. Plutarch. *de amico et adul.* c. 11. p. 55. *D.* *Ὥςπερ ἁρμονικὸς ὁ φίλος τῇ πρὸς τὸ καλὸν καὶ συμφέρον μεταβολῇ τὰ μὲν ἐνδιδοὺς, τὰ δ' ἐπιτείνων πολλάκις μὲν ἡδύς, ἀεὶ δὲ ὠφέλιμός ἐστι.*

amici saepe] × Bern. *saepe* (> L. *α*) *amici.* — Eyb: *sunt* > *amice* < *sunt* Bern. idemque *si cum benivolentia.* Sed *quom* h. l. = *quotienscumque.* Isocrates *ad Nicocl.* 8, 4. *Πιστοὺς ἡγοῦ μὴ τοὺς πᾶν, ὅ τι ἂν λέγῃς ἢ ποιῇς, ἐπαινοῦντας· ἀλλὰ τοὺς τοῖς ἁμαρτανομένοις ἐπιτιμῶντας.*

4 fiunt. Sed nescio quomodo verum 'st, quod in Andria familiaris meus dicit: 89 p. 113. a.

Obséquium amicos, véritas odiúm parit.

5 Molesta veritas, si quidem ex ea nascatur odium, quod est venenum amicitiae; sed obsequium multo molestius, quod

---

§. 4. *nescio quomodo*] = *eheu!* Cf. obs. ad *or. pro Tullio* 15. p. 24. s. cum *addend.* p. 242. sq. L. *α hoc* > *verum est.* Ed. vet. s. l. *sit.* Plutarch. *de amico et adul.* c. 12. p. 56. *A.* Ἀλλ' οὐκ οἶδ' ὅπως οἱ πολλοὶ τὰς μὲν ἐπὶ ταῖς ἀτυχίαις παρηγορίας οὐχ ὑπομένουσιν, ἀλλὰ μᾶλλον ὑπὸ τῶν συνεπιθρηνούντων ἄγονται καὶ συνοδυρομένων· ὅταν δ' ἁμαρτάνωσι καὶ πλημμελῶσιν, ὁ μὲν ἐλέγχῳ καὶ ψόγῳ δηγμὸν ἐμποιῶν καὶ μετάνοιαν ἐχθρὸς δοκεῖ καὶ κατήγορος, τὸν δ' ἐπαινοῦντα καὶ κατευλογοῦντα τὰ πεπραγμένα ἀσπάζονται καὶ νομίζουσιν εὔνουν καὶ φίλον. c. 2. f. p. 50. *B.* τὸ μὲν δύσκολον ὅλως καὶ μεμψίμοιρον ἄφιλον καὶ ἀνομίλητον.

in Andria] L. *α Andreas.* Macte pietate sua vestra reverentia, scientifice pastor opilio animarum fidelium!

familiaris meus] *f. noster* < *Terentius* Bern. × L. *β*, Eyb: *meus familiaris.* Nisi sequeretur §. 7. *Terentiano verbo lubenter utimur,* intellegi posset *Africanus minor.* Nam *Terentii scripta ad Scipionem Africanum referebantur,* ut memorat Quinctilianus *instt.* X. 1, 99. Suetonius in *vita Terentii* c. 2. et 3. Donatus in *vita Terentii* p. XXIV. *t.* I. ed. Zeun. *Scipionis fabulas edidisse Terentium Valgius in Actaeone ait* (fortasse in censura quadam Latii poëtarum, qui vel, ut Actaeon a Diana, sic a poëta critico cornibus aucti vel, ut ille a canibus suis, lacerati vel, ut Diana ab Actaeone, nudi spectati sunt, quum Lucilii exemplo Valgius versaretur in eorum poëmatis obtrectandis vel plagiorum vel ineptiarum arguens):

Hae quaé vocantur fábulae cuiús, nónn' eas
Qui iúra populis, léges † gentibús dabat
Hónóre summo affěctus fecit fábulas?

ubi quum v. 2. pro Rutgersii emendatione, quamvis commoda, *leges † gentibus*, codd. mss. Danielis exhibeant *end' ibus*, haesitanter suspicor legendum *implorantibús*, vel, ut ad Romanos sociosque P. R. referatur, *éndoperantibús*. Fragmentum enim corruptum esse atque emendatione adhuc egere, sobria ingenii sollertia iudicat longe peritissumus arbiter Aug. Weichertus in pereradita *commentatione de C. Valgio Rufo poëta* (Grimae ex offic. Goeschenia 1827. 4.) fragm. XVII.

§. 5. L. *β Molestia.* — bRl. *s*, ed. vet. s. l. *est* (< Eyb: *enim*) > *veritas* < D. 106. L. *β*, bRl. *γ est.* — Excpt. L. *si* < *quidem.* — L. *α ex illa.* Eyb: *nascatur* pro volg. *nascitur.* — L. *α venenum* × *est.* — Bern. *est* > *multo* > L. *α molestius:* de cuius voc. potestate = *odiosum* cf. *off.* I. 8, 26. f.

6 peccatis indulgens praecipitem amicum ferri sinit; maxuma autem culpa in eo, qui et veritatem aspernatur et in fraudem
7 obsequio impellitur. Omnis igitur hac in re habenda ratio et diligentia [est]: primum, ut monitio acerbitate, deinde ut obiurgatio contumelia careat. In obsequio autem (quoniam Terentiano verbo lubenter utimur) comis veri-

---

amicum] Eyb: *animum*, ex ambiguo scilicet compendio, quale est in L. *α*. Pro *ferri* Schwarzii Altf. cod. et ed. vet. s. l. *fieri*. Plutarch. de *amico et adul.* c. 11. p. 55. *C. D.* *Δεῖ ὠφελοῦντα λυπεῖν τὸν φίλον, οὐ δεῖ δὲ λυποῦντα τὴν φιλίαν ἀναιρεῖν· ἀλλ᾽ ὡς φαρμάκῳ τῷ δάκνοντι χρῆσθαι, σώζοντι καὶ φυλάττοντι τὸ θεραπευόμενον.*

§. 6. L. *α est* × (> Erf. Bern. D. 106. Eyb) *in eo* < *est* volgo × L. *β in eo est culpa.* — D. 106. *qui* < *et;* ed. vet. s. l. *etiam.*

§. 7. *Omnis* Eyb pro volg. *omni.* L. *β Omni ergo.* L. *α Omni enim.* Eyb: *est* × *ratio et diligentia;* ed. vet. s. l. *diligenda.* Tum Gernh. e quinque codd. et ed. Suffridi *ad*>*monitio*, invitis nostris ll. omnibus. Cf. §. 3. et 9. — *acerbitate* < *careat* Bern. — *deinde* < *ut* Erf. L. *β* cum Bern. et octo aliis codd. Goerenzii, qui comparat III. *ad fam. ep.* 5, 4. f. Plutarchus l. l. c. 25. p. 66. *B.* *Δεῖ τὴν παῤῥησίαν ἤθει κεκρᾶσθαι καὶ λόγον ἔχειν, ἀφαιροῦντα τὸ ἄγαν καὶ τὸ ἄκρατον αὐτῆς κ. τ. λ.* ibid. c. 86. p. 73. *E.* *Οὐδὲν γὰρ ἄλλο ποιεῖ τὸν παῤῥησιαζόμενον ἥκιστα λυπεῖν καὶ μάλιστα θεραπεύειν ἢ τὸ φειδόμενον ὀργῆς ἐν ἤθει καὶ μετ᾽ εὐνοίας προςφέρεσθαι τοῖς ἁμαρτάνουσιν. Ὅθεν οὔτε ἀρνουμένους δεῖ πικρῶς ἐξελέγχειν, οὔτε κωλύειν ἀπολογουμένους, ἀλλὰ . . . τῆς χείρονος αἰτίας ἀφισταμένους αὐτοὺς ἐνδιδόναι μετριωτέραν*, np. *ut obiurgatio contumelia careat.* Cf. *off.* I. 38, 137. pr.

quoniam] > L. *β*. Id. cum L. *α* et Bern. *libenter.* Pro volg. *comitas* L. *β comes veritas* et cum L. *α assit.* Visum est repetere Ed. Wunderi animadversionem in *praef. VV. LL. e cod. Erf. enotatt.* p. CCXII. s., quae mirifico acumine mire firmat omen nominis, quod est critico mirabundo.

„Nemo editorum, quod mirari subit, sententiam verborum *in obsequio* — *comitas adsit* tum per se ineptam tum ab hoc loco alienam esse animadvertit. Per se inepta est, quod obsequium, peccatis amicorum, ut paullo ante Cicero dicit, indulgens, numquam non coniunctum cum comitate est, ita ut mirum sit, praecipi potuisse, ut ea tamquam diversa coniungerentur, quae numquam diiuncta reperiuntur. Aliena ab hoc loco est, quod Cicero hic inde a §. 88. extr. amicos etiam monendos saepe et obiurgandos esse omninoque veritatem, licet suspicionum offensionumque causas det, in amicitia retinendam dicit. Obsequium autem, quod Terentius parere amicos dicat, minime probat, sed molestissimum ait esse et ef-

tas assit; assentatio, vitiorum adiutrix, procul amoveatur: quae non modo amico, sed ne libero quidem digna 'st.

---

ficere, ut praeceps amicus feratur. Itaque vehementer secum pugnaret, si nunc subito non probaret tantum, verum etiam cum comitate coniungendum moneret. Immo necesse est, pro verbo *comitas* aliquid posuerit Cicero, quod oppositum quadam ratione obsequio sit. Atqui id ipsum superscriptum a manu secunda in codice Erfurtense est, expuncto verbo *comitas*. Superscripta enim verba *comes veritas*, quorum alterum *veritas* nemo profecto dubitabit quin ab ipso Cicerone sit scriptum. Incertum autem videri potest, num *comes* sit restituendum, cum insolens elocutio sit *in obsequio comes veritas adsit* pro *obsequii comes sit veritas*. Accedit, quod, si *comes veritas* scriptum fuisset, minus intelligitur, quomodo ea verba in *comitas* potuerint commutari. Itaque levi mutatione pro *comes* scribendum *comis* iudico, quod cum verbo *veritas* facillime in *comitas* depravari potuerit. Nam terminatio *is* saepenumero a librariis eo signo, quod apostrophus dici solet, indicata est. Exempla protulimus supra p. XXXVIII. extr." [ex corruptelis codicis Erf. in oratione *pro Caelio*, ubi C. XIV. §. 34. pro *Vestalis* scriptum *vesta vel* et C. XXI. §. 52. pro *liberalis* scriptum *libera vel.*] „Idem factum in vetusto huius libri codice esse, apparet ex Erfurtensis libri lectione, §. 69. [p. 111. v. 1.] pro *qualis* scribentis *qua vel.* Particula *vel* enim hoc compendio *l'* scribi consuevit. Verbum autem *veritas* ubique fere sic scribitur *ũitas*, unde supra §. 88. a plerisque librariis in *utilitas* commutatum est" [vel contra: de qua lectione ambigua v. annot. 24, 3. pr.]. „Iam si coniunxeris verba *com'ũitas*, et signa superscripta deleveris, facillimo errore pro duobus illis verbis *comitas* potuisse scribi apparet. Aptissima autem sententia redditur, restitutis verbis *comis veritas*, et prorsus consentiens cum iis, quae dicta §. 88. extrema sunt: *nam et monendi amici saepe sunt et obiurgandi; et haec accipienda amice, cum benevole fiunt.* Itaque *comis veritas* eius est, qui vera dicit cum quadam benivolentia."

Nos huic Wunderi emendationi eo magis astipulamur, quod *Terentianum verbum* restituit. Cf. Plutarch. *de am. et adul.* c. 2. f. p. 50. *B.* τῆς ἀφθόνως καὶ προθύμως τὸν ἐπὶ τοῖς καλοῖς ἀποδιδούσης ἔπαινον **εὐνοίας** καὶ τὸ **νουθετοῦν αὖθις** καὶ **παῤῥησιαζόμενον** ἐλαφρῶς καὶ ἀλύπως ὑπομένουσι. Ibid. c. 36. p. 74. *C.* dicitur εὔνοια ἄθρυπτος. Verumtamen ausim etiam adhuc periclitari coniecturam, ut legatur: *comes* ***virtutis*** *veritas*, propter seq. oppositionem. Cf. 22, 5. Sic h. quoque l. adhibita foret παρονομασία: ut III. *de re p.* c. 3. ***veritatis*** *et* ***virtutis*** *magistri*. Plato *legg.* V. p. 605. *F.* ed. Lugd. ἀλήθεια πάντων μὲν ἀγαθῶν — ἡγεῖται. Cf. Plutarch. *de am. et adul.* c. 1. p. 49. *A.*

vitiorum adiutrix] × L. *β adiutrix vitiorum.* — Bern. *non* < *modo.* Scilicet utriusque voc. compendium non nisi litera initiali *n* vel *m* differre. L. *α nec modo amico* < *sed . . . cum amico.* Pro *ne* Bern. a m. 2. *nec.* — L. *β cuique* > *quidem* < *homine* ed. vet. s. l.

8 aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. Cuius 90 autem aures [veritati] clausae sunt, ut ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda 'st. Scitum enim illud Catonis, ut multa: *Melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum*

---

aliter enim etc.] ✕ L. *β al.* *autem cum amico et aliter cum tyranno v.* Cf. huiusmodi ἀσύνδετον *off.* I. 12, 38. p. 91.

§. 8. Eyb: *veritate* > *clausae* < Bern. Erf. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. *veritati* > *sunt* < D. 106. *veritati:* quod vocab. satis otiosum adeoque abundans propter inconstantiam merito respuit Goerenzius: qui tamen nescio an retinere voluerit Particulam *ita*, quum in ed. Plantin. legatur *ita veritati clausae*, Grz. autem hunc locum nescio qua auctoritate sic exhibeat: *veritati ita clausae:* quod Verbum similiter tralatum est a Cic. II. *off.* 15, 55. pr.

nequeat] Eyb: *nequeant.* — *Salus desperanda* dicitur, ut *Catil.* III. 5; 10. *essent illi quidem desperandi*, et active *N. D.* I. 22, 60. f. *desperare omnem veritatem* vel *omnia* I. *fin.* 18, 61. pr. Plutarch. *de sentiendo profectu virtutis* c. XI. p. 82. *A.* Ἁμαρτανόντων ἀνήκεστοι μὲν εἰσιν οἱ πρὸς τοὺς ἐλέγχοντας καὶ νουθετοῦντας ἐχθρῶς καὶ ἀγρίως διατιθέμενοι καὶ χαλεπαίνοντες.

Scitum] Ox. E (< volgo: *est*) *enim* < *est* Goth. 117. Vim. Cf. *off.* I. 12, 38. 19, 63. Aliter res se habet, ubi non *illud*, sed aliquis Infinitivus adiungitur ad *scitum est enim*, aut ubi clausulam facit, ut *divin.* II. c. 24. pr.

illud] < Eyb: *proverbium.* — Ed. vet. s. l. *ut multa* > *multo melius* L. *α* cum Eybo, qui *acerbos inimicos* ✕ *de quibusdam.*

dulces] = πρὸς χάριν vel κεχαρισμένως ὁμιλοῦντες, ut loquitur Plutarch. *de adul.* c. II. p. 49. *E.* h. l. = qui libidinibus ac cupiditatibus blandiuntur.

illos verum] ✕ Ed. vet. s. l. *verum illos* —. ✕ Erf. *saepe verum* —. ✕ L. *β illos enim saepe dicere verum, hos vero n.* Si abforent vv. *verum dicere:* ex antecedd. supplendum esset *bene mereri.* Io. Chrysostom. *homil.* III. *de Davide et Saule* t. II. p. 871. *C.* ἵνα μάθητε, ὅτι, ὅσα οὐκ ὠφελοῦσι φίλοι ἐπαινοῦντες καὶ χαριζόμενοι, τοσαῦτα ὠφελοῦσιν ἐχθροὶ κακῶς λέγοντες, κἂν ἀληθεύωσι, μόνον ἂν εἰς τὸ δέον ἡμεῖς ταῖς κατηγορίαις χρῆσθαι βουληθῶμεν· οἱ μὲν γὰρ φίλοι πολλάκις καὶ πρὸς χάριν κολακεύουσιν· οἱ δ' ἐχθροὶ τὰ ἁμαρτήματα εἰς μέσον ἄγουσιν· ἐπειδὴ γὰρ ὑπὸ φιλαυτίας ἡμεῖς τὰ ἡμέτερα πλημμελήματα οὐχ ὁρῶμεν, ὑπὸ τῆς ἔχθρας ἐκεῖνοι πολλάκις ἡμῶν ἀκριβέστερον θεασάμενοι καὶ ὀνειδίσαντες, εἰς ἀνάγκην ἡμᾶς ἐνέβαλον διορθώσεως, καὶ γέγονεν ἡμῖν ἡ ἔχθρα μεγίστης ὠφελείας ὑπόθεσις, οὐ μόνον ὅτι μιμνησκόμενοι παρ' ἐκείνων νοοῦμεν ἡμῶν τὰ ἁμαρτήματα, ἀλλ' ὅτι αὐτὰ καὶ ἀποτιθέμεθα. Philo Iudaeus: *Quis rerum divv. heres* p. 503. C.

9 *saepe dicere, hos numquam.* Atque illud absurdum, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, qua debent vacare. Peccasse enim se non anguntur, obiurgari moleste ferunt: quod contra
25 oportebat; delicto dolere, correctione gaudere. Vt igitur 91

Ὁμοίως γὰρ οὔτε ἔπαινοι τῶν ἀγαθῶν καὶ οἱ ψόγοι τῶν μοχθηρῶν ὠφελοῦσιν, cuius sententiae auctor laudatur Antisthenes Diogeni Laërt. VI. 12. *προσέχειν δεῖν τοῖς ἐχθροῖς· πρῶτοι γὰρ τῶν ἁμαρτημάτων αἰσθάνονται,* itemque Plutarcho *de capiunda ex inimicis utilitate* c. VI. p. 89. *B.* Sed idem Plut. *de sentiendo profectu virtutis* c. XI. p. 82. *A.* *Διογένης ἔλεγε τῷ σωτηρίας δεομένῳ ζητεῖν προσήκειν ἢ φίλον σπουδαῖον ἢ διάπυρον ἐχθρόν, ὅπως ἐλεγχόμενος ἢ θεραπευόμενος ἀποφεύγῃ τὴν κακίαν*, vel, ut extat in l. *de amico et adul.* c. XXXVI. extr. p. 74. *C.*, *τῷ μέλλοντι σώζεσθαι δεῖ φίλους ἀγαθοὺς ἢ διαπύρους ἐχθροὺς ὑπάρχειν· οἱ μὲν γὰρ διδάσκουσιν, οἱ δὲ ἐλέγχουσι.*

§. 9. *illud absurdum*] D. 106. Erf. L. *β*, Ox. *η* cum uno alterove cod. Goerenzii < volgo: *est*, quod Verbum reieceramus iam in Darmstadiensi indice literarum philologicarum cum nuntiis de omni re scholastica coniuncto a. 1826. II. n. 9. lat. 79. Grz. comparat 14, 2. pr. *off.* III. 13, 55. f., ubi cf. annotatio.

ii, qui] Eyb: *dum.* Bern. *hii.* Grz. optumorum suorum codd. fide firmat Pron. demonstrativum *hi:* languere enim videtur viro docto *ii.* Nos vero rationes potius, quae Pronominibus indicantur, spectandas ducimus. Hic autem scriptor generaliter loquens Pronominibus non utitur, nisi in circumlocutione. — Bern. < *eam* (< *que* L. *α*) *capiunt.* — L. *α*, ed. vet. s. l. *deberent.* — L. *α non* × *se*, ut Pronomen paene suspectum fiat.

quod] Bern. *quo.* Hottingerus supplet: *circa quod negotium:* quae ellipsis eodem redit atque pleonasmus, quem rectius statuit Ochsn., ut nexus faciundi gratia *quod* = *atqui* = *quamquam* praemittatur, quemadmodum alibi Particulis *si, nisi, quia, quoniam, utinam* etc.: unde et hic virgulam post *oportebat* (Eyb: *oporteret*) volgo interpositam removeri malebat et Gernh. sustulit. Verum enim vero pleonasmus ille explicari volt et enucleari. Videtur igitur seq. antithesis accipienda esse pro appositione Pronominis *quod* in Nominativo, ut *contra* adverbialiter positum sit = *secus.* Idem fortasse valet in *Cat. mai.* 23, 12. (84.) et *off.* I. 15, 49. t. I. p. 120. *quod contra fit a plerisque.* Huc inclinat etiam Ochsn. proposita hac explicatione: *quod contra fieri oportebat, oportebat delicto dolere.* Grz. quoque ad *I. fin.* 6, 19. p. 25. f. Relativum *quod* h. l. interpretatur = *immo hoc.* Atque haec quidem ratio grammatica verior videtur, quam si Praepositionis anastrophe quaeratur in vv. *quod contra.*

delicto dolere] *delicta dolore* ed. vet. s. l. *correctione* < L. *β autem.*

et monere et moneri proprium 'st amicitiae et alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum 'st, n u l l a m [in amicitiis] p e s t e m e s s e m a i o r e m, q u a m a d u l a t i o n e m,
2 b l a n d i t i a m, a s s e n t a t i o n e m: quamvis enim multis

---

C. 25. *et* > D. 106. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. *monere.* — *Moneri* = *pati moneri se.* Nam seq. *et* vim habet explicandi: unde Eyb ibi legit: *et q u i d e m alterum.*

amicitiae] L. *α* < *verae* Bern. × volgo: *verae* (Eyb: *vere*) *amicitiae.* Cf. 15, 7. — Ed. vet. s. l. *e t* > *non aspere; alterum* < *vero* L. *β.* Id. *suscipere.* In eandem sententiam interpretor Plutarchi vv. *de amico et adul.* c. XXVII. p. 68. *B.*, ubi Timagenes narratur Augusti amicitia excidisse, *αἰτίαν φιλίας ὥςπερ σόφισμα λοιδορίας προςφερόμενος:* quae obscuravit Wyttenbachius *animadvv.* p. 519. in huiusmodi detorquens sensum: *c r i m i n a t i o n e m amicitiae ei adhibens eamque ut occasionem vituperandi arripiens et ad mordacem dicacitatem convertens*, np. *ut quereretur et Augustum reprehenderet, quasi non satis magni ab eo habitus, sed neglectus, eumque hanc ob rem ridiculis dictis et salibus lacesseret*, comp. h. dial. c. 20, 2. Multo rectius idem V. D. in annot. critica interpretatus fuerat *reprehensionem amicitiae* (i. e. *reprehensionem, qua uti debet amicus*) *adhibens Caesari, ut per eam sibi locum et facultatem pararet dicendorum conviciorum.* Sed *αἰτία φιλίας* nihil aliud est praeter *causam* vel *praetextum amicitiae, cuius iure et privilegio uteretur in castigando amico.* Erat igitur homo paulo arrogantior nimiamque sibi assumebat auctoritatem, eamque in frivole dictis.

habendum 'st] = persuasum esse debet, existumandum 'st: ut *N. D.* III. c. 36. pr. Cf. h. dial. c. 2. f. *de re p.* VI. 13. pr. 22. f. 24. vel *somn. Scip.* c. 3. pr. 7. 8.

in amicitiis] Goth. 48. 117. *in amicis;* Ox. E. *in amicitia.* Ed. vet. s. l. *in amicitiis* × *nullam.* Cf. 10, 6. — L. *β posse* > *esse* × *pestem.* L. *α maiorem* × *esse:* ut, nisi existeret ambiguitas, Infinitivus fieret suspectus comp. 22, 4.

blanditiam] L. *β blandamque.* Eyb: *et* > *assentationem.*

§. 2. *enim*] > Erf. *Quamvis multis* = *plurumis.* Sic scriptor circumloquitur Superlativos *Tusc.* I. c. 21. pr. III. 30, 71. *Stultitiam accusare q u a m v i s c o p i o s e licet.* *N. D.* III. 39, 92. *materiam . . . totam esse flexibilem et commutabilem, ut nihil sit, quod non ex ea q u a m v i s s u b i t o fingi convertique possit.* II. *off.* 20, 69. f. ubi v. annot. t. II. p. 134. *N. D.* II. 1, 1. IV. *ad Herenn.* 43, 55. f.

nominibus [est] hoc vitium notandum levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Quom autem omnium rerum simulatio 'st vitiosa 92

---

est] Ox. E † *sit*. Bern. *hoc vitium notandum* ✕ *est*. Similiter Cic. *N. D.* II. 7, 18. *placet pluribus verbis*; additque rationem *fin.* III. 4, 14. pr., *erit enim notius quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus* —: et ibid. *ut hoc pluribus nominibus insigne faciamus*. Fit id, ut *off.* III. c. 13. f., sic h. l. ad deterrendum vitiorum foeditate atque infamia. *Adulatio* = ficta quaedam nimii amoris simulatio cum summissione, qualis est canium cum *ululatione* domino humiliter blandientium, προςκύνησις. — *Blanda* a βλάω, βλέω, βλέννα = βλεννώδη, *fluida*: quae quia glabra et mollia tactui cedunt, hoc. voc. transfertur ad *delicata* (a *deliquescendo*) et quaecumque sensum suavitate et voluptate deliniunt. Similiter *munda* = *madida, mucida*; hinc = *nitida*, a μάω, μύω, μυδάω, *madeo*, μύδος, μύνδος: licet haec quidem tralata volgo in contrarios significatus abierint. Nam dissimiles res similibus saepe esse notatas vocabulis observavit iam Chrysippus laudatus Riemero in lex. Gr. ed. IV. t. II. p. 212. lat. *a* s. v. μύζω. *Assentatio* = 26, 9. *blanda vanitas*. Ea ad quamcumque alterius sententiam accedit eamque annuendo comprobat. Cf. ib. §. 8.

levium] L. *α* † *tamen est* > *levium*. — L. *β* † *et* > *loquentium* ✕ *ad voluntatem*. L. *α*, bRl. *γ*, Bern. D. 106. Erf. *ad voluptatem l.*, permutatione sollenni. Plutarchus fere dicit πρὸς χάριν, et Herodot. *Polyh.* (VII.) 101. f. ἡδονῇ χρήσασθαι, observante Ochsnero in *ecll.* p. 195. Sed recte idem V. D. confert *parad.* V. c. 2. extr., *pro Quinctio* 30, 93., ubi *ad voluntatem loqui* = *assentari*, laudatque Ruhnkenium ad Rutil. Lup. p. 134. s. comp. Isocratis oratione *de pace* c. 3. ubi p. 160. οἱ ἅ βούλεσθε λέγοντες = οἱ πρὸς ἡδονὴν δημηγοροῦντες = οἱ καταχαριζόμενοι et p. 159. συναγορεύειν ταῖς ἐπιθυμίαις = ἀρέσκοντας λόγους λέγειν.

ad veritatem] np. *accommodate*. Cf. *partit. or.* 25, 90. pr. Epictetus in sent. Antonii et Maximi p. 247. Οἱ μὲν (τὰ χρηστὰ συμβουλεύειν ἐθέλοντες) τὸ συμφέρον ἐν ἀληθείᾳ ὁρῶσιν, οἱ δὲ (κολακεύειν ἑκάστοτε σπεύδοντες) πρὸς τὰ δοκοῦντα τοῖς κρατοῦσιν ἀφορῶσι καὶ τῶν σωμάτων τὰς σκιὰς μιμούμενοι τοῖς παρ' αὐτῶν λεγομένοις συννεύουσιν.

Quom] Ed. vet. s. l. *Tum* < *autem*. — *Omnium rerum simulatio* = *omnibus in rebus s.*, ut *pro Quinctio* 3, 11. *ceterarum rerum pater familias et prudens et attentus, una in re paulo minus consideratus*. Indicat enim Genitivus cum Substantivis easdem rationes, quibus declarandis Praepositiones inserviunt.

est vitiosa] ✕ Bern. D. 106. Erf. ed. vet. s. l. Eyb: *vitiosa est* probante Goerenzio l. l., quia asseveratione opus sit. Sed vetat, ut mihi quidem videtur, tum oppositorum inter se responsio, tum vocabuli, ad quod proxume

(tollit enim iudicium veri idque adulterat), tum amicitiae repugnat maxume: delet enim veritatem, sine qua nomen
3 amicitiae valere non potest. Nam quom amicitiae vis sit in

---

applicatur parenthesis, cum hac ipsa nexus. L. *β* cum Ciz. b, Ox. E *sit vitiosa*, idque melius propter seq. gradationem. Indicativus proprius est partitionis, cuius membra sunt παράλληλα, h. e. pariter aequaliterque valent; itemque comparationis, qua singularis sententiae veritas ex universali efficitur ita, ut eam praecipue obtinere appareat. Id h. l. fieri potest. Cum Coniunctivo autem iuncta Part. *quom* in sententiarum subordinatione pollet vi concessiva = *licet*, et prius sententiae membrum a posteriore *tum* etc. superatur pondere, ita tamen, ut nec huic quicquam detrahatur gravitatis. Vid. c. 7. pr. *N. D.* I. pr. *off.* III. 2. pr. cum annotatione; Liv. VIII. c. 21. pr. Cff. Ruhnken. et Krause ad Vellei. P. II. 48. f. Moser. ad VI. *de re p.* c. 15. f. (*somn. Scip.* c. 3.) *pietas — quom sit magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxuma 'st:* ubi Verbum *sit* a codd. et vett. edd. quibusdam omittitur improbante Mosero. Ego vero ne h. nostro quidem l. Verbum Protei instar in priore membro se subducens valde desiderarem, nisi ei aliud responderet in posteriore membro. Cf. Wolfii *analecta litt.* II. 277. ss., quae laudando sapere sibi videtur Müller. ad *or. p. Sext.* §. 2.

tollit e. iudicium veri] non modo de aliorum erga nos sensu (ut Hottingerus accepit), verum etiam de nostris tum bonis tum vitiis. Plutarchus *de adul.* c. 1. f. p. 49. *B.* Ὁ κόλαξ ἀντιτάττεται πρὸς τὸ Γνῶθι σαυτόν, ἀπάτην ἑκάστῳ πρὸς ἑαυτὸν ἐμποιῶν καὶ ἄγνοιαν ἑαυτοῦ καὶ τῶν περὶ αὐτὸν ἀγαθῶν καὶ κακῶν.

idque] Erf. L. *β*, ed. vet. s. l. *atque adulterat* = *clam corrumpit.* Sic locis, quos Gernh. in *add.* citat, *partit.* 25, 90. *Voluptas . . . boni naturam fallaciter imitando adulterat; pro Caecina* 26. pr. *ius civile, quod neque inflecti gratia . . neque adulterari pecunia possit.*

tum] L. *a tm̃*, h. e. *tamen*, quod extat in Ciz. b. Sed tali quidem oppositione prius membrum, in quo tum utique legendum foret *quom — sit vitiosa*, omnino elevaretur, utpote minumi ponderis. Vid. S. Ch. Schirlitz de Partt. *Cum — Tum* in Seebodii tabulario philologico collect. I. a. 1824. fasc. IV. p. 710 — 719. L. *a maxime* ✕ *amicitiae repugnat.* Verbum *repugnat* ab uno codice recte omissum videtur Aldo. Sic ad Gen. *amicitiae* ex antecedd. iterandum *simulatio vitiosa*, np. *est*, quod Verbum tum ne in priore quidem membro necessarium.

valere non potest] = *inane est nomen, nulla subiecta sententia.* Non abs re visum est hic addere memorabile ἑταιρίας veriloquium. Nam ἑταῖρος et ἕτερος (np. αὐτός) consanguinei sunt, et quidem gemini, oriundi a V. ἕω, *εἰμὶ*, *sum*, unde ἔτος, ἐτεός, *verus*, *fidelis*, ἔτης, *amicus*, *sodalis*, observante Wyttenbachio p. 644. *animadvv. in Plutarch.* περὶ πολυφ. p. 93.

eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui id fieri poterit, si ne in uno quidem unus [animus erit] idemque sem-
4 per; sed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim potest 93
esse tam flexibile, tam devium, quam animus eius, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam voltum atque nutum convertitur?

E. προςαγορεύειν ἑταῖρον ὡς ἕτερον, tamquam eum, qui *iteret* nos, h. e. exemplum nostrum studiorum similitudine quasi referat. Cf. h. dial. 21, 14.

§. 3. L. *a quasi* × *unus*. Sic c. 21. f. praecedit *paene*. Sed nulla huiusmodi mitigatio addita est I. *off.* 17, 56. Aristoteles ap. Diog. Laërt. V. 20. pr. τί ἐστι φίλος; Μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα. Nicomacheorum interpres, volgo Andronicus: τοὺς σφόδρα φίλους δηλοῦντες Μία ψυχή φασιν.

id] > * ed. vet. s. l. cum D. 106., ut intellegatur potius: *unus ex pluribus*. Ead. ed. *non* pro *ne*. In Bern. m. 2. correxit *nec*. L. *β* αἷο pro *in uno*. — Vim. et quinque Aldi libri *quidem* < volgo: *quoque* × Eyb: *quoque quidem*. Vnus Aldi: *non in uno quoque* × *animus erit* × *unus*. L. *β non* > *animus* > ed. vet. s. l. Ead. *est* pro *erit*. — Bern. *non* > *semper*. — Pro *sed* Erf. L. *β sit*. — Eyb: *et* > *multiplex*. Supra 18, 3. f. notabatur *multiplex ingenium*.

§. 4. *devium*] Possit cuipiam in mentem venire *levium*, ut variata constructio sit. V. Iahnii obs. ad Virg. *Aen.* XI. 569. Nam censor Halensis, cuius ex ungue l. c. p. 748. facile agnoscas leonem, quo non praestantior alter, h. l. tam est homo in omnibus consiliis praeceps et devius, ut quum multa alia inepte comparet, tum etiam ex Persii *sat.* II. 31. *aviam*, h. e. *avi* uxorem, de via huc avocet, ne scilicet quis existumet ipsius aut aviam aut materteram esse philologiam, vix novercam. Est vero *devius* = *is, qui ad alterius nutum convertitur* et avocatus de suo itinere deflectit; qui facile declinat a proposito; quem facile alienus nutus *de via deflectit*, ut loquitur Cic. I. *de re p.* 44., vel, ut Ern. in *claui Cic.* interpretatur, = *inconstans, qui saepe tamquam aberrat a via, aliter alio tempore agit.*

ac] Eyb: *atque*. Bern. *et*. — L. *a ad* > *vultum*. De usu Verbi *convertitur* censor ille Hal. laudat Bremii annot. ad Corn. Nep. XXV. *Att.* 8, 1. Cf. Plutarchus *de adul.* c. VII. p. 52. *A. B.* Ὁ κόλαξ, ἅτε δὴ μίαν ἑστίαν ἤθους οὐκ ἔχων μόνιμον, οὐδὲ ἑαυτῷ βίον ζητῶν αἱρετόν, ἀλλ' ἑτέρῳ, καὶ πρὸς ἕτερον πλάττων καὶ προσαρμόζων ἑαυτόν, οὐχ ἁπλοῦς οὐδὲ εἷς, ἀλλὰ παντοδαπός ἐστι καὶ ποικίλος εἰς ἄλλον ἐξ ἄλλου τύπον . . . ἀεὶ μετασχηματιζόμενος· et c. VIII. pr. p. 52. *F.* seq. Τὰς δὲ τοῦ κόλακος, ὥσπερ πολύποδος, τροπὰς ῥᾷστα φωράσειεν ἄν τις, αὐτὸς ἐπὶ πολλὰ δοκῶν τρέπεσθαι. — Ὄψεται γὰρ αὐτὸν οὐδαμοῦ βέβαιον οὐδ' ἴδιον οὐδ' οἰκείῳ πάθει

Négat quis? nego. Ait? áio; postremo impe-
ravi egomét mihi
Ómnia assentári,

ut ait idem Terentius. Sed ille sub Gnathonis persona, quod [amici] genus adhibere omnino levitatis est. Multi autem 94
Gnathonum similes quom sint, loco, fortuna, fama superiores:

φιλοῦντα καὶ μισοῦντα καὶ χαίροντα καὶ λυπούμενον, ἀλλὰ δίκην κατόπτρου παθῶν ὀθνείων καὶ βίων καὶ κινημάτων εἰκόνας ἀναδεχόμενον. — 53. *B.* Εὐθὺς οὖν λέγειν χρὴ πρὸς τὸν τοιοῦτον, — Οὐ δέομαι φίλου συμμεθισταμένου καὶ συνεπινεύοντος. Ibid. *D.* c. IX. adulatorem comparat *chamaeleonti*, perstringens quippe praeceptum Theognidis. V. περὶ πολυφιλ. c. ult. p. 96. *F.* seq.

nego — aio] Opponuntur haec Verba ad modum Graecorum οὔ φημι et φημί. Cf. *fin.* II. c. 22. pr. *off.* III. 91. *de fato* 16, 37. *Contraria . . ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat.* Eodem modo de verorum amicorum *fraternis animis* locutus est Horatius *epist.* 10. *lib.* I. v. 4. s. *quicquid negat alter, et alter: Annuimus pariter*, ubi nostri loci memor fuit doctus commentator Obbarius p. 12. Pro *nego* etc. Eyb: *ego ait et aio* †. Recte vero h. l. interrogatio indicatur, quae cum responsione seq. est conditionalis sententiae vicaria, ut docuimus in indice literarum philoll. comite Darmstadiensium nuntiorum scholasticorum II. a. 1827. n. 24. lat. 210. compp. locis *pro Mur.* 30, 62. *parad.* V. 2, 1. f. (36.) VI. 1, 3. 6. §. 43. 44. Senecae *de brev. vitae* c. 15. extr. et 17. extr. Ambiguum est autem, utrum eodem modo distinguendum sit in *or. pro Mur.* 20, 42. *scriba damnatus? ordo totus alienus. Sullana gratificatio reprachensa? multi viri fortes et prope pars civitatis offensa 'st. Lites severe aestumatae? Cui placet, obliviscitur; cui dolet, meminit;* an pro interrogatione potius ἀσύνδετος quasi protasis sit ad eamque sic apponatur apodosis, ut fere dicitur: *dictum, factum.*

postremo] = ut uno compraehendam. — L. *β* † *impetravi.* Id. *assentari* × *omnia.* — L. *α idem* × *ait.* Bern. *idem* > *Terentius* < Eyb: *ait:* quod verbum in suspicionem veniebat iam supra 6, 5.

sub] Nostri omnes: *in.* Bern. cum L. *α Gnatonis* et §. 5. *Gnatonum*, ubi L. *α* iterum *Gnatonis.*

amici genus] Hoc tuitus Grz. p. 314. peculiariter ac singulariter ad unum Gnathonem refert eique sine hoc nimis vaga videtur oratio. Sane Graeci sic loquuntur οἷόν τι φίλου χρῆμα vel εἶδος. Ed. vet. s. l. *amicitiae genus* × L. *α genus amicitiae.* Excluso Genitivo, ap. Gernh. [ ], Moserus l. c. p. 979. interpretatur: *quod hominum genus, qualis ille Gnatho esse fingitur.* — L. *β nomen* > *omnino.*

§. 5. Hottingerus vv. sic distincta dedit: *Multi autem Gnathonum similes* (< *sunt* ed. vet. s. l.), *cum sint loco — superiores:* ut Part. *quem*

horum assentatio molesta, quom ad vanitatem accessit auctoritas.

6 **Secerni autem blandus amicus a vero** 95

---

sit concessiva. Sic subaudies: *quod contra expectari poterat*, *Gnathonum similitudinem non facile cadere in quemquam loco* etc. *superiorem.* At vero seqq. *loco* — *superiores* sunt appositionis instar. Sin omni distinctione sublata voc. *similes* cum voc. *multi* in una Subiecti notione coaluerit neque hoc fuerit Praedicatum, sed seq. *loco* — *superiores:* nihilo minus *quom* h. l. retinebit vim causalem. Nam propter id ipsum, quod multi Gnathonissantes excellent *loco* (h. e. gradu dignitatis) etc., horum assentatio periculum creat. Cf. 24, 5. pr. Bern. *fortuna* × *loco.* × L. β *loco fama fortuna.*

horum] < L. β *tum etiam* > volgo: *est* > Ox. ν *assentatio* < D. 106. L. α *est* > *molesta* < *est* ed. vet. s. l. — *Orationis vanitatem adhibere* fallaces venditores dicuntur ap. Cic. III. *off.* c. 14. pr. Servio autem ad Virgil. *A.* II. 80. interprete *vanus est, qui etiam sine utilitate mentitur.* Cf. Gellius XVIII. 4. sub fin.

accessit] L. β *accesseit*. D. 106. *accesserit:* quod ferri certe potest. Ita enim h. l. membrum primarium utrimque pendebit a causali, ut alibi contrario modo sententia secundaria media inter duo membra primaria utrimque pendet: cuius generis exempla quaedam exquisitiora lustravit Reisigius *coniectan. in Aristoph. lib. I. c.* 6. p. 314. ss., ut statim in Cic. versione ex Aeschyleo Prometheo soluto *Tusc. quaestt.* II. c. 10. §. 23.

aspicite religatum asperis
Vinctumque saxis, nauem ut horrisono freto
Noctem pauentes timidi annectunt nauitae,
Saturnius me sic infixit Iupiter:

ubi ante ultimum hunc versum in editionibus volgo plene interpungitur.

§. 6. *verus amicus a blando* L. α. Idem a m. 1. cum L. β < *tam*, cui Bern. a m. 1. substituit *non.* — *Adhibita diligentia* = attenta ad dissimile utriusque ingenium animadversione. Cf. 16, 13. — *quam* < *quod* L. β et cum L. α *fuscata.* Tum Bern. chiasmo quodam *veris* × *atque* (L. α *et*) × *sinceris.* Aeschylus in *Agam.* 792. ss. τῷ δυςπραγοῦντι δ' ἐπιστενάχειν πᾶς τις ἕτοιμος· δῆγμα δὲ λύπης οὐδὲν ἐφ' ἧπαρ προςικνεῖται· καὶ ξυγχαίρουσιν ὁμοιοπρεπεῖς ἀγέλαστα πρόςωπα βιαζόμενοι. Ὅςτις δ' ἀγαθὸς προβατογνώμων, οὐκ ἔστι λαθεῖν ὄμματα φωτός, τὰ δοκοῦντ' εὔφρονος ἐκ διανοίας ὑδαρεῖ σαίνειν φιλότητι. Isocrates *ad Nicocl.* VIII. 6. (p. 35.) Διόρα καὶ τοὺς τέχνῃ κολακεύοντας καὶ τοὺς μετ' εὐνοίας θεραπεύοντας. Q. Cicero *de petit. consulatus* c. 10. *Non est huius temporis perpetua illa de hoc genere disputatio, quibus rebus benevolus et simulator diiudicari possit: tantum 'st huius temporis ammonere:* quibus ex verbis frequenter hoc argumentum a doctis uberius subtiliusque tractatum esse

et internosci tam potest adhibita diligentia, quam omnia fucata et simulata a sinceris
7 atque veris. Contio, quae ex imperitissumis constat, tamen iudicare solet, quid intersit inter popularem, id est assentatorem et levem civem, et inter constantem, severum
8 et gravem. Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in auris contionis, quom ferret legem de tribunis plebis reficiundis! Dissuasimus nos. Sed nihil de me; de Scipione 96
dicam libentius. Quanta illi (di immortales!) [fuit] gra-

---

magnumque huic quaestioni locum fuisse in philosophorum *de amicitia* disputationibus colligit Dan. Wyttenbachius p. 415. s. *animadvv.* in inscriptionem Plutarchei libri: *πῶς ἂν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου*· et vero etiam singulares de hac ipsa re disputationes memorat, ut Theophrasti librum *περὶ κολακείας* citatum Diogeni Laërtio V. 47. atque in Stobaei *florilegio sermonem* XIV. et Maximi Tyrii dissertationem XX. (al. IV.) *Τίσι χωριστέον τὸν κόλακα τοῦ φίλου.* Denique attigit hunc locum Seneca *epist.* CXXIII. LIX. XLV. *Adulatio quam similis est amicitiae! Non imitatur tantum illam, sed vincit et praeterit. — Doce, quemadmodum hanc similitudinem dignoscere possim.* Id. *quaestt. nat. praefat. lib.* IV. *de benef.* VI. 30.

§. 7. *Contio*] Sic hoc voc. scriptum in aere *legis Serviliae* c. VI. sub f. p. 25. versu paenult. et c. XII. p. 57. vers. antep. ed. Klenz. itemque in cod. Vaticano libri I. *de re p.* c. 4., ubi Creuzerus quidem et Moserus p. 21. *a.* a *conciendo* dictam putant. Nobis vero videtur = *conventio* v. *comitio.*

quae] L. *α quam.* — L. *β*, Erf. *in* × (> † Bern.) *experitissimis.* — Pro *quid* L. *α quod.* Pro *id est* Bern. *et.* Post ed. vet. s. l. < *inter.* Eadem vero *et* (D. 106. *id est*) > *severum.*

§. 8. D. 106. L. *α* † *consul* > *nuper.* Post *dissuasimus nos* Grz. dissuadet plenam interpunctionem; ipse rogat duo puncta, ut veriorem distinctionem, quam incisa. Nos obrogamus ita, velint iubeant Quirites de tribu grammatica quemque editorem arbitratu suo distinguere antiquata priorum editionum interpunctione: in qua tamen lege perferunda vim fieri, cistas deiici vetamus.

illi] Sic Bern. D. 106. Erf. pro *illa:* quod Pron. adiective cum Substantivo iunctum ab eodem V. D. explicatur *illi tum*, quum in una illa legis contentione gravitas Scipionis cum populari Carbonis levitate compararetur. Sed Pronomen personale h. l. necessarium videtur, tum quia praecessit *de Scipione*, tum ut sequens Praedicatum *ducem* habeat, quo referatur.

di] Ed. vet. s. l. *o* > *dii.* Ead. *gravitas* × *fuit*, ut verbum haud iniuria in suspicionem venerit Runkelio. Accedit, quod post iteratum voc. *quanta* (cui Bern. *quae* substituit) Ox. E iterat *fuit.*

vitas! quanta in oratione maiestas! ut facile ducem populi Romani, non comitem diceres. Sed affuistis; [et est] in manibus oratio. Itaque lex popularis suffragis populi
9 repudiata 'st. Atque, ut ad me redeam: meministis, Q. Maxumo, fratre Scipionis, et L. Mancino consulibus quam popularis lex de sacerdotis C. Licini Crassi videbatur.

---

facile ducem] Ed. vet. s. l. *ducem* ⨯ *facile*. Hoc voc. e §. 10. extr. assumptum videatur. Verumtamen eandem h. l. habet potestatem atque 8, 5. f. *ad famil.* VI. *ep.* 6. §. 18. *facile omnium nobilissumum*, h. e. haud dubie.

non comitem] Haec vv. in Pithoeano cod. omissa e c. 11. §. 6. repetita videbantur Graevio. Proscribenti ea Gernhardo annuit censor Hal. p. 741. comparans Pompeii elogium illud in *or. pro leg. Man.* 16, 48. aliumque similiorem locum Livii III. 20., ubi dicitur *comes animosior*, *quam auctor*. Sed et hunc iste locum inauspicato in stragem suam occupavit et probabiliter verba ista tuetur Grz., quod Scipio tum civis privatus fuerit, unus de populo, non consul neque in aliquo imperio, et quod Cicero *comitem*, = *socium sortis alicuius atque conditionis*, opponere soleat *duci*, compp. *ad famil.* VI. *ep.* 6, 24. X. *ep.* 3, 4. pr. *Phil.* VII. 8, 22. *quod erat optabile, ut P. R. comitem haberemus, nunc habemus ducem.*

diceres] φαίης = *existumares*. Optativus potentialiter ponitur in rei praeteritae repraesentatione. Hieronym. *epist. ad Rustic. monach.*, „*Per intervalla quaedam vix pauca verba carpebat: ut eum putares singultire, non proloqui.* Alibi *ut* reticetur, e. g. in Ovid. *met.* I. 162. *scires* (cf. *heroid.* XVI. 78. *ut scires*); interdum sic, ut tota sententia pendere videatur ab aliquo huiusmodi membro: *fieri poterat ut*, e. g. in Horat. *lib. I. serm.* 8. fin. *cum magno risuque iocoque videres:* et in Burmanni *anthologia lat.* lib. III. *idyll.* 292. v. 17. *Ambigeres* = ambiguum erat.

et] > ed. vet. s. l. *in manibus oratio* ⨯ *est* > Ven. 477.

§. 9. L. *α meruistis*. — *Q.* > Erf. *Maximo*, pro quo L. *α Martino*, ut ne 24, 4. *Andreas* solitarius sit. *L.* > ed. vet. s. l. *Mantino*. L. *β L. Mannilio*. — *C.* > L. *α*, ed. vet. s. l. cum Erf., qui per apocopen *licini*.

videbatur] L. *β* a m. 1. *tradebatur*. De periphrastica hac Indicativi ratione post phrases alias obliquam orationem ducentes, ut totum membrum ex illis aptum modo Nominativi post Verbum passivum vel intransitivum, modo post transitivum Verbum sit obiecti ideoque h. l. Genitivi, alibi Accusativi instar, v. Gernh. ad *Cat. Mai.* IV. 12. pr. cl. Virgil. *ecl.* V. 6. s. De Indicativo in interrogationibus quidem aliunde aptis addubitat Zumptius in Iahnii *annal. philol.* vol. IV. (1827. II.) fasc. 3. annexorum indicum literar. p. 4. reiiciens quum eos locos, quos a librariis corruptos Garatonius ad *or. pro Milone* c. 18. pr. adduxerat, tum locum a Ramshor-

Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur; 10 atque is primus instituit in forum versus agere cum populo. p. 114. a. Tamen illius vendibilem orationem religio deorum im-

---

n i o in grammatica Lat. §. 174. 2. not. 2. e Cic. II. *fin.* c. 5. pr. allatum contra librorum fidem. Nimirum Ramshornius Goerenzii annotationem de varietate lectionis probabili ad seqq. pertinentem parum attentus traxerat ad proxume praecedentia verba, confusionis erroris que auctore ipso editore in annot. ad IV. 24, 67. p. 505. *a.*, qui etiam V. 9, 24. contra Lambini, Davisii, Ernesti correctionem tuetur Indicativum in vv. *incipit . . . intellegere*, *quam ob causam h a b e t eum*, *quem diximus*, *animi appetitum*. Zumptius de omnibus istis locis controversis facile nobis persuaserit. Sic etiam *pro Ligar.* X. 2. Indicativum Heumannus temere e ɔi. obtrusit. Videntur tamen alia quaedam exempla superesse, ut ex *or. in toga candida* ap. Orell. vol. II. P. I. p. 523. fragm. paenult. *Me qua ratione inductus est ut contemneret*, *constituere non possum:* quod utrumque membrum ne interrogationis signo dispescas: Indicativus maiorem excusationem habet in membro ante verbum, unde pendet, posito. Certiora sunt poëtarum exempla, quorum tamen sermo prope Graecanico more alacrior a sobrio prosariorum usu longius distat, ut ap. Ovid. *metam.* X. 637. Nec vero huc pertinet ib. vers. 393. Cff. V e c h n e r i *hellenol. lib.* I. *P.* 2. c. 26. ibique Heusingerus; W o p k e n s. *lectt. Tull.* II. 5. p. 145. O c h s n e r. in Cic. *ecll.* p. 23. F r o t s c h e r. ad Quinctil. X. 1, 1. extr. p. 8.

Cooptatio] Erf. ed. vet. s. l. † *coaptatio.* De *cooptatione collegiorum* v. Dukerus ad Liv. XXXIX. 45, 8. t. V. p. 401. H e i n e c c i i *antiqq. Rom. iuris prudentiam illustrantium syntagma*, libri I. append. §. 66. p. 287. s. ed. Hauboldi.

§. 10. *primus* Erf. L. *α* pro volg. *primum.* — D. 106. *constituit.* L. *β instruitur.* — L. *α cum populo* >< *agere.* Sic autem homo popularis in contumeliam senatus contionabatur, non solum quum de sacerdotiis, sed etiam quum agrariam legem ferret, teste Varrone *R. R.* I. 2, 9. f. *C. Licinius tribunus plebis quom esset post reges exactos anno* CCCLXV. (= A. V. C. DCVIII.): *p r i m u s populum ad leges accipiundas in septem iugera a d f o r u m v e r s u s e Comitio eduxit:* ut volgatam lectionem, *iugera f o r e n s i a*, quae orta videtur e scribendi compendiis vocum cohaerentium, correximus olim ad II. *off.* 22, 78. pr. comp. Columella I. 3, 10. *de Licinianis illis s e p t e n i s i u g e r i b u s*, *quae plebis tribunus viritim diviserat.* Rustica est enim Graevii interpretatio *septem iugera forensia* rustice vocari forum Romanum, cuius ea tunc amplitudo vel mensura sine comitio fuisse videatur. Nimirum centum annis velut gummi elasticum aliam inter colles amplitudinem, aliam mensuram nescio quo pacto acceperat. Aliter tamen interpretatus est N i e b u h r i u s, V. Perill., in *histor. Rom.* t. I.

11 mortalium nobis defendentibus facile vincebat. Atque id

---

ed. alt. p. 440. annot. 927. extr., cuius inter paucos praestantissumi interpretis iudicium forense ammirabundi suspicimus riteque veremur.

nobis defendentibus] Hic ammonemur eorum, quae Cotta dicit ap. Cic. *N. D.* III. 17, 43. *docebo meliora me didicisse de colendis dis immortalibus iure pontificio et more maiorum capedunculis, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Laelius, quam rationibus Stoicorum:* ubi Moserus: „Difficile est dictu, quid e capedunculis discere potuerit Cotta. — Scribendum vero videtur *ac vel caped.* vel *caped. etiam iis* vel *imo caped. iis.*“ Fortasse legendum *capedunculis his;* gradatione autem quid opus? Ceterum mirabar equidem istam de difficultate intellegendi confessionem ab homine docto eoque emendatam religionis formulam amplexo. Eo magis laetor Moserum postea verum perspexisse in commentar. ad Cic. l. VI. *de re p.* c. 2. in fragm. ultimo servato a Nonio voc. *Samium* p. 398. *Oratio extat Laeli, quam omnes habemus in manibus, quam simpuvia* (al. *sympinia*) *pontificum dis immortalibus grata sint Samiaeque, ut is scribit, capedines:* ad quod fragm. ipse Moserus p. 460. interpretem adhibuit Plin. *H. N.* XXXV. 12. (sect. XLVI.) p. 711. Hard. (t. IX. ed. Franz. p. 548.) *in sacris etiam inter has opes non murrhinis crystallinisque, sed fictilibus prolibatur simpuviis* (an *sympiniis?* v. Cramer. ad schol. Iuvenal. *in sat.* VI. 343.). Praeter eos, quos ibi citat Harduinus, Moserus cum Schützio in ed. fragg. Cic. p. 287. (immo p. 283. P. II. Vol. XVI.) comparat Cic. *parad.* I. 3., quem locum Creuzer. ad l. l. *de N. D.* p. 560. col. 1. attulerat e *parad.* I. 1., sed legitur c. 2, 4. §. 11. De vilitate vasorum Samiorum compara confessionem hominis pauperculi in Plauti *Sticho* V. 4, 12.: *nos nostro Samiolo poterio tamen vivimus*, cum illa in *rhetor. ad Herenn.* IV. 51, 64. f. *nos Samiis delectabimur;* et Cic. *pro Mur.* 36, 75. *Capedunculae* dicebantur etiam *capulae*, de quibus Varro *L. L.* IV. p. 35. ed. Bip. *Harum figuras in vaseis sacreis ligneas et fictiles antiquas etiam nunc videmus.* Vid. ibi t. II. p. 87. s. Scaligeri annot. cll. Hadriani Iunii *animadversor. l. II.* c. 10. p. 369. ss. ap. Gruter. in *thesauri crit.* t. IV. et ibid. Schegki *obss. et emendatt. praemessis.* Ergo vasa ista fictilia sacris adhibita declarabant sinceram Numae religionem, rite laudatam Tertulliano *apol.* c. 25., veramque prisci aevi pietatem, quae numen divinum superstitione non infamasset, sed digna de eius maiestate sensisset, ut in Ennii fragm. ap. Nonium c. II. 669., quod ambigas utrum e *capedun-cula* depromptum, an sic restituendum sit: — — — *capedúncula*
huic est animus própitiabilis, ira et exorábilis: nempe, *quum sit litabilis hostia bonus animus et pura mens et sincera conscientia*, ut ait Minucius Felix in *Octav.* p. 314. s. ed. Ouzel., ubi ab hoc, Elmenhorstio et Wowero laudantur Christianorum scriptorum sententiae; quibuscum conspirat lex religionis ap. Cic. II. *leg.* c. 8. pr., quae *quod pietatem adhiberi,*

actum praetore me, quinquennio ante, quam consul sum factus. Ita re magis, quam auctoritate, causa illa defen-
26 sa 'st. Quod si in scaena, id est in contione, in qua rebus 97
fictis et adumbratis loci plurumum 'st, tamen verum valet, si modo id patefactum et illustratum 'st: quid in amicitia fie-
2 ri oportet, quae tota veritate perpenditur? In qua nisi, ut

---

opes amoveri iubet, significat pietatem gratam esse deo, sumptum esse removendum: ut ipse explicat ib. 10, 24. Accedit Seneca *ep.* 110. ab in. *deos omnes habet placatos et fauentes, quisquis sibi se propitiavit,* et in fine: *nihil desideres oportet, si vis Iovem provocare, nihil desiderantem;* I. *de benef.* c. 6. f. *boni etiam farre ac fritilla religiosi sunt; epist.* XXXI. f. *Cogita illos* (np. deos), *quum propitii essent, fictiles fuisse.* Similiter, sed paulo aliter Fuscus Arellius pater ap. M. Senecam rhet. *controv.* IX. vel *lib.* II. *controv.* I. *fictilibus* (np. vasis) *fuerunt dii faciles.*

§. 11. L. *α f>actum* ed. vet. s. l. < *est* volgo. — L. *α me* × *praetore.* Erf. L. *β* a m. 1. *per me* < *r. p.* D. 106. Nempe L. *β* a m. 2. habet super versu: *praetore per me p. q; r.*, h. e. *populumque romanum.* Ed. vet. s. l. *per me P. R.*

sum factus] Ed. vet. s. l. *sim f.* bRl. *ε*, D. 106. *essem f.* × *factus* (L. *α* <) *sum* Bern. bRl. *γ*. Cf. 3, 7.

Ita] Bern. bRl. *γ*, *ε*, D. 106. Erf. < volgo: *que*, quam Part. ut in consecutione rite positam contra Gernh. tuetur arbiter in Gotting. indic. litt. (*Gelehrte Anzeigen*) a. 1826. n. 206. 207. p. 2050. Sed v. 26, 4. pr. Tum Bern. D. 106. Erf. L. *β*, bRl. *γ*, *ε*, ed. vet. s. l. *summa* > *auctoritate* < *summa* var. lect. ap. Hervag. cum L. *α*, qui × *defensa est illa causa.*

C. 26. L. *β Quid si in stannia* †. L. *α Que si in stanna* †. Erf. *is scamna* †. Bern. *in scanna id est in conscione* †. Moserus l. c. p. 980. optabat: *in ista scaena.* Sic, ut h. l., explicationem saepe a Cic. addi observat Grz. ad I. *Acad.* 2, 8. pr. et Gernh. ad *Cat. Mai.* 16, 56. p. 106. *Scaena contionis* habetur II. *de or.* c. 83. pr. et ib. III. 45, 177. artificia oratoria *ad scaenam pompamque sumi* dicuntur. Comparationi subesse tragoediarum artisque oratoriae ap. Romanos similitudinem quandam docuisse a censore Hal. laudatur Langius in *vindic. tragoed. Rom.* p. 20. 35. Itaque deinceps *res fictas et adumbratas* equidem non solum actionum forensium intellexerim, sed ipsorum etiam theatrorum, quarum exempla resp. 7, 9. 25, 4. Cf. Quinctil. *instt.* XI. 3, 5., quem tamen locum a comparatione remotum voluerat ipse censor Halensis. De orthographia voc. *scaena* v. Osannus ad *Apuleium de diphthongis* p. 123. s.

adumbratis] Bern. *obumbralis.* — L. *α atque* pro volg. *et.* Cf. I. *or.* 39, 177. f. — D. 106. cum Oxx. *η*, *κ illustratum* (Goth. 48. <) *sit.* — Pro *oportet* D. 106. *poterit.*

dicitur, *apertum pectus* videas tuumque ostendas: nihil fidum, nihil exploratum habeas, ne amare quidem aut amari;
3 quom id quam vere fiat, ignores. Quamquam i s t a a s s e n t a t i o, q u a m v i s p e r n i c i o s a s i t, n o c e r e t a m e n n e m i n i p o t e s t, n i s i e i, q u i e a m r e c i p i t
4 a t q u e e a d e l e c t a t u r. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat auris suas maxume, qui ipse sibi assentetur et se

---

§. 2. *apertum pectus*] Scolion ap. Athenaeum p. 694.:

Εἴθ' ἐξῆν, ὁποῖός τις ἦν ἑκάστοτε,
τὸ στῆθος διελόντ' ἔπειτα, τὸν νοῦν
ἐσιδόντα, κλείσαντα πάλιν
ἄνδρα φίλον νομίζειν ἀδόλῳ φρενί.

Momus, ut perhibetur in Luciani *Hermotimo* c. 20., *ἐπὶ τοῦ ἀνθρώπου τοῦτο ἐμέμψατο καὶ τὸν ἀρχιτέκτονα ἐπέπληξε τὸν Ἥφαιστον, διότι μὴ καὶ θυρίδας ἐποίησεν αὐτῷ κατὰ τὸ στέρνον, ὡς ἀναπετασθεισῶν γνώριμα γίγνεσθαι ἅπασιν, ἃ βούλεται καὶ ἐπινοεῖ, καὶ ἢ ψεύδεται ἢ ἀληθεύει.*

ne] Bern. *n e c amare quidem* < *possis* D. 106. In L. *β quidem* deletum est, sed in marg. *possis quidem* suppletur. *aut amari* < *scias* id. *β*. In Bern. superscriptum *scis*. L. *α n e c amari s c i s*.

§. 3. *Quamquam*] Bern. *tum* > † L. *α*. Deinde Bern. < *tamen*, quae Part. superscripta tantum legitur. — Erf. *eam* × *qui*. — L. *β in* > *ea*, ut 23, 3. Eyb: *in illa* > L. *α*, bRl. *γ*, *ε*.

§. 4. *ut h i s assentatoribus* † Bern. L. *β*, ed. vet. s. l. Cf. *off.* I. §. 91. c. 26, 7. L. *α quia* pro *qui*. — *ipse* > *sibi* Erf. Post haec L. *β ipse* × (> ed. vet. s. l.) *maxime*. — Bern. *delectat*, quod ferri possit, si correxeris ante *assentatur*. Cf. §. 3. f. Aristot. *rhet.* I. 11. *Ἐπεὶ φίλαυτοι πάντες· καὶ τὰ αὑτῶν ἀνάγκη ἡδέα εἶναι πᾶσιν, οἷον ἔργα, λόγους· διὸ φιλοκόλακες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ φιλερασταὶ καὶ φιλότιμοι καὶ φιλότεκνοι.* Plutarchus *de amico et adul.* c. I. p. 48. sq. *διὰ τὴν φιλαυτίαν αὐτὸς αὑτοῦ κόλαξ ἕκαστος ὢν πρῶτος καὶ μέγιστος οὐ χαλεπῶς προσίεται τὸν ἔξωθεν, ὃν οἴεται καὶ βούλεται μάρτυν ἅμα αὑτῷ καὶ βεβαιωτὴν προσγινόμενον.* c. XXV. pr. p. 65. E. *παρακελευόμεθα τὸ φίλαυτον ἐκκόπτειν ἑαυτῶν καὶ τὴν οἴησιν· αὕτη γὰρ ἡμᾶς προκολακεύουσα, μαλακωτέρους ποιεῖ τοῖς θυραίοις κόλαξιν, ὡς ἑτοίμους ὄντας.* Seneca *de tranq. animi* c. 1. ad f. *Non est, quod nos magis aliena iudices adulatione perire, quam nostra. Quis sibi verum dicere ausus est? quis non inter laudantium blandientiumque positus greges plurimum tamen sibi ipse assentatus est?* Id. *epist.* 45. p. 112. *Adulatio . . . a p e r t i s et propitiis a u r i b u s recipitur et in praecordia ima descendit, eo ipso gratiosa, quo laedit.*

5 maxume ipse delectet. Omnino 'st amans sui Virtus: optu- 98
me enim se ipsa novit, quamque amabilis sit, intellegit.
6 Ego autem non de virtute nunc loquor, sed de virtutis opi-
nione. Virtute enim ipsa non tam multi praediti esse, quam
videri volunt. Hos delectat assentatio; his fictus ad ipsorum
voluntatem sermo quom adhibetur, orationem illam va-
7 nam testimonium laudum suarum putant. Nulla 'st igitur
haec amicitia, quom alter verum audire non volt, alter ad
8 mentiundum paratus est. Nec parasitorum in comoediis as-
b. sentatio faceta videretur, nisi essent milites gloriosi.

---

§. 5. *Omnino* < *enim* ed. vet. s. l. *autem* L. *β*. — *se ipsam* † D. 106. L. *α*, bRl. *s*. — *quamquam* † Erf. In L. *β que* deleta est.

§. 6. *de virtute nunc* × *non* ed. vet. s. l. *Opinio* iungitur cum Genitivo obiecti. Plutarchus l. l. c. I. *Ὁ γὰρ λοιδορούμενος φιλόκολαξ σφόδρα φίλαυτός ἐστι καὶ δι' εὔνοιαν ἑαυτῷ πάντα μὲν ὑπάρχειν βουλόμενος, πάντα δὲ οἰόμενος· ὧν ἡ μὲν βούλησις οὐκ ἄτοπος, ἡ δὲ οἴησις ἐπισφαλὴς καὶ δεομένη πολλῆς εὐλαβείας.*

enim] Bern. *autem*. — *videri volunt*. Aeschylus *Agam*. 790. s. ed. Glasg.

πολλοὶ δὲ βροτῶν τὸ δοκεῖν εἶναι
προτίουσι, δίκην παραβάντες.

Ex talis simulatoris persona Euripides *Ixione:*

τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο,
τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος, ἔνθα κερδανεῖς,

ap. Plutarch. *de aud. poët*. c. III. p. 18. *E*. ap. Stobaeum *serm*. II. p. 30. 8. atque inde in fragmm. ed. Musgr. t. III. p. 569. V. etiam Valckenaërii *diatrib*. p. 166. Plato autem lib. II. *de politia* c. 4. p. 361. *A*., laudatus Plutarcho *de adul*. c. IV. p. 50. *E*. et alibi, dixit *ἐσχάτην ἀδικίαν δοκεῖν δίκαιον εἶναι, μὴ ὄντα*. Cf. Cic. *off*. I. 19, 64.

his — ipsorum] Eyb: *Is — eorum*. — L. *β vanum* †. L. *α esse* > *testimonium* Ox. U, *o* < *esse* volgo. In simili loco I. *off*. 26, 91. *Talis enim nos putamus esse, ut iure laudemur*, item alii *esse* × *putamus*. V. h. dial. 2, 5. f. In eandem sententiam Demosthenes *or. Olynth*. III. p. 37. E. *Μέγα τοῖς τοιούτοις ὑπάρχει λόγοις ἡ παρ' ἑκάστου βούλησις· διόπερ ῥᾷστον ἁπάντων ἐστὶν αὑτὸν ἐξαπατῆσαι· ὃ γὰρ βούλεται, τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἴεται.*

§. 7. *Nulla amicitia est* excpt. L.

§. 8. Volgo: *nobis* > *faceta* D. 106. bRl. *s*, ed. vet. s. l. < *nobis* bRl. *y*, Erf. L. *α*, itemque *β*, in quo *videtur*. Bern. *nobis facta*. In *or. pro Milone* c. 3. pr. vv. *videntur ea mihi esse refutanda* Dativum, quem quo referas ambiguum est, cum plerisque libris nunc abiecit Orellius in ed. omnium opp. H. l. Eyb: *nobis assentatio in comoediis faceta commendaretur*.

Nec] D. 106. *nec*. — L. *α esse*. — Id. < *vero*. — Erf. *agebat*.

Magnas vero agere gratias Thais mihi?

Satis erat respondere: *magnas.* „*Ingentis*," inquit. Semper auget assentator id, quod is, cuius ad voluntatem dici-
9 tur, volt esse magnum. Quam ob rem, quamvis blanda 99
ista vanitas apud eos valeat, qui ipsi illam allectant et invitant: tamen etiam graviores constantioresque ammonendi sunt, ut animum advertant, ne callida assentatione capiantur. Aperte enim adulantem nemo non videt, nisi [qui]

Bern. *gratias* ⨯ *agere.* — L. *β mihi* ⨯ (> L. *α*) *Thais.* — *ingentes* < *que* L. *α.*

Semper] < *enim* Eyb et cum Bern. L. *α* et excpt. L. *ad* ⨯ *cuius.* A Plutarcho *de adul.* c. 6. ad f. p. 51. *F.* ὁ κόλαξ notatur ἐπαινέτης τῶν ἀρεσκόντων οὐ μέτριος, ἀλλ' ὥςτε ὑπερβάλλειν σὺν ἐκπλήξει καὶ θαύματι φαινόμενος. Horat. *A. P.* 433.

§. 9. *quamvis*] > Ed. vet. s. l. < Erf. L. *β quamquam*, ut Bern. et Eyb, qui uterque *ista* ⨯ *blanda.* Pro *valeat*, quod habet Eyb quoque, certe in ed. a. 493., quam nos tractamus, *valet* et nostri omnes et Goerenzii libri, qui V. D. Particulae *quamvis* ad positivum Gradum = *quamquam vel maxume* valentis et cum Subiunctivo constructae exemplum affert e *Phil.* XI. 9, 22. *quamvis intentus animus tuus sit —: tamen rerum natura cogit.* Quod ni acceperis probaverisque: post voc. *blanda* virgula interponenda erit et coli loco plene interpungendum ante *tamen*, quae Part. tunc valebit = *attamen*, vel *sed tamen* = *enim vero*, ut sententiarum nexus idem sit ac supra h. cap. §. 3. Sed hic non tam restringit priorem sententiam subiecta altera, quam adversativae inter se comparantur sententiae, ut indicant seqq. *Blanda vanitas* est = *aperta adulatio.*

ipsi] Bern. *ipsam.* — L. *α tamen et graviores et constantiores.* Commutata Praepositionis litera ultima *ammonendi* scriptum servat Erf. pro volg. *adm.* — Bern. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. Eyb: *animadvertant.*

qui] Ox. *quem* > D. 106. *admodum* < ⨯ *qui* ed. vet. s. l. *Nisi* .. *est* valet = *modo ne* . . *sit.* L. *β maxime* pro *admodum*, ut hoc quoque suspectum fiat comp. *Phil.* V. 2, 5. f. *Hoc qui non videt, excors*, ubi volgo adiectum *est* rectius alii omittunt. Non tamen propter variam istam lectionem, quae volgatam aperte interpretatur, hanc solicitarim, etsi solent eiusmodi vocabula, quae vim aliorum augeant, a librariis ῥητορικωτέροις addi, ut 1, 5. f. *fere omnibus*; 2, 6. *semper*; 3, 2. *certe*; 4, 2. *profecto*, quae Part. *pro Mil.* 8, 21. pr. in aliis libris alio loco inculcata rectius a plerisque omittitur. Perimit enim vim ἐπαναφορᾶς *non.* Si tamen genuina sit, sequar ordinem indicatum in marg. ed. Lamb. 1584. *Non fuit ea causa profecto, iudices; non fuit*, comp. *pro Rosc. Am.* 41, 121. pr.

admodum 'st excors; callidus ille et occultus ne se insinuet,
10 studiose cauendum 'st: nec enim facillume cognoscitur, quippe qui etiam adversando saepe assentetur et litigare se simulans blandiatur atque ad extremum det manus vincique se
11 patiatur, ut is, qui illusus sit, plus vidisse videatur. Quid au-

---

occultus] < *adulator* Eyb. Cod. Bernensis hic mutilus. Plutarch. *de adul.* c. IV. pr. p. 50. *E.* τίνα οὖν δεῖ φυλάττεσθαι; τὸν μὴ δοκοῦντα μηδ' ὁμολογοῦντα κολακεύειν. Ib. *F.* Κολακείαν ἡγητέον χαλεπὴν τὴν λανθάνουσαν, οὐ τὴν ὁμολογοῦσαν. Ib. c. XIV. p. 58. *A.* τὸ δὲ γένος τοῦτο τῶν ἀρνουμένων ἐπαίνων πανουργοτέρας δεόμενον εὐλαβείας ἐλεγκτέον. Seq. §. usque ad verba *cauendum est* §. 11. in L. *α* omissa post Caecilii versus, qui subter notati sunt, inseruntur.

§. 10. Eyb: *faciliter*, L. *α facile* et cum ceteris nostris *agnoscitur.* Comp. var. lect. c. 1. extr. — L. *α* < *et* (D. 106. <)- *iam.* — Eyb † *assentando saepe adversetur.* — bRl. *γ*, D. 106. *litigasse simulans* × bRl. *ε simul se litigasse* †. Plutarch. l. l., c. IV. p. 51. *C.* Ὁ δὲ πάντων ἐστὶν αὐτοῦ (πρ. τοῦ κόλακος) πανουργότατον, αἰσθανόμενος τὴν παῤῥησίαν καὶ λεγομένην καὶ δοκοῦσαν ἰδίαν εἶναι φωνὴν ὥςπερ τινος ζώου τῆς φιλίας, τὸ δὲ ἀπαῤῥησίαστον ἄφιλον καὶ ἀγεννὲς, οὐδὲ ταύτην ἀμίμητον ἀπολέλοιπεν. Ib. c. XIX. p. 61. *C.* τὴν παῤῥησίαν ἐπιστάμενοι μέγα βοήθημα πρὸς τὴν κολακείαν οὖσαν οἱ πονηροὶ, δι' αὐτῆς κολακεύουσι τῆς παῤῥησίας.

ad extremum] > D. 106. — *dat manus* < *suas* L. *β.* Cf. II. *ad Att.* 22. sect. 1. *aiebat illum primo sane diu multa contra: ad extremum autem manus dedisse.*

se patiatur] × L. *α pat. se.* Pron. in bRl. *ε* ab alia manu superscriptum > bRl. *γ*, D. 106. Erf. De hac omissione Gernh. sic indicat: „quasi *manus* intelligendum sit." Quid mirum? Facile corrigi posset *vincirique patiatur.* Posset item *det manus vincique patiatur* accipi pro *det manus victas* vel *evictas*, quod sollenniter dicitur pro = supplex se summittat victori, v. c. ap. Ovid. *heroid.* IV. 14. *tristt.* I. 3, 88. *fastt.* III. 688. pariter ut *victum manus dare* ap. Corn. Nep. XXII. *Hamilc.* 1, 4. f. Cf. Plaut. *Pers.* V. 2, 72. Virg. *Aen.* XI. 568. Horat. *epod.* XVII, 1. Cic. *ad Att.* XVI. 3. pr. Iul. Caes. *b. G.* V. 31. §. 3. *tandem dat Cotta* [*permotus*] *manus; superat sententia Sabini.* V. ibi Davis. Sic *dedere manus* Lucretius II. 1042. Retinui tamen *se*, quippe quod in eadem hac locutione adhibitum esset I. *off.* 19, 64.

illusus sit] L. *α illusus est* —. L. *β videatur vidisse* × L. *α*, D. 106. ed. vet. s. l. Eyb: *vicisse videatur.* Plutarchus l. l. c. XV. p. 58. *C. D.* notat adulatores similiter iubetque animadvertere ad indicium, ᾧ καὶ μάλιστα δεῖ τὰς τοιαύτας — ἀναχωρήσεις αὐτῶν ἐξελέγχειν, οὐκ ἐμπειρίαις οὐδ' ἀρεταῖς οὐδ' ἡλικίαις ὑφιεμένων, ἀλλὰ πλούτοις καὶ δόξαις.

tem turpius, quam illudi? Quod ne accidat, cauendum 'st, ut in *Epiclero:*

Hodié me ante omnis cómicos stultós senes
Vorsáris atque emúnxeris lautissume.

---

§. 11. *turpius*] < *est* D. 106. Seneca *de tranq. an.* c. XV. med. *Quid enim est turpius, quam si maximi viri timidos fortiter moriendo faciunt?* Sed ap. Cic. *N. D.* I. 1, 1. *Quid est enim temeritate turpius?* cod. Guelph. < *est.* Recte. Cf. *Phil.* I. 9, 21. f. II. 34, 86. med. *Quid hoc turpius?* II. *fin.* 15, 50. *Quid turpius, quam —?* cum annot. supra ad 21, 5. Cum ipso praecepto coniungas lepidam fabulam Aesopeam de corvo a volpecula illuso. V. Gabriae s. Ignatii *tetrastichon* XIX.

Quod] Erf. L. *α*, *β* cum D. 106. et tribus aliis libris Goerenzii *ut* > *ne.* Grz. *ut* asciscendam existumat, quippe post *quod* saepe obliteratam, et gradationem quandam fieri observat in usu Particularum *ne*, *ut ne* et aliqua voce interposita in *ut . . . ne:* de qua tamen observatione, ut in re admodum ambigua, ampliandum duximus. De his Particulis post affirmativa verba, ut post *animadvertere*, *dare operam*, *curare* etc., sic usurpandis facile equidem concessero; non item post negativa. Praecise enim dici videtur *ut ne* pro *ut caueatur ne.* Nam 21, 9. f. ad vv. *una cautio atque provisio* appositionem faciunt seqq. (*nempe*) *ut* (*caueatur*) *ne* etc. Quod si recte ita statuitur: istae Particulae huic loco non conveniunt.

cauendum] Sic Ciz. A. cum tribus codd. Facciolati. Nostri omnes praeponunt *magis*, qui Comparativus non relative, sed absolute positus, = *valde*, repeteret vim verborum superiorum *studiose cauendum* = *maior quaedam* (= *omnis*) *adhibenda diligentia.* Sic *off.* II. 20, 69. *animadvertendum est diligentius.*

ut] bRl. *ε* cum Ciz. b *quam* et cum ceteris nostris < *in Epiclero.* — L. *α si* > *hodie* < *me* × L. *β*, bRl. *ε*, ed. vet. s. l. *si* > bRl. *γ*, D. 106. Erf. *me hodie.* Aliquot Palatt. innuunt scriptum fuisse fere: *Sic* > *me hodie.* Non male, si Part. *sic* cum Futuro exacto Indicativi referatur ad consilium in praecedente astuti servi sermone malitiose datum subaudiaturque tale quid: *si tibi fidem habuero*, vel, *ita si fecero.* Sed fortasse legendum: *Ne hodie me* sequente Futuro exacto Optativi, quia praecedit *cauendum 'st.* Nam si fuerit Perfectum tempus: accipiundum erit tamquam suspensum a Particula causali, quae referatur ad iram senis a servo se delusum stomachantis.

omnis comicos] L. *β meos amicos.* L. *α*, D. 106. ed. vet. s. l. *omnes cosmicos* †. Ed. vet. s. l. *senex.* Cf. *Cat. Mai.* 11, 7. I. F. Gronov. *observator. in scriptt. eccles.* etc. c. 2. p. 24. s. Sic *comicus adulescens* in *or. pro Rosc. A.* 16, 47. et *comica moecha* dicitur ap. Propertium IV. 5, 44.

vorsaris] L. *β*, D. 106. ed. vet. s. l. *verseris.* Cf. Plaut. *Pers.* V. 2, 17. s. *Quomodo hodie me vorsavisti! ut me in tricas coniecisti!*

emunxeris] L. *α e*>*luseris* volgo, ut Ovid. *A. A.* III. 332. Mem-

Haec enim etiam in fabulis stultissuma persona 'st improvi- 100
12 dorum et credulorum senum. Sed nescio quo pacto ab amicitis perfectorum hominum, id est sapientium (de hac dico sapientia, quae videtur in hominem cadere [posse]),

---

branae quinque perantiquae Iani Guilielmii: *versaris. Atque, ut* [sic ed. quoque vet. s. l. cum Erf.; sed *ut* > D. 106.] *iusseris, lautissime;* atque in Io. Metelli adiectum erat: *Servus respondet*, quod verissumum arbitratur Guil. *in Plauti Persam quaestt.* c. 4. in Gruteri *thes. crit.* III. p. 436., ut ex ambiguo iocus a comico captetur. Interpretatur enim Guil. verbum *versandi* proprie usurpari in *piscibus*, qui *versentur*, quum coquuntur (Plaut. *asin.* I. 3, 28.); hinc tralatione in techuas et fallacias deduci, ut ap. Virgil. (*Aen.* II. 62. IV. 563.) *versare dolos*. Itaque, quum se senex a servo ludificatum et delectatum dolis intellegens, *versatum* diceret, illum occasionem ioci arripere: *Ilicet, si coqui vis, lautissime versabo.* Comparantur non dissimiles ludi in Plauti *mostellaria* V. 1, 60. Ibi senex ridicule illusus dicit servo: *probe me emunxti.* Respondet ille: *Vide, sis, satine recte. Num mucci fluunt?* Guil. si recte censuit: equidem post *vorsaris* (?) interrogationis signum interposuerim, ut sit Optativus Futuri exacti: quod Grammaticorum volgus vetus pariter ac novum (ut Ramshornius §. 72. XI. mirum, quantum a vero devius) in Latina lingua ignorat, licet formae tales *ausim, faxim* tam a Coniunctivo, quam ab Indicativo abhorreant! Sed laudatus *mostellariae* locus firmat certissumam Ric. Bentleii ad Hor. *A. P.* 96. coniecturam, qua, quum Palat. 1. cod. habeat (< L. *β ut*) *unxeris*, corrigit *emunxeris* probante Bardilio in Seebodii *bibl. crit.* a. 1826. VI. p. 602. Litera *m* virgula tantum superne notabatur. *E* a praecedente absorbebatur, unde mendi initium et progressus. Ad hanc coni. confirmandam a Runkelio citatur Hesychius I. 473. *ἀπομύττειν*, *ἐξαπατᾶν*, *γοητεύειν*, (ubi ab Alberto laudatur Hemsterhus. ad Luciani *dial. select.* p. 26. et 37. sive p. 353. nov. ed.) et Pollux l. II. c. 4. s. 78. *ἤδη τινὲς τῶν κωμικῶν τὸ ἐπὶ κέρδει ἐξαπατᾶν „ἀπομύττειν“ εἶπον·* ubi Seberus: „Etiam apud Latinos Terentius casum addit *Phorm.* IV. 4, 1. *Emunxi argento senes.*“ Plura vide, sis, ibi in Westerhovii *commentariis.*

enim] a manu 2. superscripta > L. *β*. — *etiam* > ed. vet. s. l. Haec adduntur, ne quis miretur *comicam personam* in ipsa comoedia commemorari. — D. 106. *et* > *improvidorum*, quibus L. *α* substituit † *stultorum*. — Ed. vet. s. l. < *et credulorum*.

§. 12. *hominum*] Ed. vet. s. l. *homine* > D. 106. ✕ L. *β hominum perfectorum*. Cf. I. *off.* c. 15. pr. — L. *β*, ed. vet. s. l. *sapientum*. V. c. 21. pr. In cod. Vaticano *de re p. lib. I.* 17. scribitur *sapientium iure* et III. c. 4. *sapientium praecepta*.

dico sap.] ✕ L. *α sapientia dico*. L. *β*, ed. vet. s. l. *posse* ✕ *cadere*.

13 ad levis amicitias deflexit oratio. Quam ob rem **a d i l l a p r i m a r e d e a m u s** eaque **i p s a c o n c l u d a m u s a l i q u a n d o**.

27 Virtus, virtus, inquam, C. Fanni et tu, Q. Muci, et p. conciliat amicitias et conservat. In ea 'st convenientia re- 115. rum, in ea stabilitas, in ea constantia. Quae quom se ex- a. tulit et ostendit suum lumen et idem aspexit agnovitque in alio: ad id se ammovet vicissimque accipit, quod in altero 'st: ex quo exardescit sive *a m o r* sive *a m i c i t i a*.

III. *off.* 4, 17. *id honestum, quod in nostram intellegentiam c a d i t.* 20, 81. f. — Ead. ed. *lenes* et cum D. 106. Erf. L. *α*, *β defluxit.*

§. 13. bRl. *γ ad illa priora.* bRl. *ε ad illam* (< L. *α*, *β*, D. 106. ed. vet. s. l. *primam*) *redeamus eamque* (L. *α atque*) *ipsam.*

C. 27. *virtus*] > D. 106. L. *α*, *β*, bRl. *γ*, *ε*, ed. vet. s. l. Eyb, ut nulla sit ἀναδίπλωσις, quae tamen notatur in var. lect. ap. Hervag. egregieque oratoriam epilogi, in quo semper oratio surgit, vim adauget.

inquam] L. *α enim.* Id. < *tu.* L. *β G. Fanni et o Scaevola.* Allocutio affectum vehementiorem indicat gravitatemque verbis addit, ut 12, 3. 14, 6. — *et* > ed. vet. s. l. *conciliat.*

est] Ox. *o*, ed. vet. s. l. < volgo: *enim*, in L. *β* superscripta; × L. *α enim est.* Ciz. b < *rerum* < *e t m o r u m* × *convenientia*, *in ea* < *est* Eyb. Verbum *est*, nisi hic Ablativi et seqq. Nominativorum ὁμοιοτέλευτον ambiguitatem faceret, ne in primo quidem membro desiderarem, comp. §. 9. pr. *Rerum convenientia* est = *communitas amicorum, qui eisdem rebus moventur et natura consentiunt.* Tales enim *constantes*, *stabiles*, *fidi.* V. 18, 2. s.

Quae quom] Erf. *quaecumque.* Tum volgo: *lumen suum* × e libris nostris omnibus et aliorum plerisque accommodate ad oppositionem. Nam licet in alio quoque *idem V i r t u t i s lumen* agnoscatur (8, 6. f.): tamen oppositionis vis retinetur non minus, quam 22, 5. in *Virtute coniuncta et consociata cum altera.* Ponitur enim abstractum pro concreto. Nulla est oppositio in *somn. Scip.* c. 2. med. *de re p.* VI. sect. 12. pr. *Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingeni consilique tui.*

agnovitque] Eyb: *e t agnovit.* — L. *β et* > *ad id.* — Ed. vet. s. l. *recipit* et cum Ciz. b < volgo: *illud.* Pronomen e priore membro, ubi cum Praepositione affuit, huc referendum, ut contra post Accusativum Obiecti in altero membro reticetur una cum Praepositione 9, 8. *Q u a m qui appetiverunt, applicant sese et propius ammovent*, np. *ad eam.*

ex quo] < D. 106. *eorum*, ut volgo > Erf. L. *α ex*-(> D. 106. ed. vet. s. l.) *ardescit.* Pronomen in L. *β* superscriptum referretur per

2 Vtrumque enim dictum 'st ab *amando*. *Amare* autem nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita: quae tamen ipsa ecflore- 101
3 scit ex amicitia, etiamsi tu eam minus secutus sis. Hac nos adulescentes benevolentia senes illos L. Paulum, M. Ca-

---

synesin et ad *Virtutem* et ad *alterum*. Sed generaliter haec dicuntur in abstractis, quae personam acceperunt.

§. 2. Erf. *ductum*. V. *off.* I. 7, 23. med. Sed D. 106. Eyb: *ab amando* >< *dictum est*, ut haec duo vv. paene suspecta fiant comp. *N. D.* II. 26, 67. pr. — L. *β*, Eyb: *amare* (D. 106. <) *enim*. — L. *a est* > *nihil* < *est* D. 106. Erf. Eyb: *aliud* < *est*, ut verbum insiticium videatur; praesertim, si retineatur *dictum est*.

nisi] L. *β* † *quam*, quae Part. similiter volgo substituitur in locum Particulae *praeter* II. *off.* 2, 5. Cf. *Tusc.* I. 24, 59. pr. — L. *β eum* < *ipsum*. — Ed. vet. s. l. Eyb: *quem amas*. Ipsum verbum *amandi* valet = *capere*: unde *amata* = capta a Pontifice M. virgo Vestalis. A Gr. ἁμά, *simul*, Germ. *samm*, ἀμᾶν, *sammen*, *sammeln*, = *colligere* messem; hinc = *metere*. Ἱμάω, ἀμόω = traho: unde *hamus*; ἱμάς, *amentum*. Cognata etiam ὅμοιος, *similis*; ὁμοιόω, *imito*; ὁμοίωμα, *imago*. Proprium est igitur sive *amoris* s. *amicitiae* ὁμωθῆναι φιλότητι. Cf. *fin.* II. 24, 78. *N. D.* I. 44, 122. Germanice hunc l. reddere conemur fere sic: *woraus* (i. e. *aus welchem Zusammenneigen der Strahlen*) *emporbrennt* *Liebesinnigkeit oder Freundschaftsinnigkeit*, *wie man es nennen mag. Denn Beides kommt her von innig. Innigkeit aber besteht in nichts Anderm als darin, eben den, mit welchem man innig ist, inbrünstig zu lieben.*

ecfloresoit] e ɔi., quam formam servatam in cod. Vat. l. I. *de re p.* c. 29. pr. nuperi editores obliterarunt. H. l. Erf. L. *a exflorescit* pro volg. *effl.* — D. 106. *etsi*. — L. *a as*>*secutus*.

§. 3. *nos*] L. *a vos*. *M. Catone* Cicero noster se, ut *omnes*, *qui isdem rebus studerent*, *quasi exemplari ad industriam virtutemque duci* fassus est l. I. *de re p.* c. 1. De eodem libri II. princ. sic Scipio Aemilianus: *Catonis hoc senis est*, *quem*, *ut scitis*, *unice dilexi maxumeque sum ammiratus cuique vel patris utriusque* (np. *L. Pauli* et eius, a quo adoptatus sum, *Scipionis* Africano geniti) *iudicio vel etiam meo studio me totum ab adulescentia dedidi*; *cuius me numquam satiare potuit oratio*: *tantus erat in homine usus rei publicae*, *quam et domi et militiae quom optume*, *tum etiam diutissume gesserat*, *et modus in dicendo et gravitate mixtus lepos et summum vel discendi studium vel docendi et orationi vita admodum congruens*. Ipse de se ap. Cic. *de sen.* 9, 6. s. sic loquitur: *Quod si ipse exequi nequeas*, *possis tamen Scipioni praecipere et Laelio. Quid enim iucundius senectute*, *stipata studiis iuventutis?*

tonem, C. Gallum, P. Nasicam, Ti. Gracchum, Scipionis nostri socerum, diliximus. Haec etiam magis elucet inter aequalis, ut inter me et Scipionem, L. Furium, P. Rupi-
4 lium, Sp. Mummium. Vicissim autem senes in adulescentium caritate conquiescimus; ut in vestra, ut in Q. Tubero-

---

Gallum] Erf. *Gallium.* De *C. Sulpicio Gallo* v. 2, 11. 6, 3. et Maii annot. ad I. *de re p.* c. 14. pr. Ibid., c. 15. sic de eo loquitur Scipio: *et ipse hominem diligebam et in primis patri meo Paulo probatum et carum fuisse cognoveram.* Suetonius in *vita Terentii* c. 4. Sulpicium Gallum commemorat ut *hominem doctum et qui consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum.*

P. Nasicam] Corculum, Africani Maioris generum, COS. iam a. 591., cum filio Serapione, COS. a. V. 615., eo, qui a. 620. Ti. Gracchum trib. pleb. consobrinum suum oppresserat, confundit Gernh., atque ita senem adulescenti facit aequalem, etiam p. 275. in *add.* ad p. 60., idque eo magis mirum, quod utrumque recte distinxerat Wetzelius et in annot. ad h. l. et in *excursu* p. 299. §. 7, 4. p. 305. §. 8, 3., ex quo pleraque ille excerpsit. V. Vellei. P. II. 3, 1. P. Scipio Corculum censor fuit a. 593. aer. Capit.; idem vir triumphalis, bis princeps senatus lectus. Eximia eius severitas laudatur in Liv. *epit.* IIL. *Nam, quum locatum a censoribus theatrum extrueretur: P. Corn. Nasica auctore* (iterum COS. a. 598.) *tamquam inutile et nociturum publicis moribus ex S. C. destructum est, populusque a l i q u a m d i u s t a n s spectavit.* Cf. Vellei. P. I. 15, 3., quae loca removent chronologicam dubitationem, quam supra 7, 9. f. opposuimus Gernhardi interpretationi verborum *stantes plaudebant.*

Ti.] Erf. *titum* † cum L. *a*, qui *Graccum, Scipionis nostri socerum,* sp. Semproniae patrem, eundemque Scipionis Africani superioris generum, Corneliae maritum. — Ed. vet. s. l. † *diligimus.* — e->*lucet* † D. 106. — Ed. vet. s. l. † *Rutilium et spurium et numium.* Erf. *spurcum nummium.* L. *a Emilium* > *Mummium.* Vt legimus in I. *de re p.* c. 12. *Spurium Mummium in primis diligebat Scipio.*

§. 4. *conquiescimus*] e L. *a*, ut 6, 5. f., pro volg. *acq.* Saepe permutantur syllabae *ac, an, o* = *con*, e. c. in compositis ex verbo *quaerendi.*

vestra] Ed. vet. s. l. † *nostra.* Pro iteratis *ut* (> ed. ead.) *in* L. *β* a m. 1. *et.* — Ed. ista: *Q. tubrerionis* †. De *Q. Tuberone*, L. Pauli nepote ex Aemilia, Scipionis Africani sorore, v. A. M a i i *prosopographia dialogorum de re publica.* Ei *Africanum avonculum laudanti scripserat C. Laelius laudationem*, ut legimus II. *de or.* 84, 341. f., ubi mendosum praenomen *P.* a Müllero non correctum eo magis mirere, quod ipse citat *Brut.* c. 31. pr., ubi eidem tribuitur verum *Q.* praenomen. Quid, quod Schützius in *indice historico* adeo distinxit, quasi fratres? Alio quodam errore ap. Pomponium in *D.* I. *tit.* 2. *de orig. iur.* fr. 2. §. 40. *Q. Aelius Tubero Stoicus*

actum praetore me, quinquennio ante, quam consul sum factus. Ita re magis, quam auctoritate, causa illa defen-
26 sa 'st. Quod si in scaena, id est in contione, in qua rebus 97
fictis et adumbratis loci plurumum 'st, tamen verum valet, si modo id patefactum et illustratum 'st: quid in amicitia fie-
2 ri oportet, quae tota veritate perpenditur? In qua nisi, ut

---

opes amoveri iubet, *significat pietatem gratam esse deo, sumptum esse removendum:* ut ipse explicat ib. 10, 24. Accedit Seneca *ep.* 110. ab in. *deos omnes habet placatos et fauentes, quisquis sibi se propitiavit*, et in fine: *nihil desideres oportet, si vis Iovem provocare, nihil desiderantem;* I. *de benef.* c. 6. f. *boni etiam farre ac fritilla religiosi sunt; epist.* XXXI. f. *Cogita illos* (np. deos), *quum propitii essent, fictiles fuisse.* Similiter, sed paulo aliter Fuscus Arellius pater ap. M. Senecam rhet. *controv.* IX. vel *lib.* II. *controv.* I. *fictilibus* (np. vasis) *fuerunt dii faciles.*

§. 11. L. *α f>actum* ed. vet. s. l. < *est* volgo. — L. *α me* × *praetore.* Erf. L. *β* a m. 1. *per me* < *r. p.* D. 106. Nempe L. *β* a m. 2. habet super versu: *praetore per me p. q; r.*, h. e. *populumque romanum.* Ed. vet. s. l. *per me P. R.*

sum factus] Ed. vet. s. l. *sim f.* bRl. ε, D. 106. *essem f.* × *factus* (L. *α* <) *sum* Bern. bRl. *γ*. Cf. 3, 7.

Ita] Bern. bRl. *γ*, *ε*, D. 106. Erf. < volgo: *que*, quam Part. ut in consecutione rite positam contra Gernh. tuetur arbiter in Gotting. indic. litt. (*Gelehrte Anzeigen*) a. 1826. n. 206. 207. p. 2050. Sed v. 26, 4. pr. Tum Bern. D. 106. Erf. L. *β*, bRl. *γ*, *ε*, ed. vet. s. l. *summa* > *auctoritate* < *summa* var. lect. ap. Hervag. cum L. *α*, qui × *defensa est illa causa.*

C. 26. L. *β Quid si in stannia* †. L. *α Que si in stanna* †. Erf. *in scamna* †. Bern. *in scanna id est in conscione* †. Moserus l. c. p. 980. optabat: *in ista scaena.* Sic, ut h. l., explicationem saepe a Cic. addi observat Grz. ad I. *Acad.* 2, 8. pr. et Gernh. ad *Cat. Mai.* 16, 56. p. 106. *Scaena contionis* habetur II. *de or.* c. 83. pr. et ib. III. 45, 177. artificia oratoria *ad scaenam pompamque sumi* dicuntur. Comparationi subesse tragoediarum artisque oratoriae ap. Romanos similitudinem quandam docuisse a censore Hal. laudatur Langius in *vindic. tragoed. Rom.* p. 20. 35. Itaque deinceps *res fictas et adumbratas* equidem non solum actionum forensium intellexerim, sed ipsorum etiam theatrorum, quarum exempla resp. 7, 9. 25, 4. Cf. Quinctil. *instt.* XI. 3, 5., quem tamen locum a comparatione remotum voluerat ipse censor Halensis. De orthographia voc. *scaena* v. Osannus ad *Apuleium de diphthongis* p. 123. s.

adumbratis] Bern. *obumbralis.* — L. *α atque* pro volg. *et.* Cf. I. *or.* 39, 177. f. — D. 106. cum Oxx. *η*, *κ illustratum* (Goth. 48. <) *sit.* — Pro *oportet* D. 106. *poterit.*

dicitur, *apertum pectus* videas tuumque ostendas: nihil fidum, nihil exploratum habeas, ne amare quidem aut amari;
3 quom id quam vere fiat, ignores. Quamquam ista assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit
4 atque ea delectatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat auris suas maxume, qui ipse sibi assentetur et se

---

§. 2. *apertum pectus*] Scolion ap. Athenaeum p. 694.:

Εἴθ' ἐξῆν, ὁποῖός τις ἦν ἑκάστοτε,
τὸ στῆθος διελόντ' ἔπειτα, τὸν νοῦν
ἐσιδόντα, κλείσαντα πάλιν
ἄνδρα φίλον νομίζειν ἀδόλῳ φρενί.

Momus, ut perhibetur in Luciani *Hermotimo* c. 20., ἐπὶ τοῦ ἀνθρώπου τοῦτο ἐμέμψατο καὶ τὸν ἀρχιτέκτονα ἐπέπληξε τὸν Ἥφαιστον, διότι μὴ καὶ θυρίδας ἐποίησεν αὐτῷ κατὰ τὸ στέρνον, ὡς ἀναπετασθεισῶν γνώριμα γίγνεσθαι ἅπασιν, ἃ βούλεται καὶ ἐπινοεῖ, καὶ ἢ ψεύδεται ἢ ἀληθεύει.

ne] Bern. *nec amare quidem* < *possis* D. 106. In L. *β quidem* deletum est, sed in marg. *possis quidem* suppletur. *aut amari* < *scias* id. *β*. In Bern. superscriptum *scis*. L. *α nec amari scis*.

§. 3. *Quamquam*] Bern. *tum* > † L. *α*. Deinde Bern. < *tamen*, quae Part. superscripta tantum legitur. — Erf. *eam* × *qui*. — L. *β in* > *ea*, ut 23, 3. Eyb: *in illa* > L. *α*, bRl. *γ*, *ε*.

§. 4. *ut his assentatoribus* † Bern. L. *β*, ed. vet. s. l. Cf. *off.* I. §. 91. c. 26, 7. L. *α quia* pro *qui*. — *ipse* > *sibi* Erf. Post haec L. *β ipse* × (> ed. vet. s. l.) *maxime*. — Bern. *delectat*, quod ferri possit, si correxeris ante *assentatur*. Cf. §. 3. f. Aristot. *rhet.* I. 11. Ἐπεὶ φίλαυτοι πάντες· καὶ τὰ αὑτῶν ἀνάγκη ἡδέα εἶναι πᾶσιν, οἷον ἔργα, λόγους· διὸ φιλοκόλακες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ φιλερασταὶ καὶ φιλότιμοι καὶ φιλότεκνοι. Plutarchus *de amico et adul.* c. I. p. 48. sq. διὰ τὴν φιλαυτίαν αὐτὸς αὑτοῦ κόλαξ ἕκαστος ὢν πρῶτος καὶ μέγιστος οὐ χαλεπῶς προσίεται τὸν ἔξωθεν, ὃν οἴεται καὶ βούλεται μάρτυν ἅμα αὑτῷ καὶ βεβαιωτὴν προσγινόμενον. c. XXV. pr. p. 65. E. παρακελευόμεθα τὸ φίλαυτον ἐκκόπτειν ἑαυτῶν καὶ τὴν οἴησιν· αὕτη γὰρ ἡμᾶς προκολακεύουσα, μαλακωτέρους ποιεῖ τοῖς θυραίοις κόλαξιν, ὡς ἑτοίμους ὄντας. Seneca *de tranq. animi* c. 1. ad f. *Non est, quod nos magis aliena iudices adulatione perire, quam nostra. Quis sibi verum dicere ausus est? quis non inter laudantium blandientiumque positus greges plurimum tamen sibi ipse assentatus est?* Id. *epist.* 45. p. 112. *Adulatio . . . apertis et propitiis auribus recipitur et in praecordia ima descendit, eo ipso gratiosa, quo laedit.*

5 maxume ipse delectet. Omnino 'st amans sui Virtus: optu- 98
me enim se ipsa novit, quamque amabilis sit, intellegit.
6 Ego autem non de virtute nunc loquor, sed de virtutis opi-
nione. Virtute enim ipsa non tam multi praediti esse, quam
videri volunt. Hos delectat assentatio; his fictus ad ipsorum
voluntatem sermo quom adhibetur, orationem illam va-
7 nam testimonium laudum suarum putant. Nulla 'st igitur
haec amicitia, quom alter verum audire non volt, alter ad
8 mentiundum paratus est. Nec parasitorum in comoediis as-
b. sentatio faceta videretur, nisi essent milites gloriosi.

---

§. 5. *Omnino* < *enim* ed. vet. s. l. *autem* L. β. — *se ipsam* † D. 106. L. α, bRl. s. — *quamquam* † Erf. In L. β *que* deleta est.

§. 6. *de virtute nunc* × *non* ed. vet. s. l. *Opinio* iungitur cum Genitivo obiecti. Plutarchus l. l. c. I. *Ὁ γὰρ λοιδορούμενος φιλόκολαξ σφόδρα φίλαυτός ἐστι καὶ δι' εὔνοιαν ἑαυτῷ πάντα μὲν ὑπάρχειν βουλόμενος, πάντα δὲ οἰόμενος· ὧν ἡ μὲν βούλησις οὐκ ἄτοπος, ἡ δὲ οἴησις ἐπισφαλὴς καὶ δεομένη πολλῆς εὐλαβείας.*

enim] Bern. *autem.* — *videri volunt.* Aeschylus *Agam.* 790. s. ed. Glasg.

πολλοὶ δὲ βροτῶν τὸ δοκεῖν εἶναι
προτίουσι, δίκην παραβάντες.

Ex talis simulatoris persona Euripides *Ixione:*

τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο,
τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος, ἔνθα κερδανεῖς,

ap. Plutarch. *de aud. poët.* c. III. p. 18. *E.* ap. Stobaeum *serm.* II. p. 30 8. atque inde in fragmm. ed. Musgr. t. III. p. 569. V. etiam Valckenaërii *diatrib.* p. 166. Plato autem lib. II. *de politia* c. 4. p. 361. *A.*, laudatus Plutarcho *de adul.* c. IV. p. 50. *E.* et alibi, dixit *ἐσχάτην ἀδικίαν δοκεῖν δίκαιον εἶναι, μὴ ὄντα.* Cf. Cic. *off.* I. 19, 64.

his — ipsorum] Eyb: *Is — eorum.* — L. β *vanum* †. L. α *esse* > *testimonium* Ox. U, o < *esse* volgo. In simili loco I. *off.* 26, 91. *Tales enim nos putamus esse, ut iure laudemur*, item alii *esse* × *putamus.* V. h. dial. 2, 5. f. In eandem sententiam Demosthenes *or. Olynth.* III. p. 37. *E. Μέγα τοῖς τοιούτοις ὑπάρχει λόγοις ἡ παρ' ἑκάστου βούλησις· διόπερ ῥᾷστον ἁπάντων ἐστὶν αὑτὸν ἐξαπατῆσαι· ὃ γὰρ βούλεται, τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἴεται.*

§. 7. *Nulla amicitia est* excpt. L.

§. 8. Volgo: *nobis* > *faceta* D. 106. bRl. s, ed. vet. s. l. < *nobis* bRl. γ, Erf. L. α, itemque β, in quo *videtur.* Bern. *nobis facta.* In *or. pro Milone* c. 3. pr. vv. *videntur ea mihi esse refutanda* Dativum, quem quo referas ambiguum est, cum plerisque libris nunc abiecit Orellius in ed. omnium opp. H. l. Eyb: *nobis assentatio in comoediis faceta commendaretur.*

nisi] D. 106. *nec.* — L. α *esse.* — Id. < *vero.* — Erf. *agebat.*

Magnas vero agere gratias Thais mihi?

Satis erat respondere: *magnas.* „*Ingentis*," inquit. Semper auget assentator id, quod is, cuius ad voluntatem dici-
9 tur, volt esse magnum. Quam ob rem, quamvis blanda 99
ista vanitas apud eos valeat, qui ipsi illam allectant et invitant: tamen etiam graviores constantioresque ammonendi sunt, ut animum advertant, ne callida assentatione capiantur. Aperte enim adulantem nemo non videt, nisi [qui]

Bern. *gratias* × *agere.* — L. *β mihi* × (> L. *α*) *Thais.* — *ingentes* < *que* L. *α.*

Semper] < *enim* Eyb et cum Bern. L. *α* et excpt. L. *ad* × *cuius.* A Plutarcho *de adul.* c. 6. ad f. p. 51. *F.* ὁ κόλαξ notatur ἐπαινέτης τῶν ἀρεσκόντων οὐ μέτριος, ἀλλ' ὥστε ὑπερβάλλειν σὺν ἐκπλήξει καὶ θαύματι φαινόμενος. Horat. *A. P.* 433.

§. 9. *quamvis*] > Ed. vet. s. l. < Erf. L. *β quamquam*, ut Bern. et Eyb, qui uterque *ista* × *blanda.* Pro *valeat*, quod habet Eyb quoque, certe in ed. a. 493., quam nos tractamus, *valet* et nostri omnes et Goerenzii libri, qui V. D. Particulae *quamvis* ad positivum Gradum = *quamquam vel maxume* valentis et cum Subiunctivo constructae exemplum affert e *Phil.* XI. 9, 22. *quamvis intentus animus tuus sit —: tamen rerum natura cogit.* Quod ni acceperis probaverisque: post voc. *blanda* virgula interponenda erit et coli loco plene interpungendum ante *tamen*, quae Part. tunc valebit = *attamen*, vel *sed tamen* = *enim vero*, ut sententiarum nexus idem sit ac supra h. cap. §. 3. Sed hic non tam restringit priorem sententiam subiecta altera, quam adversativae inter se comparantur sententiae, ut indicant seqq. *Blanda vanitas* est = *aperta adulatio.*

ipsi] Bern. *ipsam.* — L. *α tamen et graviores et constantiores.* Commutata Praepositionis litera ultima *ammonendi* scriptum servat Erf. pro volg. *adm.* — Bern. L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. Eyb: *animadvertant.*

qui] Ox. *quem* > D. 106. *admodum* < × *qui* ed. vet. s. l. *Nisi .. est* valet = *modo ne .. sit.* L. *β maxime* pro *admodum*, ut hoc quoque suspectum fiat comp. *Phil.* V. 2, 5. f. *Hoc qui non videt, excors*, ubi volgo adiectum est rectius alii omittunt. Non tamen propter variam istam lectionem, quae volgatam aperte interpretatur, hanc solicitarim, etsi solent eiusmodi vocabula, quae vim aliorum augeant, a librariis ῥητορικωτέροις addi, ut 1, 5. f. *fere omnibus*; 2, 6. *semper*; 3, 2. *certe*; 4, 2. *profecto*, quae Part. *pro Mil.* 8, 21. pr. in aliis libris alio loco inculcata rectius a plerisque omittitur. Perimit enim vim ἐπαναφορᾶς *non.* Si tamen genuina sit, sequar ordinem indicatum in marg. ed. Lamb. 1584. *Non fuit ea causa profecto, iudices; non fuit*, comp. *pro Rosc. Am.* 41, 121. pr.

admodum 'st excors; callidus ille et occultus ne se insinuet,
10 studiose cauendum 'st: nec enim facillume cognoscitur, quippe qui etiam adversando saepe assentetur et litigare se simulans blandiatur atque ad extremum det manus vincique se
11 patiatur, ut is, qui illusus sit, plus vidisse videatur. Quid au-

---

occultus] < *adulator* Eyb. Cod. Bernensis hic mutilus. Plutarch. *de adul.* c. IV. pr. p. 50. *E.* τίνα οὖν δεῖ φυλάττεσθαι; τὸν μὴ δοκοῦντα μηδ' ὁμολογοῦντα κολακεύειν. Ib. *F.* Κολακείαν ἡγητέον χαλεπὴν τὴν λανθάνουσαν, οὐ τὴν ὁμολογοῦσαν. Ib. c. XIV. p. 58. *A.* τὸ δὲ γένος τοῦτο τῶν ἀρνουμένων ἐπαίνων πανουργοτέρας δεόμενον εὐλαβείας ἐλεγκτέον. Seq. §. usque ad verba *cauendum est* §. 11. in L. *α* omissa post Caecilii versus, qui subter notati sunt, inseruntur.

§. 10. Eyb: *faciliter*, L. *α facile* et cum ceteris nostris *agnoscitur.* Comp. var. lect. c. 1. extr. — L. *α* < *et* (D. 106. <)- *iam.* — Eyb † *assentando saepe adversetur.* — bRl. *γ*, D. 106. *litigasse simulans* ✕ bRl. *ε simul se litigasse* †. Plutarch. l. l., c. IV. p. 51. *C.* Ὁ δὲ πάντων ἐστὶν αὐτοῦ (πρ. τοῦ κόλακος) πανουργότατον, αἰσθανόμενος τὴν παῤῥησίαν καὶ λεγομένην καὶ δοκοῦσαν ἰδίαν εἶναι φωνὴν ὥσπερ τινος ζώου τῆς φιλίας, τὸ δὲ ἀπαῤῥησίαστον ἄφιλον καὶ ἀγεννὲς, οὐδὲ ταύτην ἀμίμητον ἀπολέλοιπεν. Ib. c. XIX. p. 61. *C.* τὴν παῤῥησίαν ἐπιστάμενοι μέγα βοήθημα πρὸς τὴν κολακείαν οὖσαν οἱ πονηροὶ, δι' αὐτῆς κολακεύουσι τῆς παῤῥησίας.

ad extremum] > D. 106. — *dat manus* < *suas* L. *β*. Cf. II. *ad Att.* 22. sect. 1. *aiebat illum primo sane diu multa contra: ad extremum autem manus dedisse.*

se patiatur] ✕ L. *α pat. se.* Pron. in bRl. *ε* ab alia manu superscriptum > bRl. *γ*, D. 106. Erf. De hac omissione Gernh. sic iudicat: „quasi *manus* intelligendum sit." Quid mirum? Facile corrigi posset *vincirique patiatur.* Posset item *det manus vincique patiatur* accipi pro *det manus victas* vel *evictas*, quod sollenniter dicitur pro = supplex se summittat victori, v. c. ap. Ovid. *heroid.* IV. 14. *tristt.* I. 3, 88. *fastt.* III. 688. pariter ut *victum manus dare* ap. Corn. Nep. XXII. *Hamilc.* 1, 4. f. Cf. Plaut. *Pers.* V. 2, 72. Virg. *Aen.* XI. 568. Horat. *epod.* XVII, 1. Cic. *ad Att.* XVI. 3. pr. Iul. Caes. *b. G.* V. 31. §. 3. *tandem dat Cotta* [*permotus*] *manus; superat sententia Sabini.* V. ibi Davis. Sic *dedere manus* Lucretius II. 1042. Retinui tamen *se*, quippe quod in eadem hac locutione adhibitum esset I. *off.* 19, 64.

illusus sit] L. *α illusus est* —. L. *β videatur vidisse* ✕ L. *α*, D. 106. ed. vet. s. l. Eyb: *vicisse videatur.* Plutarchus l. l. c. XV. p. 58. *C. D.* notat adulatores similiter iubetque animadvertere ad indicium, ᾧ καὶ μάλιστα δεῖ τὰς τοιαύτας — ἀναχωρήσεις αὐτῶν ἐξελέγχειν, οὐκ ἐμπειρίαις οὐδ' ἀρεταῖς οὐδ' ἡλικίαις ὑφειμένων, ἀλλὰ πλούτοις καὶ δόξαις.

tem turpius, quam illudi? Quod ne accidat, cauendum 'st, ut in *Epiclero:*

> *Hodié me ante omnís cómicos stultós senes*
> *Vorsáris atque emúnxeris lautissume.*

---

§. 11. *turpius*] < *est* D. 106. Seneca *de tranq. an.* c. XV. med. *Quid enim est turpius, quam si maximi viri timidos fortiter moriendo faciunt?* Sed ap. Cic. *N. D.* I. 1, 1. *Quid est enim temeritate turpius?* cod. Guelph. < *est.* Recte. Cf. *Phil.* I. 9, 21. f. II. 34, 86. med. *Quid hoc turpius?* II. *fin.* 15, 50. *Quid turpius, quam —?* cum annot. supra ad 21, 5. Cum ipso praecepto coniungas lepidam fabulam Aesopeam de corvo a volpecula illuso. V. Gabriae s. Ignatii *tetrastichon* XIX.

Quod] Erf. L. *α*, *β* cum D. 106. et tribus aliis libris Goerenzii *ut* > *ne.* Grz. *ut* asciscendam existumat, quippe post *quod* saepe obliteratam, et gradationem quandam fieri observat in usu Particularum *ne*, *ut ne* et aliqua voce interposita in *ut . . . ne:* de qua tamen observatione, ut in re admodum ambigua, ampliandum duximus. De his Particulis post affirmativa verba, ut post *animadvertere*, *dare operam*, *curare* etc., sic usurpandis facile equidem concessero; non item post negativa. Praecise enim dici videtur *ut ne* pro *ut caueatur ne.* Nam 21, 9. f. ad vv. *una cautio atque provisio* appositionem faciunt seqq. (*nempe*) *ut* (*caueatur*) *ne* etc. Quod si recte ita statuitur: istae Particulae huic loco non conveniunt.

cauendum] Sic Ciz. A. cum tribus codd. Facciolati. Nostri omnes praeponunt *magis*, qui Comparativus non relative, sed absolute positus, = *valde*, repeteret vim verborum superiorum *studiose cauendum* = *maior quaedam* (= *omnis*) *adhibenda diligentia.* Sic *off.* II. 20, 69. *animadvertendum est diligentius.*

ut] bRl. *ε* cum Ciz. b *quam* et cum ceteris nostris < *in Epiclero.* — L. *α si* > *hodie* < *me* × L. *β*, bRl. *ε*, ed. vet. s. l. *si* > bRl. *γ*, D. 106. Erf. *me hodie.* Aliquot Palatt. innuunt scriptum fuisse fere: *Sic* > *me hodie.* Non male, si Part. *sic* cum Futuro exacto Indicativi referatur ad consilium in praecedente astuti servi sermone malitiose datum subaudiaturque tale quid: *si tibi fidem habuero*, vel, *ita si fecero.* Sed fortasse legendum: *Ne hodie me* sequente Futuro exacto Optativi, quia praecedit *cauendum 'st.* Nam si fuerit Perfectum tempus: accipiundum erit tamquam suspensum a Particula causali, quae referatur ad iram senis a servo se delusum stomachantis.

omnis comicos] L. *β meos amicos.* L. *α*, D. 106. ed. vet. s. l. *omnes coamicos* †. Ed. vet. s. l. *senex.* Cf. *Cat. Mai.* 11, 7. I. F. Gronov. *observator. in scriptt. eccles.* etc. c. 2. p. 24. s. Sic *comicus adulescens* in *or. pro Rosc. A.* 16, 47. et *comica moecha* dicitur ap. Propertium IV. 5, 44.

vorsaris] L. *β*, D. 106. ed. vet. s. l. *verseris.* Cf. Plaut. *Pers.* V. 2, 17. s. *Quomodo hodie me vorsavisti! ut me in tricas coniecisti!*

emunxeris] L. *α e*>*luseris* volgo, ut Ovid. *A. A.* III. 332. Mem-

Haec enim etiam in fabulis stultissuma persona 'st improvidorum et credulorum senum.
12 Sed nescio quo pacto ab amicitis perfectorum hominum, id est sapientium (de hac dico sapientia, quae videtur in hominem cadere [posse]),

---

branae quinque perantiquae Iani Guilielmii: *versaris. Atque, ut* [sic ed. quoque vet. s. l. cum Erf.; sed *ut* > D. 106.] *iusseris, lautissime;* atque in Io. Metelli adiectum erat: *Servus respondet*, quod verissumum arbitratur Guil. *in Plauti Persam quaestt.* c. 4. in Gruteri *thes. crit.* III. p. 436., ut ex ambiguo iocus a comico captetur. Interpretatur enim Guil. verbum *versandi* proprie usurpari in *piscibus*, qui *versentur*, quum coquuntur (Plaut. *asin.* I. 3, 28.); hinc tralatione in technas et fallacias deduci, ut ap. Virgil. (*Aen.* II. 62. IV. 563.) *versare dolos.* Itaque, quum se senex a servo ludificatum et delectatum dolis intellegens, *versatum* diceret, illum occasionem ioci arripere: *Ilicet, si coqui vis, lautissime versabo.* Comparantur non dissimiles ludi in Plauti *mostellaria* V. 1, 60. Ibi senex ridicule illusus dicit servo: *probe me emunxti.* Respondet ille: *Vide, sis, satine recte. Num mucci fluunt?* Guil. si recte censuit: equidem post *vorsaris* (?) interrogationis signum interposuerim, ut sit Optativus Futuri exacti: quod Grammaticorum volgus vetus pariter ac novum (ut Ramshornius §. 72. XI. mirum, quantum a vero devius) in Latina lingua ignorat, licet formae tales *ausim, faxim* tam a Coniunctivo, quam ab Indicativo abhorreant! Sed laudatus *mostellariae* locus firmat certissumam Ric. Bentleii ad Hor. *A. P.* 96. coniecturam, qua, quum Palat. 1. cod. habeat (< L. *β ut*) *unxeris*, corrigit *emunxeris* probante Bardilio in Seebodii *bibl. crit.* a. 1826. VI. p. 602. Litera *m* virgula tantum superne notabatur. *E* a praecedente absorbebatur, unde mendi initium et progressus. Ad hanc vi. confirmandam a Runkelio citatur Hesychius I. 473. ἀπομύττειν, ἐξαπατᾶν, γοητεύειν, (ubi ab Alberto laudatur Hemsterhus. ad Luciani *dial. select.* p. 26. et 37. sive p. 353. nov. ed.) et Pollux l. II. c. 4. s. 78. ἤδη τινὲς τῶν κωμικῶν τὸ ἐπὶ κέρδει ἐξαπατᾶν „ἀπομύττειν" εἶπον· ubi Seberus: „Etiam apud Latinos Terentius casum addit, *Phorm.* IV. 4, 1. *Emunxi argento senes.*" Plura vide, sis, ibi in Westerhovii *commentariis.*

enim] a manu 2. superscripta > L. *β*. — *etiam* > ed. vet. s. l. Haec adduntur, ne quis miretur *comicam personam* in ipsa comoedia commemorari. — D. 106. *et* > *improvidorum*, quibus L. *α* substituit † *stultorum.* — Ed. vet. s. l. < *et credulorum.*

§. 12. *hominum*] Ed. vet. s. l. *homine* > D. 106. × L. *β hominum perfectorum.* Cf. I. *off.* c. 15. pr. — L. *β*, ed. vet. s. l. *sapientum.* V. c. 21. pr. In cod. Vaticano *de re p. lib. I.* 17. scribitur *sapientium iure* et III. c. 4. *sapientium praecepta.*

dico sap.] × L. *α sapientia dico.* L. *β*, ed. vet. s. l. *posse* × *cadere.*

13 ad levis amicitias deflexit oratio. Quam ob rem **a d i l l a p r i m a r e d e a m u s** eaque ipsa **c o n c l u d a m u s a l i q u a n d o**.

27 Virtus, virtus, inquam, C. Fanni et tu, Q. Muci, et conciliat amicitias et conservat. In ea 'st convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia. Quae quom se extulit et ostendit suum lumen et idem aspexit agnovitque in alio: ad id se ammovet vicissimque accipit, quod in altero 'st: ex quo exardescit sive *a m o r*, sive *a m i c i t i a*. p. 115. a.

III. *off.* 4, 17. *id honestum, quod in nostram intelligentiam c a d i t.* 20, 81. f. — Ead. ed. *lenes* et cum D. 106. Erf. L. α, β *defluxit.*

§. 13. bRl. γ *ad illa priora.* bRl. ε *ad illam* (< L. α, β, D. 106. ed. vet. s. l. *primam*) *redeamus eamque* (L. α *atque*) *ipsam.*

C. 27. *virtus*] > D. 106. L. α, β, bRl. γ, ε, ed. vet. s. l. Eyb, ut nulla sit ἀναδίπλωσις, quae tamen notatur in var. lect. ap. Hervag. egregieque oratoriam epilogi, in quo semper oratio surgit, vim adauget.

inquam] L. α *enim.* Id. < *tu.* L. β *G. Fanni et o Scaevola.* Allocutio affectum vehementiorem indicat gravitatemque verbis addit, ut 12, 3. 14, 6. — *et* > ed. vet. s. l. *conciliat.*

est] Ox. o, ed. vet. s. l. < volgo: *enim*, in L. β superscripta; × L. α *enim est.* Ciz. b < *rerum* < *e t m o r u m* × *convenientia, in ea* < *est* Eyb. Verbum *est*, nisi hic Ablativi et seqq. Nominativorum ὁμοιοτέλευτον ambiguitatem faceret, ne in primo quidem membro desiderarem, comp. §. 9. pr. *Rerum convenientia* est = *communitas amicorum, qui eisdem rebus moventur et natura consentiunt.* Tales enim *constantes, stabiles, fidi.* V. 18, 2. s.

Quae quom] Erf. *quaecumque.* Tum volgo: *lumen suum* × e libris nostris omnibus et aliorum plerisque accommodate ad oppositionem. Nam licet in alio quoque *idem V i r t u t i s lumen* agnoscatur (8, 6. f.): tamen oppositionis vis retinetur non minus, quam 22, 5. in *Virtute coniuncta et consociata cum altera.* Ponitur enim abstractum pro concreto. Nulla est oppositio in *somn. Scip.* c. 2. med. *de re p.* VI. sect. 12. pr. *Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingeni consilique tui.*

agnovitque] Eyb: *e t agnovit.* — L. β *et* > *ad id.* — Ed. vet. s. l. *recipit* et cum Ciz. b < volgo: *illud.* Pronomen e priore membro, ubi cum Praepositione affuit, huc referendum, ut contra post Accusativum Obiecti in altero membro reticetur una cum Praepositione 9, 8. *Q u a m qui appetiverunt, applicant sese et propius ammovent,* sc. *ad eam.*

ex quo] < D. 106. *eorum*, ut volgo > Erf. L. α *ex*-(> D. 106. ed. vet. s. l.) *ardescit.* Pronomen in L. β superscriptum referretur per

2 Vtrumque enim dictum 'st ab ***amando.*** ***Amare*** autem nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita: quae tamen ipsa ecflore- 101
3 scit ex amicitia, etiamsi tu eam minus secutus sis. Hac nos adulescentes benevolentia senes illos L. Paulum, M. Ca-

---

synesin et ad *Virtutem* et ad *alterum*. Sed generaliter haec dicuntur in abstractis, quae personam acceperunt.

§. 2. Erf. *ductum*. V. *off.* I. 7, 23. med. Sed D. 106. Eyb: *ab amando* × *dictum est*, ut haec duo vv. paene suspecta fiant comp. *N. D.* II. 26, 67. pr. — L. *β*, Eyb: *amare* (D. 106. <) *enim*. — L. *α est* > *nihil* < *est* D. 106. Erf. Eyb: *aliud* < *est*, ut verbum insiticium videatur; praesertim, si retineatur *dictum est*.

nisi] L. *β* † *quam*, quae Part. similiter volgo substituitur in locum Particulae *praeter* II. *off.* 2, 5. Cf. *Tusc.* I. 24, 59. pr. — L. *β eum* < *ipsum*. — Ed. vet. s. l. Eyb: *quem amas*. Ipsum verbum *amandi* valet = *capere*: unde *amata* = capta a Pontifice M. virgo Vestalis. A Gr. ἁμά, *simul*, Germ. *samm*, ἀμᾶν, *sammen*, *sammeln*, = *colligere* messem; hinc = *metere*. Ἱμάω, ἀμόω = traho: unde *hamus*; ἱμάς, *amentum*. Cognata etiam ὅμοιος, *similis*; ὁμοιόω, *imito*; ὁμοίωμα, *imago*. Proprium est igitur sive *amoris* s. *amicitiae* ὁμωθῆναι φιλότητι. Cf. *fin.* II. 24, 78. *N. D.* I. 44, 122. Germanice hunc l. reddere conemur fere sic: *woraus* (i. e. *aus welchem Zusammenneigen der Strahlen*) *emporbrennt* ***Liebesinnigkeit*** *oder* ***Freundschaftsinnigkeit***, *wie man es nennen mag. Denn Beides kommt her von* ***innig***. ***Innigkeit*** *aber besteht in nichts Anderm als darin, eben den, mit welchem man* ***innig*** *ist, inbrünstig zu lieben.*

ecflorescit] e ɔi., quam formam servatam in cod. Vat. l. I. *de re p.* c. 29. pr. nuperi editores obliterarunt. H. l. Erf. L. *α exflorescit* pro volg. *effl.* — D. 106. *etsi*. — L. *α as* > *secutus*.

§. 3. *nos*] L. *α vos*. *M. Catone* Cicero noster se, ut *omnes*, *qui isdem rebus studerent*, *quasi exemplari ad industriam virtutemque duci* fassus est l. I. *de re p.* c. 1. De eodem libri II. princ. sic Scipio Aemilianus: *Catonis hoc senis est*, *quem*, *ut scitis*, *unice dilexi maxumeque sum ammiratus cuique vel patris utriusque* (np. *L. Pauli* et eius, a quo adoptatus sum, *Scipionis* Africano geniti) *iudicio vel etiam meo studio me totum ab adulescentia dedidi*; *cuius me numquam satiare potuit oratio*: *tantus erat in homine usus rei publicae*, *quam et domi et militiae quom optume*, *tum etiam diutissume gesserat*, *et modus in dicendo et gravitate mixtus lepos et summum vel discendi studium vel docendi et orationi vita admodum congruens.* Ipse de se ap. Cic. *de sen.* 9, 6. s. sic loquitur: *Quod si ipse exequi nequeas*, *possis tamen Scipioni praecipere et Laelio. Quid enim iucundius senectute*, *stipata studiis iuventutis?*

tonem, C. Gallum, P. Nasicam, Ti. Gracchum, Scipionis nostri socerum, dileximus. Haec etiam magis elucet inter aequalis, ut inter me et Scipionem, L. Furium, P. Rupi-
4 lium, Sp. Mummium. Vicissim autem senes in adulescentium caritate conquiescimus; ut in vestra, ut in Q. Tubero-

---

Gallum] Erf. *Gallium*. De *C. Sulpicio Gallo* v. 2, 11. 6, 3. et Maii annot. ad I. *de re p.* c. 14. pr. Ibid., c. 15. sic de eo loquitur Scipio: *et ipse hominem diligebam et in primis patri meo Paulo probatum et carum fuisse cognoveram.* Suetonius in *vita Terentii* c. 4. Sulpicium Gallum commemorat ut *hominem doctum et qui consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum.*

P. Nasicam] Corculum, Africani Maioris generum, COS. iam a. 591., cum filio Serapione, COS. a. V. 615., eo, qui a. 620. Ti. Gracchum trib. pleb. consobrinum suum oppresserat, confundit Gernh., atque ita senem adulescenti facit aequalem, etiam p. 275. in *add.* ad p. 60., idque eo magis mirum, quod utrumque recte distinxerat Wetzelius et in annot. ad h. l. et in *excursu* p. 299. §. 7, 4. p. 305. §. 8, 3., ex quo pleraque ille excerpsit. V. Vellei. P. II. 3, 1. P. Scipio Corculum censor fuit a. 593. aer. Capit.; idem vir triumphalis, bis princeps senatus lectus. Eximia eius severitas laudatur in Liv. *epit.* IIL. *Nam, quum locatum a censoribus theatrum extrueretur: P. Corn. Nasica auctore* (iterum COS. a. 598.) *tamquam inutile et nociturum publicis moribus ex S. C. destructum est, populusque aliquamdiu stans spectavit.* Cf. Vellei. P. I. 15, 3., quae loca removent chronologicam dubitationem, quam supra 7, 9. f. opposuimus Gernhardi interpretationi verborum *stantes plaudebant.*

Ti.] Erf. *titum* † cum L. *α*, qui *Graccum*, *Scipionis nostri socerum*, sp. Semproniae patrem, eundemque Scipionis Africani superioris generum, Corneliae maritum. — Ed. vet. s. l. † *diligimus.* — *e*->*lucet* † D. 106. — Ed. vet. s. l. † *Rutilium et spurium et numium.* Erf. *spurcum nummium.* L. *α Emilium* > *Mummium.* Vt legimus in I. *de re p.* c. 12. *Spurium Mummium in primis diligebat Scipio.*

§. 4. *conquiescimus*] e L. *α*, ut 6, 5. f., pro volg. *acq.* Saepe permutantur syllabae *ac*, *an*, *o* = *con*, e. c. in compositis ex verbo *quaerendi.*

vestra] Ed. vet. s. l. † *nostra.* Pro iteratis *ut* (> ed. ead.) *in* L. *β* a m. 1. *et.* — Ed. ista: *Q. tubrerionis* †. De *Q. Tuberone*, L. Pauli nepote ex Aemilia, Scipionis Africani sorore, v. A. Maii *prosopographia dialogorum de re publica.* Ei *Africanum avonculum laudanti scripserat C. Laelius laudationem*, ut legimus II. *de or.* 84, 341. f., ubi mendosum praenomen *P.* a Müllero non correctum eo magis mirere, quod ipse citat *Brut.* c. 31. pr., ubi eidem tribuitur verum *Q.* praenomen. Quid, quod Schützius in *indice historico* adeo distinxit, quasi fratres? Alio quodam errore ap. Pomponium in *D.* I. *tit.* 2. *de orig. iur.* fr. 2. §. 40. *Q. Aelius Tubero Stoicus*

nis equidem; etiam admodum adulescentis, P. Rutili, A.
5 Virgini familiaritate delector. Quoniamque ita ratio comparata 'st vitae naturaeque nostrae, ut alia aetas oriatur: ma-

---

Panaee auditor scribitur, ubi haud dubie legendum *Panaetii*. V. annot. ad III. *off.* 15, 62. f. Distinctionem volgo ante *equidem* (Erf. *Et quidem*) positam post hoc voc. retraxi. Nisi me augurium fallit, sic voluit Grn. quoque l. l. p. 302., ut supra 7, 12.; sed oblitus est post, quid sibi placeret, indicare, ut constituerat. Vterque Laelii gener eo anno *aetate quaestorius* fuit, ut memoratur I. *de re p.* c. 12. Q. autem Tubero aetate antecedebat, quum tunc prope abesset a praetura.

admodum] > † Ed. vet. s. l. *adolescentis P. rutulii.* Apocopen Genitivi in hoc certe nomine firmat Erf. scribens *rutili.* Hunc quo modo post Wetzelium adhuc Gernhardus tribunum pleb. facere potuit a. V. 616.; nisi integerrumi *adulescentuli* ambitu corruptus? Ipsa Part. *etiam* gradationem faciens indicat eum nondum fuisse quaestorium. Atque, si fides habenda Asconio ad *divin.* c. 17., Q. Mucii auguris, qui ipse non ante a. V. 625. tribunus pleb. fuit, praetoris Rutilius quaestor fuit a. V. 632., qui annus constat ex II. *de or.* 67, 269. Fuit quidam P. Rutilius, M. F., trib. pleb. a. V. 618. commemoratus ib. I. 40, 181. Sed v. annot. ad II. *off.* 13, 47. pr. Hunc a Laelio laudatum *tribunum pl. factum non esse* testatur Cicero *pro Plancio* c. 21. Scripsit vitam Africani et de bello Numantino, cui hec duce interfuerat tribunus militum a. V. 620. V. Appian. *Hispan.* c. 48. Cic. *de re p.* I. 11., ubi est in Africani familiarissumis. Cf. Ellendt in *hist. eloq. Rom.* ante Cic. *Brutum* p. LIII.

A. Virgini] Erf. *A. verginii.* Ed. vet. s. l. *aulii rutulii.* L. β *C. Virgilii.* L. α < *A.* „Quia unum tantum praenomen adferunt exemplaria, „quae videre mihi contigit, et in uno cod. vetustissimo repe[re]ri[m], *P.* „*Rutili Virginis Augulini;* transpositis voculis, appellationis Romanae „consuetus ordo restituendus, postremumque cognomen depravate prorsus „scriptum, et a Virginiis alienum vel auferendum, vel mutandum videri „poterit in hunc modum: *P. Virginii Rutili A. f.* Patet enim clarissime „ex ipsis hisce verbis, Laelium non de duobus, sed de uno tantum adole„scente loqui." Vinandus Pighius *annal. t.* III. p. 84. ad a. V. 634. Rectius statuere videtur I. A. Ernestus in *clavis Cic. indice histor.* s. n. *A. Virginius* vel in Schützii *ind. histor.* p. 424. Singularis epitheti communiter comprachendit utrumque et aetate parem et eiusdem in iure civili antecessoris P. Mucii pariter alumnum, ut I. *de re p.* 8. ad f. *disputatio, quae mihi tibique quondam adulescentulo est a P. Rutilio Rufo, Zmyrnae quom simul essemus compluris dies, exposita.*

§. 5. *Quoniam*] D. 106. L. α < *que* (Erf. *quae*). bRl. γ *Cumque.* — Ed. vet. s. l. *operata* †. L. β *Quoniam itaque comparanda est ratio* †.

ut alia aetas oriatur] < volgo: *ex alia*, quod additamentum e ol. in ed. vet. s. l. et a. forma max. ap. Lenzium atque inde in alias manasse vi-

xume quidem optandum 'st, ut cum aequalibus possis, qui-
buscum tamquam e carceribus emissus sis, cum eisdem ad
calcem, ut dicitur, pervenire; sed quoniam res humanae fra- 102
giles caducaeque sunt: semper aliqui anquirendi
sunt, quos diligamus et a quibus diligamur.
6 Caritate enim benevolentiaque sublata omnis est e vita subla-
ta iucunditas.

---

detur. Nam neque a nostra ed. vet., h. e. Romana, neque ab ullo cod. ms., quod sciam, agnoscitur. Gernh. *aliam aetatem orientem ex alia* accipit pro singulis aetatis decurrendae partibus, pueritia, adulescentia, media, provecta atque extrema aetate comp. *Cat. Mai.* 10, 33. f. Ego vero *aetatem* interpretor = *saeculum* = *generationem*, ideoque, si quid deesset, desiderarem aliquod oppositionis membrum: *ut alia aetas occidat* (v. *intereat*), *alia or.* Nam occasum et ortum deflorescentium et renascentium aetatum (γενεῶν) notando ita demum *vitae naturaeque humanae ratio* declarabitur, cohaerebitque cum reddita ratione, quod inde colligitur praeceptum: *semper aliquos* (= *alios quos*, h. e. alios post alios) *anquirendos esse amicos.* Praeterea compp. verbis ultimis *Philippicae* XI., *Nihil semper floret; aetas succedit aetati*, apparebit alludi ad versum Homericum *Il. Z*, (VI.) 149. ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει ἡδ' ἀπολήγει, ubi ad exemplum *Il. Σ*, (XIIX.) 595. 597. suspicor legendum ἡ μὲν — ἡ δὲ, h. e. ἄλλη δέ. Fateor enim mihi ab Hermanno annot. 14. extr. ad Viger. non persuasum, versu 147. τὰ pro ἃ dictum esse. Est enim partitio in appositione φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη τηλεθόωσα φύει. Cf. Horat. *A. P.* 61. s. Pacuvius ap. Cic. *de divin.* I. 57. Rusorem significans: '*Indidemque eademque oriuntur de integro atque eodem occidunt;* itemque Ennius de *Ope matre* ap. Varron. *de L. L.* IV. p. 19. Bip. *terreis genteis omneis peperit et resumit denuo.* Nihil tamen h. l. addendum est. Nam diducitur distribuiturque sententia ita, ut suum cuique adiungatur consectarium. Proinde illud ipsum membrum, quod ecspectari potuisse significavimus, deinceps sequitur: *sed quoniam* etc. Significat Laelius, se, si vita suppetat, aliquos, qui adhuc pueruli sint, deinceps in familiaritatem ammissurum.

quidem] L. α *equidem.* — L. β *quibus* < *cum* × ed. vet. s. l. *cum quibus.* — Ed. vet. s. l. *ex.* — L. β † *remissus.* — Pro volg. *iisdem* L. α *eisdem.* — *pervenire* < *possis* L. β. Simili metaphora Aeschylus in *Agamemnone* 44. hunc cum fratre dixit ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδᾶν.

res humanae] × D. 106. *humanae res.* — Erf. *aliqui inquirendi.* D. 106. L. β, bRl. γ, ed. vet. s. l. Eyb: *al. acq.* bRl. s. *al. adq.* × L. α *acquirendi aliqui* et cum ed. vet. s. l. Eyboque *vere* > *quos* < *vere* D. 106.

§. 6. Ed. vet. s. l. *caritateque ac benivolentia* pro volg. *benevolentiaque* > Goth. 117. Comp. obs. ad §. 8. possis suspicari legendum *cari-*

7 Mihi quidem Scipio, quamquam [est] subito ereptus, vivit tamen semperque vivet. Virtutem enim amavi illius viri, quae extincta non est. Nec mihi soli versatur ante
b. oculos, qui illam semper in manibus habui; [sed] etiam posteris erit clara et insignis. Nemo umquam animo aut spe

---

tate enim benevolentiae et deinceps cum excpt. L. *est vitae.* Cf. *off.* I. 3, 7. (§. 9.) *fin.* I. 18, 59. pr. 20, 67. *nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam iucunditatem vitae tenere possumus.* D. 106. *e vita* × *est.* Erf. *sublata* × *e vita.* Ed. vet. s. l. *iucunditas* × *sublata.* C. 22, 6. *iucunditas* absolute ponitur, et 13, 5. variant libri in Praepositione *e* et *de.* Cf. tamen 7, 5. Turbas h. l. fecisse videtur vocabuli *sublata* iterati expulsio expulsique postliminium ac restitutio.

§. 7. *est* > *subito* < L. α, β *est* > *ereptus* < *est* ed. vet. s. l. Recte vero ait, *vivit* (L. α substituit † *nunc*) *tamen semperque vivet*, idque comprobat Cic. *Phil.* IX. c. 5. pr. *Vita enim mortuorum in memoria est posita vivorum.* Tum L. β *semper* > *amavi.* Ed. vet. s. l. *illius viri* × *amavi.* Tacit. *Agric.* 46. *Quicquid ex Agricola amavimus; quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum.*

soli] > Ciz. b. Alius addidit *tantum.* Deinde volgo: *sed* (> Ox. c) *etiam* (> D. 106.) *posteris.* Cf. obs. ad 12, 10. et ad 16, 11. annot. paenult.

in manibus habui] = praesentem vidi. Gernh. Nec vero recte comparari arbitro Gottingensi p. 2050. videtur *Brutus* c. 33. pr., quippe ubi liber lectitari solitus intellegatur; et Bardilius ap. Seebodium l. l. p. 602. s. removet etiam alium locum *lib.* I. *ad famil. ep.* 9. §. 21. Cort. ed., ubi *inimicum meum . . sic in manibus habebant* valet = *summa benevolentia amplexabantur.* Sed eodem modo ad res manifestas transferuntur similes locutiones, ut *manu tenere* in *Bruto* 80, 277. f. = *compertisse manifesto.* Recteque Davisius integram agnovit lectionem I. *N. D.* 19, 49. *qui res occultas et penitus abditas non modo viderit animo, sed etiam sic tractet, ut manu.* Cf. I. *de re p.* 10, 3. *sic affirmat, ut oculis ea cernere videatur aut tractare plane manu.* Pariter ad res, quae nobis propinquae sunt, transfertur *sub manu esse*, ut in Planci ap. Cic. *ad divv.* X. *ep.* 23. §. 5. et in Suetonii *Augusto* 49. *quo celerius ac sub manum* (Wolfio interprete = *statim quum res gerebatur*) *annuntiari cognoscique posset.*

Nemo] < L. β *enim.* — Ed. vet. s. l. *suscipit.* Comparativum *maiora* recte Bardilius l. c. absolute positum accipit, ut, si quid supplendum, subaudiatur *solito*, vel *quam volgo solent.*

maiora suscipiet, quin sibi illius memoriam atque imaginem
8 proponendam putet. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi 103
aut Fortuna aut Natura tribuit, nihil habeo, quod cum ami-
9 citia Scipionis possim comparare. In hac mihi de re publica

---

quin sibi] Sic Ciz. A. pro volg. *qui sibi non* ✕ bRl. γ, ε, ed. vet. s. l. *qui non sibi*. Cf. *pro Plancio* 28, 69. *Numquam illos aspicio, quin per hunc me his conservatum esse meminerim*; fragm. Cic. servatum a Lactantio *instt.* V. 11. a Maio tralatum in l. IV. *de re p.* c. 1. *Nemo 'st, quin emori malit, quam converti in aliquam figuram bestiae.* V. *de fin.* 22, 63. f.

proponendam] „*Imago* proprie *proponitur*, *memoria* repetitur, aut ut §. 28. *usurpatur*. Ita zeugma vides, quo verbum ad posterius e duobus substantivis accommodatur." Gernh. p. 280. in *add.* ad p. 204. Poteris etiam per ἓν διὰ δυοῖν h. l. explicare = *imaginem memoriae traditam.* D. 106. *esse* > *proponendam* (Erf. *praep.*) < *esse* L. β, ed. vet. s. l. > *putet* < *esse* L. α.

§. 8. ✕ L. α *aut* > *natura aut fortuna* ed. vet. s. l. ✕ L. β *aut fort. tribuit aut natura.* Inde vv. *aut natura* suspecta fieri possunt. Sed supra 4, 10. dixerat *se non tam sapientiae fama delectari, quam quod amicitiae suae et Scipionis memoriam speraret sempiternam fore.* Licet autem *famam* istam agnoscere noluerit et profectus ad sapientiam debeatur moribus, tamen ipsa est *naturae bonum* et dotes animi sui hic intellegere potuit Laelius, praesertim quum suam virtutem amicitia Scipionis adiutam significet 9, 4. Cf. 22, 5. s., ubi *omnia naturae bona in amicitia inesse* censentur. — Ed. vet. s. l. * *Scipionis* ✕ *amicitiis* †.

§. 9. Populus Romanus, qui modo in re publica acquiescebat, etiam in amicitiis iungendis id prae ceteris spectabat, ut patriae commodum augeretur et amor in patriam cresceret. Itaque habemus maxuma ex parte exempla amicitiarum, quarum vinculum erat communis consensio partiumque studium, ut est apud Cic. in *or. pro Plancio* 2, 5. *nullum certius* [an *arctius?*] *esse amicitiae vinculum, quam consensum et societatem consiliorum et voluntatum:* quae vv. non solum de communi hominum natura accipienda sunt, sed etiam ipsam cum re publica necessitudinem respiciunt, ut recte observat Car. Ge. Iacobus in *prolegg.* in Luciani *Toxarin* §. VI. p. XXII. Conf. supra 10, 3. Civilis fuit C. Laelii quoque et Scipionis amicitia. Nam quum praestaret sapientia Laelius: nihil admodum in re publica gerebat, nihil moliebatur, nihil suscipiebat Scipio, nisi de consilio et sententia Laelii: unde qui aut tales viros inter se committere aut de Scipionis gloria aliquid deterere ac diminuere volebant, actorem modo esse aiebant Scipionem; sed Laelium poëtam, ut memorat M. Ant. Muretus *VV. LL.* XI. 11., respiciens haud dubie Plutarchi testimonium a nobis ad 14, 10. f. laudatum. Cf. Ellendtii *histor. eloq. Rom.* ante Cic. *Brutum* p. XXVI.

mihi] > Goth. 117. — L. β *et* > *requies pl. delectationis fuit* Erf.

consensus, in hac rerum privatarum consilium, in eadem requies plena oblectationis. Numquam illum ne minuma quidem re offendi, quod quidem senserim; nihil audivi ex eo ipse, quod nollem. Vna domus; idem victus, isque com-

---

Verbum *fuit* in Goth. 117. omissum sponte sua intellegitur, et tempus quidem ex ipso sermone de mortuo intellegitur, ut extr. hac §. *erat.* Hic iam in priore membro ante voc. *consensus* multi inserunt *fuit.* Cf. 4, 9. ibiq. var. lect. H. l. Pyrrhichius in clausula orationis numeros enervat. — bRl. γ *Ego* > *numquam illum* < *ego* bRl. s. — L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. *nec minima.* L. *β in re* × *quidem.*

quod quidem senserim] L. *α q. equidem s.* Sic indefinite Optativo usus loquitur Cic. in *oratore* 7, 23. *Demosthenes vim accommodavit ad eam, quam sentiam, eloquentiam; non ad eam, quam in aliquo ipse cognoverim;* in *Bruto* 17, 65. *quos quidem adhuc invenerim et legerim; de re publ.* I. c. 2. *Nihil enim dicitur a philosophis, quod quidem recte honesteque dicatur, quod ab his par*-[um informa-]*tum confirmatumque sit, a quibus civitatibus iura descripta sunt;* c. 22. *quom in suo quemque opere artificem, qui quidem excellat, nihil aliud . . . curare videam;* VI. 13. (*somn. Scip.* c. 3.) *Nihil est enim . . deo . ., quod quidem in terris fiat, acceptius;* III. *off.* c. 7. f. Cf. Frotscherum, V. Cl., ad Quinctil. *instt.* X. 1, 118. *Eorum, quos viderim, . . . longe praestantissimi;* ib. §. 123. Nam Ammon hic Palaeopolitum in grammat. Lat. §. 166. 4. p. 415. exempla huc pertinentia e Plauti *asin.* I. 1, 32. Cic. *Brut.* 48, 180. pr. 88, 301., ubi in Hortensio laudatur *memoria tanta, — ut, quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset;* Caes. *b. G.* VI. 28, 2. Corn. Nep. V. *Cim.* 4, 3. pr. Liv. XXXVIII. 29. ad f. *Quatuor menses obsidionem Same sustinuit, quum ex paucis cotidie aliqui eorum caderent . . . et, qui superarent, fessi . . . essent:* — ea cum alienissumis exemplis modorum concessivi, permissivi, causalis, consecutivi etc. commiscuit, omnibus discriminibus susque deque habitis, ut vix confusius confundi ventis Libyae sabula perturbantibus omnia, quae olim ad oraculum illud dei cognomen suum capite arietino prae se ferentis ducerent, vestigia potuerint.

nihil] < *enim* D. 106. Erf. ed. vet. s. l. Tum L. *α ab eo tempore*, quae lectio nata e compendio Pronominis *ipse:* quod si acceperis sic, ut valeat = *vicissim;* opus non erit neque cum Gernh. corrigere *ex ipso* neque coniungere *ipse quod nollem* retracto repagulo cum Grz. l. l. p. 315., qui comparat *hoc enim primum minuit consulare ius, quod extitit, ipse qui eo non teneretur* III. *legg.* 7, 16., ubi noviss. Cic. editio stereot. male utique virgulam post *ipse* demum insertam habet.

Vna domus] Goth. 48. Ciz. A. < *erat* volgo: ut modo ante volgo inseritur *fuit.* H. l. *erit idem*<*que* ed. vet. s. l. Deinde pro *isque* ead.

munis: neque solum militia, sed etiam peregrinationes ru-
10 sticationesque communes. Nam quid de studis dicam cogno- 104
scendi semper aliquid atque discendi, in quibus remoti ab
11 oculis populi omne otiosum tempus contrivimus? Quarum
rerum recordatio et memoria si una cum illo occidisset;
desiderium coniunctissumi atque amantissumi viri ferre nullo
12 modo possem. Sed nec illa extincta sunt (aluntur potius et

---

ed. *idque;* L. *β h*>*isdemque* Erf. De communi amicorum victu cf. proverbium illud supra 19,3. laudatum. Hinc Euripidis *Hecuba* scelus Polymnestoris exaggerans hospitalis etiam mensae facit mentionem: *κοινῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμοί*, et Theocritus in *Hyla* de amicis Hercule ac Telamone sic loquitur: *οἱ μίαν ἄμφω ἑταῖροι ἀεὶ δαίνυντο τράπεζαν.* V. Erasmi *adagia chil. I. cent. VI. n. X.* p. 196. ed. Froben.

solum militia] × L. *β*, Erf. *militia solum.* Communis ea fuit in Africa, ubi se Scipioni fuisse legatum memorat Laelius in l. II. *de re p.* c. 40. Cf. Appian. *Pun.* 126. De *rusticationibus* Scipionis Laeliique *communibus* e II. *de or.* c. 6. pr. retulit Valer. Max. VIII. 8, 1.

§. 10. *Nam quid*] D. 106. < volgo: *ego.* Sed nulla hic est oppositio omnisque vis in seqq. Cf. *N. D.* II. 39, 99. pr. *Quid iam de hominum genere dicam?* II. *off.* 4, 15. pr. — Tum id. cod. *aliquid cognoscendi semper* × Erf. *semper al. cogn.* Ed. vet. s. l. < *semper.* Cf. *off.* I. 4, 5. (§. 13. pr.) Sed ib. II. 2, 6. pr. similiter dicuntur philosophi *semper aliquid anquirere.*

in] > D. 106. *quibus.* — Ed. vet. s. l. *otiosum* × *omne.* — D. 106. *attriramus.* De re cf. Scipionis cum Q. Tuberone sermonem in l. I. *de re p.* c. 9. f. et cum Laelio ib. c. 13. *Ac me quidem, ut (Hercule!) etiam te ipsum, Laeli, omnisque auidos sapientiae cognitio ipsa rerum consideratioque delectat. Tum Laelius: Non impedio, praesertim quoniam feriati sumus;* et in primis ib. c. 20. f.

§. 11. × L. *α amantissimi atque coniunctissimi.* Pro *nullo modo* Erf. *non* e simili compendio.

§. 12. *aluntur*] D. 106. Oxx. *ε*, *ψ* < volgo: *que.* Oxx. *η*, *κ sed* > *aluntur.* Ed. vet. s. l. *augent.* Cf. obs. ad h. cap. §. 7. 5, 9, 16, 11. f., ubi tali *ἐπανορθώσει* a librariis item praeponitur *sed.* Copula *que* deleta et multo fortior videtur orationis vis et inter se respondent *nec — et, si* etc., ut ap. Liv. I. 28. *ut nec vobis . . . averteretur a certamine animus et hostibus terror et fuga iniiceretur;* vel *neque — et* ap. Cic. I. *or.* 39, 179. *or. pro Plancio* 28, 69.; *et — nec* ap. Liv. I. 23. *Et ego regem nostrum . . . audisse videor nec te dubito eadem prae te ferre;* it. *et — neque* ap. Cic. *Catil.* III. 8, 20. pr. *de fato* 9, 19. f. *off.* III. 4, 20., ubi v. annot. t. II. p. 215. s.

augentur cogitatione et memoria) et, si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi aetas ipsa solatium: diutius enim iam in hoc desiderio esse non possum; omnia autem brevia tolerabilia [esse debent], etiamsi magna sunt.

13 Haec habui, de amicitia quae dicerem. Vos autem hortor, ut ita virtutem locetis, sine qua amicitia

---

cogitatione] < *mea* ed. vet. s. l. pro < *et.* Iterum *memoria* < *mea* ead. cum Erf. L. *β*. Alia Pronominis addendi causa fuit in *Catil.* III. 11, 26. *Memoria vestra, Quirites, nostrae res alentur, sermonibus crescent, literarum monumentis inveterascent et corroborabuntur.*

afferret] L. *β* a m. 1. cum Erf. *affert;* D. 106. *ferret.* — L. *α* < *ipsa;* L. *β illa* et cum Erf. *solamen.* — L. *β diutinus* (superscr. *diutino*) *tamen in hoc desiderio iam.* — *desiderio* < *vitae* † L. *α.* — *possim* ed. vet. s. l.

esse debent] × Excpt. L. *debent esse.* Gernh. p. 280. in *add.* ad p. 207. interpretatur = debent existumari tolerabilia, seu ea esse, quae tolerari possint. Sed cf. 19, 2. 3. — D. 106. *etsi.* Pro *sunt* bRl. *γ*, *ε*, D. 106. *sint.* Cf. h. cap. §. 2. f. et ad 17, 6. not. antepaen. H. l. Indicativus praestat, praesertim si verba illa membri primarii pro insiticiis habeantur. Cf. *fin.* I. 12, 40. f. Seneca *de ira* lib. III. in f. *Brevia incommoda magno feramus animo. Dum respicimus, quod aiunt, vereamusque nos, iam mortalitas aderit.*

§. 13. Ed. vet. s. l. † *Hoc hominum de* etc. × L. *α quae de amicitia scriberem:* quod verbum itidem in *libri de senectute* clausula cod. Ciz. *C.* substituit pro *dicerem.* Fortasse utroque loco vv. *quae dicerem* interpreti accepta ferunda. Itemque III. *N. D.* c. paenult. in fine: ubi legitur *Haec fere dicere habui de natura deorum* codicum discrepantia suspecta facit vv. *dicere habui*, ultro citro traiecta: quibus demptis subaudietur *dixi* vel *dicta sunto.*

Vos a. hortor] Hunc disputationis epilogum censor Gottingensis l. c. p. 2050. tuetur. Sed hic argumentis iisque fortioribus confirmatus fuerat iam ab ipso Gernh., qui in *add.* p. 280. recte agnovisset, quod item in *Prolegg.* p. XXXIII. disputavit, eodem modo conclusisse sermonem Laelium, quo esset exorsus c. 5, 17. ad f. *Ego vos hortari tantum possum* etc. Ita amicitiam locari in rebus humanis. „Admodum igitur," inquit, „decebat extremo loco virtutis principatum, qua amicitiam gigni in ipso sermone dixerat, constituere his ipsis verbis, quibus sermonem concludit."

locetis] „Sic accipe: *eum virtuti locum adsignetis, ut haec prima sit, amicitia proxima. Ita* enim hic est = *eo loco, eo dignitatis gradu;* quod seqq. satis indicant. *Or. pro Mur.* c. 14. pr. *Phil.* I. 6, 14. f." Waar-

esse non potest, ut ea excepta nihil amicitia praestabilius putetis.

---

denburg in *opuscc. critt.* p. 168. Cf. *de re p.* III, c. 8. *Illorum fuit heroum, eam virtutem* (iustitiam) — *in illo divino solio non longe a sapientia collocare.*

praestabilius] Erf. † *praestolabilius* et cum L. *α*, *β esse* > *putetis.*

Ed. vet. s. l. *M. T. Ciceronis Liber feliciter de Amicitia explicit*:.

EXCVRSVS I.

AD C. 3. §. 8. ET C. 12. §. 5.

VITI THEOPHILI SCHEV

QVONDAM A. M.

DE MORTE SCIPIONIS AFRICANI MINORIS EIVSQVE AVCTORIBVS

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA

(PRIMVM EDITA VITEBERGAE CIƆIƆCCCVIIII. 4.) *)

§. 1.

Continetur fragmento nobilissimo, quod ex omnibus Ciceronis de Republica libris, solum integrum ad nostram usque aetatem servatum est α), inter alia quaedam decreta et placita philosophici argumenti, historica quoque, sed brevis fatorum et factorum Scipionis Aemiliani s. Africani minoris descriptio β). Ita enim Cicero narrat: Scipioni, cum primum *in* Africam venisset, M. [**M'*] Manilio consule, tribunus ad quartam legionem, nihil potius fuisse, quam ut Masinissam conveniret, regem eius [**suae**] familiae amicissimum. A quo cum honorificentissime ac regio apparatu acceptus esset, sermonem deinde in multam noctem produxisse, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaque non facta solum, sed etiam dicta meminisset. Deinde, ut cubitum discessissent, Scipionem et de via fessum, et qui ad multam noctem vigilasset, arctiorem somnum complexum esse. Hinc ex eo, quod erant locuti, Scipionem avum in somnio nepoti

---

*) Editoris annotationes literis Graecis aliarumque uncis inclusa additamenta asteriscis indicantur.

α) *E libro VI. c. 10. — 26.

β) *Cf. *Ad somnium Scipionis* [c. 2. vel *l. VI. de re publ.* sect. 11. s.] *monita auctore Godofr. Ernesto Groddeck*, Professore Vilnensi. Vilnae excud. Zawadzki 1814. 4 mai. Illustrantur hoc libello virtutes quoque Africani Minoris, praeeunte Laelio 3, 6.

se ostendisse, ea forma, quae isti ex imagine erat notissima, atque admonito nepote, ut omitteret timorem et, quae dicturus esset, memoriae traderet, primum de Carthagine, biennio per eum p. 2.
consulem evertenda, certiorem eum reddidisse; deinde vero haec addidisse verba: *Cum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris, censor [*que*] fueris, et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, deligere iterum consul absens, bellumque maximum conficies. Numantiam exscindes. Sed cum eris curru Capitolium invectus, offendes rempublicam perturbatam consiliis nepotis mei. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii consiliique tui. Sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. Nam cum aetas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit —: in te unum, atque in tuum nomen se tota convertet civitas; te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus; ac ne multa, dictator rempublicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris.*

§. 2.

Quae quidem verba, quae propterea laudare integra non dubitavimus, quod rem, de qua in hac dissertatione paulo accuratius dicendum erit, clarius quam plerisque aliis locis Ciceronis exprimunt, quanquam de morte Scipionis eiusque auctoribus opinionem contineant, et Ciceronis aetate, et postera etiam satis vulgatam: tamen, inprimis ob familiam Gracchorum ingenuam, praeclaram et ab omni flagitio alienissimam (nam de hac h. l. potissimum cogitari, non est, ut moneamus lectorem;) semper offensionem aliquam apud nos somnium legentes, habuerunt. Hinc, ut fit, dubitatio non quidem de verborum fide, sed de ipsius narrationis probabilitate suborta; cuius removendae causa, cum primum omnium recentiorum hac de re libros inspiceremus, plerosque quidem invenimus criminationes hasce omnes, omissis adeo aut repudiatis omnibus locis et argumentis, quae ad defendendam Gracchorum familiam valent, repetere, et, quae veteres dubitanter dixere, pro certis et indubitatis venditare 1), alios p. 3.

---

1) Referendi huc Freinshemius in *supplementis ad Livium lib.* 59. [* c. 79. *] pag. 1120. etc. ed. Drakenb. Rollin *Histoire Romaine, Volume troisième, livre* 28. §. 1. p. 581 — 583.

On ne peut pas douter, que cet attentat n'ait été l'ouvrage de la faction des Gracques, et il est difficile de croire, que Caius n'y ait point eu de part, vu que tous ceux, qui étoient le plus étroitement liés avec lui en ont été violemment soupçonnés.

cautiores aut in probabilitate subsistere 2), aut omnem rem in suspicione relinquere 3).

§. 3.

Iam cum per recentiores dubitationes nostras minime removeri posse animadverteremus, operae pretium videbatur, omnem rem, collectis iterum et inter se comparatis veterum scriptorum locis, novo examini subiicere, eo potissimum consilio, ut partim, quantum fieri posset, et Gracchorum familia a maximo crimine, quod ei ob Scipionem nefaria vi sublatum tamdiu obiectum est, solveretur, partim omnino quaestio de Scipionis morte, de qua iam illis temporibus, quae propius aberant a Scipionis aetate tam diversae diversorum erant sententiae et dicta, repetita tractatione, quantum liceret, ad liquidum perduceretur.

§. 4.

p. 4. Nam si certis et idoneis argumentis probari posset, C. Gracchum eiusque matrem et sororem 4) quocunque tandem modo Scipionis, affinis sui, mortem vi acceleravisse, et, cum vi aperta eum aggredi non possent, vel etiam non auderent, subdole et clandestinis artibus virum illius aetatis summum ac de patria meritissimum e medio sustulisse, quanquam non suae utilitatis causa, sed patriae servandae studio eiusmodi facinus patrasse existimandi essent: esset tamen profecto haud parum [*profecto multum*] iis laudibus detrahendum, quas et animi et morum integritati, et consiliorum sanctitati inter veteres Sallustius et ipse Plutarchus 5) et inter recentiores plures idonei rerum iudices non immerito, ut opinamur, non Tiberio solum magis moderato

---

Auctor Vol. XI. *der allgemeinen Welthistorie, die in England durch eine Gesellschaft von Gelehrten ausgefertigt worden — übersetzt durchgesehen und vermehrt durch Siegmund Iacob Baumgarten. Halle* 1751. 4. „*So starb Scipio endlich gar eines gewaltsamen Todes in Rom selbst.*“

2) Beck, *Anleitung zur allgem. Welt- und Völkergeschichte.* Vol. II. pag. 162. Goldsmith, *Geschichte der Römer, übersetzt und ergänzt von L. Theob. Kosegarten*, 1. *Band. Neue Aufl.* 1805.

3) *Geschichte der Gracchischen Unruhen in der Röm. Republik von D. H. Hegewisch, Hamb.* 1801. 8. p. 115. Ferguson, *Geschichte der Röm. Republik, übersetzt mit Anm. von Chr. D. Beck, I. Band.*

4) P. Orosius Hist. lib. V. c. 8. *sceleratam* eam appellat familiam. —

5) Bell. Iug. c. XLII. Plut. in C. Graccho [* c. XVIII. p. 843. ed. Frcf. *] Vol. IV. p. 679. ex Reiskii edit. qui eum τῆς καθ᾽ αὐτὸν ἡλικίας ἀρετῇ καὶ δόξῃ πεπρωτευκότα dicit fuisse.

illi, sed Caio quoque, fervidioris ingenii viro, tribuere non dubitarunt.

§. 5.

Accedere autem quaestioni propositae inde quoque videtur gravitas quaedam et pondus, quod virum suae aetatis facile primarium eodem ipso tempore fatis functum videmus (anno V. C. 624.), quo respublica Rom. iterum intestinis discordiis et motibus civium vehementissimis et acerrimis exagitata laboraret; unde quanta festinatione et quam praecipitanter continentia et moderatio veterum Romanorum ad pessimas quasque artes sit delapsa, quantum studium patriae servandae et augendae, propriae utilitatis studio, avaritiae, ambitioni, luxuriae optimatum potissimum cesserit, et quomodo Romani, vario scelere, et publico et privato, ipsi in suam ipsorum perniciem ruerint: id quidem omnes norunt, qui aliquam tantum et levem rerum a Romanis, et in bello et in toga gestarum, cognitionem sibi paraverunt.

§. 6.

In tali vero atque tantae gravitatis historiae Rom. periodo, p. 5.
quae plurimorum, quae sequentibus temporibus Romanis et tristissima et maxime funesta acciderunt, semina quasi continet et causas; quisque concedet, nec ea spernenda esse atque vi sua carere, quae primo forsitan adspectu leviora et singulari disquisitione vix digna videri possint.

Quare et nos de Scipionis Aemiliani morte quaestionem laudatam, inprimis cum difficultatibus criticis haud contemnendis implicita sit, et aliquid saltem ad motuum per Gracchos exci[*-*ta*-*]torum rationem, virorumque istorum magnorum ingenium paulo apertius declarandum et liberius diiudicandum faciat, non indignam iudicavimus, quam singulari commentario retractatam virorum doctorum iudicio proponeremus.

Ad hanc autem quaestionem recte instituendam atque illustrandam, pauca praefari liceat de iis, quae mortem Scipionis proxime praecesserint.

§. 7.

Et Scipionis quidem Africani aetas extrema in ea tempora incidit, quibus deleta Carthagine et debellatis Numantinis, ab hostium exterorum metu liberata Respublica Rom. intimis civium suorum motibus ac discordiis maiori etiam periculo et calamitate premi coepit. Scipio autem, qui ex omnibus, quibus interfuit, et quae ipse gessit, bellis, semper victor magna cum gloria discesserat, atque duo gravissima bella felicissime composuerat, mi-

nime eadem fortuna usus est in deprimendis internis, qui putabantur, civitatis hostibus et publicae salutis adversariis. Versabatur autem adhuc in Hispania, Numantia iam (a. V. C. 621.) destructa cum Scipione Nasica duce Senatuque factum comprobante primum in cives a civibus fustibus ac sanguine est saevitum, cumque Tiberius Gracchus cum trecentis amicorum, a populo, vel insolentia facti obstupefacto, vel quod iam tum tali non amplius esset dignus defensore, derelictus, nefaria opti-
p. 6. matum vi e medio est sublatus γ). Attamen sublato auctore legis agrariae, nondum ipsa lex sublata erat. Lis sub iudice manebat, vel potius magis quam umquam ante iudicem desiderabat.

Is vero Romae tum quidem non est inventus; neque enim ullus reperiebatur, qui ad tantas turbas componendas vel idonea auctoritate polleret, vel iis virtutibus ornatus esset, ut sperare possent cives Romani, fore, ut cuique parti suum ea, qua par esset, aequitate tribueret.

§. 8.

In Scipione Aemiliano vero, qui tum in eo erat, ut ex Hispania Romam reverteretur (a. V. C. 623.), omnes, de quibus monitum est, virtutes egregia coniunctione convenire existimabantur: et sane is erat, in quem unum et in cuius nomen se tota converteret civitas, quem Senatus, quem socii, quem Latini intuerentur, in quo uno civitatis salus niti putaretur 6). Hinc etiam facile intelligi potest, utriusque partis studium in eo positum fuisse, ut talem virum ad suas partes traheret atque causae suae patronum redderet.

Et populus quidem Romanus, qui tanta Scipionem benevolentia complexus fuerat, ut, tametsi neque aetas illius neque leges paterentur, nihilominus Consulem suffragiis suis declarare omni studio contenderet 7), non temere sperare potuit, fore, ut,

---

γ) * Immo A. V. DCXX., nondum deleta Numantia. V. *Brut.* 28, 107. I. *off.* 22, 76. extr. cum annotatione.

6) *Somn. Scip.* c. 2. Diod. Sic. Excerpta Tom. II. pag. 586. edit. Wessel. [* Scipionem de Numantinis Romae iam A. V. 621. m. Decembri triumphasse probabiliter disserit Pigh. in *annal.* t. III. p. 12. s. et 15. Posteaque tertiam legationem obierat cum Sp. Mummio anno ante obitum. V. Reiskium *ad auctores graecos* t. II. p. 477. et Ang. Maii ad Cic. *l. III. de re publica* c. 35. annot. paenult. Contentiones autem agrariae per totum illud tempus trahebantur. V. Henr. Caroli Reiffii *Geschichte der Röm. Bürgerkriege vom Anfange der Gracchischen Unruhen* etc. vol. I. (Berol. et Stettini ap. Nicol. 1825.) comment. 2. p. 17. ss.*]

7) Diod. Sic. ibid. pag. 591. Epit. Liv. 59. [* 56. *]

in quem tanta et tam multa beneficia sponte contulisset, is suarum quoque rerum aequum ac benevolum patronum se praeberet. Augere poterat hanc spem non affinitatis solum sed amicitiae etiam vinculum, quae Scipioni cum Tib. Graccho fuerat; quod porro ipse Laelius, familiar[*i*]um Scipionis sapientissimus, quem Scipio ipse in omnibus fere consiliis, adhibuit, quanquam frustra, pauperes adversus opulentiorum crudelitatem tueri conatus erat 8). Denique cum Scipio, ut tum erant tempora, minime inter divites referri posset, neque nova agrorum divisione ullo pacto imminui, vel hoc argumento sperare laeti poterant cives pauperiores, futurum, ut ab illorum potius quam ab opulentiorum partibus staret, quorum luxuriam, superbiam, ferociam virum, qui inde ab adolescentia ab ista communi potentium labe incolumem et purum sese servaverat, auctoritate sua tuiturum atque confirmaturum esse, per se non probabile erat.

§. 9.

At vero Scipio hanc populi spem statim ab initio pessime fefellit et praecidit. Scilicet optimates de rebus nuper Romae patratis mox vel per litteras vel misso nuntio certiorem fecerant Scipionem, forsitan ad praeoccupandum eius favorem, vel ut inuidiam facti a se averterent. Ille, accepto de Tib. Gracchi morte nuntio, quid de ea sentiret, statim admodum perspicue declaravit Homerico versu (Od. α, 47.):

ὣς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι! δ)

Qua quidem edita exclamatione non amplius latere potuit quorumnam partes in posterum esset secuturus, et Romam paulo post reversus, revera etiam et factis, quo animo esset erga populum, satis clare aperuit.

---

8) Plut. *Tib. Gracchus* [* c. VIII. p. 827. ed. Frcf. *] pag. 622. ed. Reisk., quo ex loco etiam apparet, a quibus et cur Laelius cognomen Sapientis acceperit: *ἐπεχείρησε μὲν οὖν τῇ διορθώσει Γάϊος Λαίλιος, ὁ Σκιπίωνος ἑταῖρος· ἀντικρουσάντων δὲ τῶν δυνατῶν, φοβηθεὶς τὸν θόρυβον καὶ παυσάμενος, ἐπεκλήθη σοφὸς, ἢ φρόνιμος.*

δ) * V. Plutarchus in *vita Tib. Gracchi* extr. Ad C. Gracchum, Tiberii fratrem atque sectatorem et in re publica miscenda aemulum, hunc versum olim indefinitius a se adhibitum accommodare vel voti vel vaticinii instar videtur Scipio ap. Cic. in fragmento *libri IV.* vel potius *VI. de re publica* servato ap. Nonium voc. *Auguro* p. 469. *Cui quidem utinam vere fideliter abunde ante auguraverim!* quam nostram coniecturam et interpretationem enarrat Moserus ad l. IV. c. 7. p. 430. lat. sinistr.

consensus, in hac rerum privatarum consilium, in eadem requies plena oblectationis. Numquam illum ne minuma quidem re offendi, quod quidem senserim; nihil audivi ex eo ipse, quod nollem. Vna domus; idem victus, isque com-

---

Verbum *fuit* in Goth. 117. omissum sponte sua intellegitur, et tempus quidem ex ipso sermone de mortuo intellegitur, ut extr. hac §. *erat*. Hic iam in priore membro ante voc. *consensus* multi inserunt *fuit*. Cf. 4, 9. ibiq. var. lect. H. l. Pyrrhichius in clausula orationis numeros enervat. — bRl. γ *Ego* > *numquam illum* < *ego* bRl. *s.* — L. *α*, *β*, ed. vet. s. l. *nec minima.* L. *β in re* × *quidem.*

quod quidem senserim] L. *α q. equidem s.* Sic indefinite Optativo usus loquitur Cic. in *oratore* 7, 23. *Demosthenes vim accommodavit ad eam, quam sentiam, eloquentiam; non ad eam, quam in aliquo ipse cognoverim;* in *Bruto* 17, 65. *quos quidem adhuc invenerim et legerim;* de *re publ.* I. c. 2. *Nihil enim dicitur a philosophis, quod quidem recte honesteque dicatur, quod ab his par-*[um informa-]*tum confirmatumque sit, a quibus civitatibus iura descripta sunt;* c. 22. *quom in suo quemque opere artificem, qui quidem excellat, nihil aliud . . . curare videam;* VI. 13. (*somn. Scip.* c. 3.) *Nihil est enim . . deo . ., quod quidem in terris fiat, acceptius;* III. *off.* c. 7. f. Cf. Frotscherum, V. Cl., ad Quinctil. *instt.* X. 1, 118. *Eorum, quos viderim, . . . longe praestantissimi;* ib. §. 123. Nam Ammon hic Palaeopolitum in grammat. Lat. §. 166. 4. p. 415. exempla huc pertinentia e Plauti *asin.* I. 1, 32. Cic. *Brut.* 48, 180. pr. 88, 301., ubi in Hortensio laudatur *memoria tanta, — ut, quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset;* Caes. *b. G.* VI. 28, 2. Corn. Nep. V. *Cim.* 4, 3. pr. Liv. XXXVIII. 29. ad f. *Quatuor menses obsidionem Same sustinuit, quum ex paucis cotidie aliqui eorum caderent . . . et, qui superarent, fessi . . . essent:* — ea cum alienissumis exemplis modorum concessivi, permissivi, causalis, consecutivi etc. commiscuit, omnibus discriminibus susque deque habitis, ut vix confusius confundi ventis Libyae sabula perturbantibus omnia, quae olim ad oraculum illud dei cognomen suum capite arietino prae se ferentis ducerent, vestigia potuerint.

nihil] < *enim* D. 106. Erf. ed. vet. s. l. Tum L. *α ab eo tempore*, quae lectio nata e compendio Pronominis *ipse:* quod si acceperis sic, ut valeat = *vicissim;* opus non erit neque cum Gernh. corrigere *ex ipso* neque coniungere *ipse quod nollem* retracto repagulo cum Grz. l. l. p. 315., qui comparat *hoc enim primum minuit consulare ius, quod extitit, ipse qui eo non teneretur* III. *legg.* 7, 16., ubi noviss. Cic. editio stereot. male utique virgulam post *ipse* demum insertam habet.

Vna domus] Goth. 48. Ciz. A. < *erat* volgo: ut modo ante volgo inseritur *fuit.* H. l. *erit idem*<*que* ed. vet. s. l. Deinde pro *isque* ead.

munis: neque solum militia, sed etiam peregrinationes ru-
10 sticationesque communes. Nam quid de studis dicam cogno- 104
scendi semper aliquid atque discendi, in quibus remoti ab
11 oculis populi omne otiosum tempus contrivimus? Quarum
rerum recordatio et memoria si una cum illo occidisset:
desiderium coniunctissumi atque amantissumi viri ferre nullo
12 modo possem. Sed nec illa extincta sunt (aluntur potius et

---

ed. *idque;* L. β h>*isdemque* Erf. De communi amicorum victu cf. proverbium illud supra 19,3. laudatum. Hinc Euripidis *Hecuba* scelus Polymnestoris exaggerans hospitalis etiam mensae facit mentionem: *κοινῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμοί*, et Theocritus in *Hyla* de amicis Hercule ac Telamone sic loquitur: *οἱ μίαν ἄμφω ἑταῖροι ἀεὶ δαίνυντο τράπεζαν.* V. Erasmi *adagia chil. I. cent. VI. n. X.* p. 196. ed. Froben.

solum militia] × L. β, Erf. *militia solum.* Communis ea fuit in Africa, ubi se Scipioni fuisse legatum memorat Laelius in l. II. *de re p.* c. 40. Cf. Appian. *Pun.* 126. De *rusticationibus* Scipionis Laeliique *communibus* e II. *de or.* c. 6. pr. retulit Valer. Max. VIII. 8, 1.

§. 10. *Nam quid*] D. 106. < volgo: *ego.* Sed nulla hic est oppositio omnisque vis in seqq. Cf. *N. D.* II. 39, 99. pr. *Quid iam de hominum genere dicam?* II. *off.* 4, 15. pr. — Tum id. cod. *aliquid cognoscendi semper* × Erf. *semper al. cogn.* Ed. vet. s. l. < *semper.* Cf. *off.* I. 4, 5. (§. 13. pr.) Sed ib. II. 2, 6. pr. similiter dicuntur philosophi *semper aliquid anquirere.*

in] > D. 106. *quibus.* — Ed. vet. s. l. *otiosum* × *omne.* — D. 106. *attriramus.* De re cf. Scipionis cum Q. Tuberone sermonem in l. I. *de re p.* c. 9. f. et cum Laelio ib. c. 13. *Ac me quidem, ut (Hercule!) etiam te ipsum, Laeli, omnisque auidos sapientiae cognitio ipsa rerum consideratioque delectat. Tum Laelius: Non impedio, praesertim quoniam feriati sumus;* et in primis ib. c. 20. f.

§. 11. × L. α *amantissimi atque coniunctissimi.* Pro *nullo modo* Erf. *non* e simili compendio.

§. 12. *aluntur*] D. 106. Oxx. ε, ψ < volgo: *que.* Oxx. η, κ *sed* > *aluntur.* Ed. vet. s. l. *augent.* Cf. obs. ad h. cap. §. 7. 5, 9. 16, 11. f., ubi tali ἐπανορθώσει a librariis item praeponitur *sed.* Copula *que* deleta et multo fortior videtur orationis vis et inter se respondent *nec — et, si* etc., ut ap. Liv. I. 28. *ut nec vobis . . . averteretur a certamine animus et hostibus terror et fuga iniiceretur;* vel *neque — et* ap. Cic. I. *or.* 39, 179. *or. pro Plancio* 28, 69.; *et — nec* ap. Liv. I. 23. *Et ego regem nostrum . . . audisse videor nec te dubito eadem prae te ferre;* it. *et — neque* ap. Cic. *Catil.* III. 8, 20. pr. *de fato* 9, 19. f. *off.* III. 4, 20., ubi v. annot. t. II. p. 215. s.

augentur cogitatione et memoria) et, si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi aetas ipsa solatium: diutius enim iam in hoc desiderio esse non possum; omnia autem brevia tolerabilia [esse debent], etiamsi magna sunt.

13 Haec habui, de amicitia quae dicerem. Vos autem hortor, ut ita virtutem locetis, sine qua amicitia

---

cogitatione] < *mea* ed. vet. s. l. pro < *et.* Iterum *memoria* < *mea* ead. cum Erf. L. *β*. Alia Pronominis addendi causa fuit in *Catil.* III. 11, 26. *Memoria vestra, Quirites, nostrae res alentur, sermonibus crescent, literarum monumentis inveterascent et corroborabuntur.*

afferret] L. *β* a m. 1. cum Erf. *affert*; D. 106. *ferret.* — L. *α* < *ipsa*; L. *β illa* et cum Erf. *solamen.* — L. *β diutinus* (superscr. *diutine*) *t a m e n in hoc desiderio i a m.* — *desiderio* < *vitae* † L. *α*. — *possim* ed. vet. s. l.

esse debent] ✕ Excpt. L. *debent esse.* Gernh. p. 280. in *add.* ad p. 207. interpretatur = debent existumari tolerabilia, seu ea esse, quae tolerari possint. Sed cf. 19, 2. 3. — D. 106. *etsi.* Pro *sunt* bRl. *γ*, *ε*, D. 106. *sint.* Cf. h. cap. §. 2. f. et ad 17, 6. not. antepaen. H. l. Indicativus praestat, praesertim si verba illa membri primarii pro insiticiis habeantur. Cf. *fin.* I. 12, 40. f. Seneca *de ira* lib. III. in f. *Brevia incommoda magno feramus animo. Dum respicimus, quod aiunt, versamusque nos, iam mortalitas aderit.*

§. 13. Ed. vet. s. l. † *Hoc hominum de* etc. ✕ L. *α q u a e de amicitia s c r i b e r e m:* quod verbum itidem in *libri de senectute* clausula cod. Ciz. *C.* substituit pro *dicerem.* Fortasse utroque loco vv. *quae dicerem* interpreti accepta ferunda. Itemque III. *N. D.* c. paenult. in fine: ubi legitur *Haec fere d i c e r e h a b u i de natura deorum* codicum discrepantia suspecta facit vv. *dicere habui*, ultro citro traiecta: quibus demptis subaudietur *dixi* vel *dicta sunto.*

Vos a. hortor] Hunc disputationis epilogum censor Gottingensis l. c. p. 2050. tuetur. Sed hic argumentis iisque fortioribus confirmatus fuerat iam ab ipso Gernh., qui in *add.* p. 280. recte agnovisset, quod item in *Prolegg.* p. XXXIII. disputavit, eodem modo conclusisse sermonem Laelium, quo esset exorsus c. 5, 17. ad f. *Ego vos hortari tantum possum* etc. Ita amicitiam locari in rebus humanis. „Admodum igitur," inquit, „decebat extremo loco virtutis principatum, qua amicitiam gigni in ipso sermone dixerat, constituere his ipsis verbis, quibus sermonem concludit."

locetis] „Sic accipe: *eum virtuti locum adsignetis, ut haec prima sit, amicitia proxima. I t a* enim hic est = *eo loco, eo dignitatis gradu;* quod seqq. satis indicant. *Or. pro Mur.* c. 14. pr. *Phil.* I. 6, 14. f." Waar-

esse non potest, ut ea excepta nihil amicitia praestabilius putetis.

---

denburg in *opuscc. critt.* p. 168. Cf. *de re p.* III. c. 8. *Illorum fuit heroum, eam virtutem* (iustitiam) — *in illo divino solio non longe a sapientia collocare.*

praestabilius] Erf. † *praestolabilius* et cum L. *α*, *β* esse > putetis.

Ed. vet. s. l. *M. T. Ciceronis Liber feliciter de Amicitia explicit:*

EXCVRSVS I.

AD C. 3. §. 8. ET C. 12. §. 5.

VITI THEOPHILI SCHEV

QVONDAM A. M.

DE MORTE SCIPIONIS AFRICANI MINORIS EIVSQVE AVCTORIBVS

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA

(PRIMVM EDITA VITEBERGAE CIƆIƆCCCVIIII. 4.) *)

§. 1.

Continetur fragmento nobilissimo, quod ex omnibus Ciceronis de Republica libris, solum integrum ad nostram usque aetatem servatum est α), inter alia quaedam decreta et placita philosophici argumenti, historica quoque, sed brevis fatorum et factorum Scipionis Aemiliani s. Africani minoris descriptio β). Ita enim Cicero narrat: Scipioni, cum primum *in* Africam venisset, M. [*M'*] Manilio consule, tribunus ad quartam legionem, nihil potius fuisse, quam ut Masinissam conveniret, regem eius [*suae*] familiae amicissimum. A quo cum honorificentissime ac regio apparatu acceptus esset, sermonem deinde in multam noctem produxisse, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaque non facta solum, sed etiam dicta meminisset. Deinde, ut cubitum discessissent, Scipionem et de via fessum, et qui ad multam noctem vigilasset, arctiorem somnum complexum esse. Hinc ex eo, quod erant locuti, Scipionem avum in somnio nepoti

---

*) Editoris annotationes literis Graecis aliarumque uncis inclusa additamenta asteriscis indicantur.

α) *E libro VI. c. 10. — 26.

β) *Cf. *Ad somnium Scipionis* [c. 2. vel *l. VI. de re publ.* sect. 11. s.] *monita auctore Godofr. Ernesto Groddeck*, Professore Vilnensi. Vilnae excud. Zawadzki 1814. 4 mai. Illustrantur hoc libello virtutes quoque Africani Minoris, praeeunte Laelio 3, 6.

se ostendisse, ea forma, quae isti ex imagine erat notissima, atque admonito nepote, ut omitteret timorem et, quae dicturus esset, memoriae traderet, primum de Carthagine, biennio per eum p. 2. consulem evertenda, certiorem eum reddidisse; deinde vero haec addidisse verba: *Cum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris, censor [*que*] fueris, et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, deligére iterum consul absens, bellumque maximum conficies. Numantiam excindes. Sed cum eris curru Capitolium invectus, offendes rempublicam perturbatam consiliis nepotis mei. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii consiliique tui. Sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. Nam, cum aetas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit —: in te unum, atque in tuum nomen se tota convertet civitas; te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus; ac ne multa, dictator rempublicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris.*

§. 2.

Quae quidem verba, quae propterea laudare integra non dubitavimus, quod rem, de qua in hac dissertatione paulo accuratius dicendum erit, clarius quam plerisque aliis locis Ciceronis exprimunt, quanquam de morte Scipionis, eiusque auctoribus opinionem contineant, et Ciceronis aetate, et postera etiam satis vulgatam: tamen, inprimis ob familiam Gracchorum, ingenuam, praeclaram et ab omni flagitio alienissimam (nam de hac h. l. potissimum cogitari, non est, ut moneamus lectorem;) semper offensionem aliquam apud nos somnium legentes, habuerunt. Hinc, ut fit, dubitatio non quidem de verborum fide, sed de ipsius narrationis probabilitate suborta; cuius removendae causa, cum primum omnium recentiorum hac de re libros inspiceremus, plerosque quidem invenimus criminationes hasce omnes, omissis adeo aut repudiatis omnibus locis et argumentis, quae ad defendendam Gracchorum familiam valent, repetere, et, quae veteres dubitanter dixere, pro certis et indubitatis venditare 1), alios p. 3.

1) Referendi huc Freinshemius in *supplementis ad Livium lib.* 59. [* c. 79. *] pag. 1120. etc. ed. Drakenb. Rollin *Histoire Romaine, Volume troisième, livre* 28. §. 1. p. 581 — 583.

On ne peut pas douter, que cet attentat n'ait été l'ouvrage de la faction des Gracques, et il est difficile de croire, que Caius n'y ait point eu de part, vu que tous ceux, qui étoient le plus étroitement liés avec lui en ont été violemment soupçonnés.

cautiores aut in probabilitate subsistere 2), aut omnem rem in suspicione relinquere 3).

§. 3.

Iam cum per recentiores dubitationes nostras minime removeri posse animadverteremus, operae pretium videbatur, omnem rem, collectis iterum et inter se comparatis veterum scriptorum locis, novo examini subiicere, eo potissimum consilio, ut partim, quantum fieri posset, et Gracchorum familia a maximo crimine, quod ei ob Scipionem nefaria vi sublatum tamdiu obiectum est, solveretur, partim omnino quaestio de Scipionis morte, de qua iam illis temporibus, quae propius aberant a Scipionis aetate tam diversae diversorum erant sententiae et dicta, repetita tractatione, quantum liceret, ad liquidum perduceretur.

§. 4.

p. 4. Nam si certis et idoneis argumentis probari posset, C. Gracchum eiusque matrem et sororem 4) quocunque tandem modo Scipionis, affinis sui, mortem vi acceleravisse, et, cum vi aperta eum aggredi non possent, vel etiam non auderent, subdole et clandestinis artibus virum illius aetatis summum ac de patria meritissimum e medio sustulisse, quanquam non suae utilitatis causa, sed patriae servandae studio eiusmodi facinus patrasse existimandi essent: esset tamen profecto haud parum [* *profecto multum* *] iis laudibus detrahendum, quas et animi et morum integritati, et consiliorum sanctitati inter veteres Sallustius et ipse Plutarchus 5) et inter recentiores plures idonei rerum iudices non immerito, ut opinamur, non Tiberio solum magis moderato

---

Auctor Vol. XI. *der allgemeinen Welthistorie, die in England durch eine Gesellschaft von Gelehrten ausgefertigt worden — übersetzt durchgesehen und vermehrt durch Siegmund Iacob Baumgarten. Halle* 1751. 4. *„So starb Scipio endlich gar eines gewaltsamen Todes in Rom selbst.“*

2) Beck, *Anleitung zur allgem. Welt- und Völkergeschichte.* Vol. II. pag. 162. Goldsmith, *Geschichte der Römer, übersetzt und ergänzt von L. Theob. Kosegarten, 1. Band. Neue Aufl.* 1805.

3) *Geschichte der Gracchischen Unruhen in der Röm. Republik von D. H. Hegewisch, Hamb.* 1801. 8. p. 115. Ferguson, *Geschichte der Röm. Republik, übersetzt mit Anm. von Chr. D. Beck, I. Band.*

4) P. Orosius Hist. lib. V. c. 8. *sceleratam* eam appellat familiam. —

5) Bell. Iug. c. XLII. Plut. in C. Graccho [* c. XVIII. p. 843. ed. Frcf. *] Vol. IV. p. 679. ex Reiskii edit. qui eum τῆς καθ᾽ αὐτὸν ἡλικίας ἀρετῇ καὶ δόξῃ πεπρωτευκότα dicit fuisse.

illi, sed Caio quoque, fervidioris ingenii viro, tribuere non dubitarunt.

§. 5.

Accedere autem quaestioni propositae inde quoque videtur gravitas quaedam et pondus, quod virum suae aetatis facile primarium eodem ipso tempore fatis functum videmus (anno V. C. 624.), quo respublica Rom. iterum intestinis discordiis et motibus civium vehementissimis et acerrimis exagitata laboraret; unde quanta festinatione et quam praecipitanter continentia et moderatio veterum Romanorum ad pessimas quasque artes sit delapsa, quantum studium patriae servandae et augendae, propriae utilitatis studio, avaritiae, ambitioni, luxuriae optimatum potissimum cesserit, et quomodo Romani, vario scelere, et publico et privato, ipsi in suam ipsorum perniciem ruerint: id quidem omnes norunt, qui aliquam tantum et levem rerum a Romanis, et in bello et in toga gestarum, cognitionem sibi paraverunt.

§. 6.

In tali vero atque tantae gravitatis historiae Rom. periodo, p. 5. quae plurimorum, quae sequentibus temporibus Romanis et tristissima et maxime funesta acciderunt, semina quasi continet et causas, quisque concedet, nec ea spernenda esse atque vi sua carere, quae primo forsitan adspectu leviora et singulari disquisitione vix digna videri possint.

Quare et nos de Scipionis Aemiliani morte quaestionem laudatam, inprimis cum difficultatibus criticis haud contemnendis implicita sit, et aliquid saltem ad motuum per Gracchos exci[*-*ta*-*] torum rationem, virorumque istorum magnorum ingenium paulo apertius declarandum et liberius diiudicandum faciat, non indignam iudicavimus, quam singulari commentario retractatam virorum doctorum iudicio proponeremus.

Ad hanc autem quaestionem recte instituendam atque illustrandam, pauca praefari liceat de iis, quae mortem Scipionis proxime praecesserint.

§. 7.

Et Scipionis quidem Africani aetas extrema in ea tempora incidit, quibus deleta Carthagine et debellatis Numantinis, ab hostium exterorum metu liberata Respublica Rom. intimis civium suorum motibus ac discordiis maiori etiam periculo et calamitate premi coepit. Scipio autem, qui ex omnibus, quibus interfuit, et quae ipse gessit, bellis, semper victor magna cum gloria discesserat, atque duo gravissima bella felicissime composuerat, mi-

cautiores aut in probabilitate subsistere 2), aut omnem rem in suspicione relinquere 3).

§. 3.

Iam cum per recentiores dubitationes nostras minime removeri posse animadverteremus, operae pretium videbatur, omnem rem, collectis iterum et inter se comparatis veterum scriptorum locis, novo examini subiicere, eo potissimum consilio, ut partim, quantum fieri posset, et Gracchorum familia a maximo crimine, quod ei ob Scipionem nefaria vi sublatum tamdiu obiectum est, solveretur, partim omnino quaestio de Scipionis morte, de qua iam illis temporibus, quae propius aberant a Scipionis aetate tam diversae diversorum erant sententiae et dicta, repetita tractatione, quantum liceret, ad liquidum perduceretur.

§. 4.

p. 4. Nam si certis et idoneis argumentis probari posset, C. Gracchum eiusque matrem et sororem 4) quocunque tandem modo Scipionis, affinis sui, mortem vi acceleravisse, et, cum vi aperta eum aggredi non possent, vel etiam non auderent, subdole et clandestinis artibus virum illius aetatis summum ac de patria meritissimum e medio sustulisse, quanquam non suae utilitatis caussa, sed patriae servandae studio eiusmodi facinus patrasse existimandi essent: esset tamen profecto haud parum [* *profecto multum* *] iis laudibus detrahendum, quas et animi et morum integritati, et consiliorum sanctitati inter veteres Sallustius et ipse Plutarchus 5) et inter recentiores plures idonei rerum iudices non immerito, ut opinamur, non Tiberio solum magis moderato

---

Auctor Vol. XI. *der allgemeinen Welthistorie, die in England durch eine Gesellschaft von Gelehrten ausgefertigt worden — übersetzt durchgesehen und vermehrt durch* ***Siegmund Iacob Baumgarten.*** *Halle* 1751. 4. „*So starb Scipio endlich gar eines gewaltsamen Todes in Rom selbst.*"

2) **Beck**, *Anleitung zur allgem. Welt- und Völkergeschichte.* Vol. II. pag. 162. **Goldsmith**, *Geschichte der Römer, übersetzt und ergänzt von* ***L. Theob. Kosegarten***, 1. *Band. Neue Aufl.* 1805.

3) *Geschichte der Gracchischen Unruhen in der Röm. Republik von* D. ***H. Hegewisch***, *Hamb.* 1801. 8. p. 115. **Ferguson**, *Geschichte der Röm. Republik, übersetzt mit Anm. von* ***Chr. D. Beck***, *I. Band.*

4) P. Orosius Hist. lib. V. c. 8. *sceleratam* eam appellat familiam. —

5) Bell. Iug. c. XLII. Plut. in C. Graccho [* c. XVIII. p. 843. ed. Frcf. *] Vol. IV. p. 679. ex Reiskii edit. qui eum τῆς καθ᾽ αὑτὸν ἡλικίας ἀρετῇ καὶ δόξῃ πεπρωτευκότα dicit fuisse.

illi, sed Caio quoque, fervidioris ingenii viro, tribuere non dubitarunt.

§. 5.

Accedere autem quaestioni propositae inde quoque videtur gravitas quaedam et pondus, quod virum suae aetatis facile primarium eodem ipso tempore fatis functum videmus (anno V. C. 624.), quo respublica Rom. iterum intestinis discordiis et motibus civium vehementissimis et acerrimis exagitata laboraret; unde quanta festinatione et quam praecipitanter continentia et moderatio veterum Romanorum ad pessimas quasque artes sit delapsa, quantum studium patriae servandae et augendae, propriae utilitatis studio, avaritiae, ambitioni, luxuriae optimatum potissimum cesserit, et quomodo Romani, vario scelere, et publico et privato, ipsi in suam ipsorum perniciem ruerint: id quidem omnes norunt, qui aliquam tantum et levem rerum a Romanis, et in bello et in toga gestarum, cognitionem sibi paraverunt.

§. 6.

In tali vero atque tantae gravitatis historiae Rom. periodo, p. 5.
quae plurimorum, quae sequentibus temporibus Romanis et tristissima et maxime funesta acciderunt, semina quasi continet et causas; quisque concedet, nec ea spernenda esse atque vi sua carere, quae primo forsitan adspectu leviora et singulari disquisitione vix digna videri possint.

Quare et nos de Scipionis Aemiliani morte quaestionem laudatam, inprimis cum difficultatibus criticis haud contemnendis implicita sit, et aliquid saltem ad motuum per Gracchos exci[*-ta-*] torum rationem, virorumque istorum magnorum ingenium paulo apertius declarandum et liberius diiudicandum faciat, non indignam iudicavimus, quam singulari commentario retractatam virorum doctorum iudicio proponeremus.

Ad hanc autem quaestionem recte instituendam atque illustrandam, pauca praefari liceat de iis, quae mortem Scipionis proxime praecesserint.

§. 7.

Et Scipionis quidem Africani aetas extrema in ea tempora incidit, quibus deleta Carthagine et debellatis Numantinis, ab hostium exterorum metu liberata Respublica Rom. intimis civium suorum motibus ac discordiis maiori etiam periculo et calamitate premi coepit. Scipio autem, qui ex omnibus, quibus interfuit, et quae ipse gessit, bellis, semper victor magna cum gloria discesserat, atque duo gravissima bella felicissime composuerat, mi-

nime eadem fortuna usus est in deprimendis internis, qui putabantur, civitatis hostibus et publicae salutis adversariis. Versabatur autem adhuc in Hispania, Numantia iam (a. V. C. 621.) destructa cum Scipione Nasica duce Senatuque factum comprobante primum in cives a civibus fustibus ac sanguine est saevitum, cumque Tiberius Gracchus cum trecentis amicorum, a populo, vel insolentia facti obstupefacto, vel quod iam tum tali non amplius esset dignus defensore, derelictus, nefaria optimatum vi e medio est sublatus y). Attamen sublato auctore legis agrariae, nondum ipsa lex sublata erat. Lis sub iudice manebat, vel potius magis quam umquam ante iudicem desiderabat.

p. 6.

Is vero Romae tum quidem non est inventus; neque enim ullus reperiebatur, qui ad tantas turbas componendas vel idonea auctoritate polleret, vel iis virtutibus ornatus esset, ut sperare possent cives Romani, fore, ut cuique parti suum ea, qua par esset, aequitate tribueret.

§. 8.

In Scipione Aemiliano vero, qui tum in eo erat, ut ex Hispania Romam reverteretur (a. V. C. 623.), omnes, de quibus monitum est, virtutes egregia coniunctione convenire existimabantur: et sane is erat, in quem unum et in cuius nomen se tota converteret civitas, quem Senatus, quem socii, quem Latini intuerentur, in quo uno civitatis salus niti putaretur 6). Hinc etiam facile intelligi potest, utriusque partis studium in eo positum fuisse, ut talem virum ad suas partes traheret atque causae suae patronum redderet.

Et populus quidem Romanus, qui tanta Scipionem benevolentia complexus fuerat, ut, tametsi neque aetas illius neque leges paterentur, nihilominus Consulem suffragiis suis declarare omni studio contenderet 7), non temere sperare potuit, fore, ut,

---

y) *Immo A. V. DCXX., nondum deleta Numantia. V. *Brut.* 28, 107. I. *off.* 22, 76. extr. cum annotatione.

6) *Somn. Scip.* c. 2. Diod. Sic. Excerpta Tom. II. pag. 586. edit. Wessel. [*Scipionem de Numantinis Romae iam A. V. 621. m. Decembri triumphasse probabiliter disserit Pigh. in *annal.* t. III. p. 12. s. et 15. Posteaque tertiam legationem obierat cum Sp. Mummio anno ante obitum. V. Reiskium *ad auctores graecos* t. II. p. 477. et Ang. Maii ad Cic. *l. III. de re publica* c. 35. annot. paenult. Contentiones autem agrariae per totum illud tempus trahebantur. V. Henr. Caroli Reiffii *Geschichte der Röm. Bürgerkriege vom Anfange der Gracchischen Unruhen* etc. vol. I. (Berol. et Stettini ap. Nicol. 1825.) comment. 2. p. 17. ss.*]

7) Diod. Sic. ibid. pag. 591. Epit. Liv. 59. [*56.*]

in quem tanta et tam multa beneficia sponte contulisset, is suarum quoque rerum aequum ac benevolum patronum se praeberet. Augere poterat hanc spem non affinitatis solum sed amicitiae etiam vinculum, quae Scipioni cum Tib. Graccho fuerat; quod porro ipse Laelius, familiar[*i*]um Scipionis sapientissimus, quem Scipio ipse in omnibus fere consiliis, adhibuit, quanquam frustra, pauperes adversus opulentiorum crudelitatem tueri conatus erat 8). Denique cum Scipio, ut tum erant tempora, minime inter divites referri posset, neque nova agrorum divisione ullo pacto imminui, vel hoc argumento sperare laeti poterant cives pauperiores, futurum, ut ab illorum potius quam ab opulentiorum partibus staret, quorum luxuriam, superbiam, ferociam virum, qui inde ab adolescentia ab ista communi potentium labe incolumem et purum sese servaverat, auctoritate sua tuiturum atque confirmaturum esse, per se non probabile erat.

§. 9.

At vero Scipio hanc populi spem statim ab initio pessime fefellit et praecidit. Scilicet optimates de rebus nuper Romae patratis mox vel per litteras vel misso nuntio certiorem fecerant Scipionem, forsitan ad praeoccupandum eius favorem, vel ut inuidiam facti a se averterent. Ille, accepto de Tib. Gracchi morte nuntio, quid de ea sentiret, statim admodum perspicue declaravit Homerico versu (Od. α, 47.):

ὣς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι! δ)

Qua quidem edita exclamatione non amplius latere potuit quorumnam partes in posterum esset secuturus, et Romam paulo post reversus, revera etiam et factis, quo animo esset erga populum, satis clare aperuit.

---

8) Plut. *Tib. Gracchus* [* c. VIII. p. 827. ed. Frcf. *] pag. 622. ed. Reisk., quo ex loco etiam apparet, a quibus et cur Laelius cognomen S a p i e n t i s acceperit: *ἐπεχείρησε μὲν οὖν τῇ διορθώσει Γάϊος Λαίλιος, ὁ Σκιπίωνος ἑταῖρος· ἀντικρουσάντων δὲ τῶν δυνατῶν, φοβηθεὶς τὸν θόρυβον καὶ παυσάμενος, ἐπεκλήθη σ ο φ ὸ ς, ἢ φ ρ ό ν ι μ ο ς.*

δ) * V. Plutarchus in *vita Tib. Gracchi* extr. Ad C. Gracchum, Tiberii fratrem atque sectatorem et in re publica miscenda aemulum, hunc versum olim indefinitius a se adhibitum accommodare vel voti vel vaticinii instar videtur Scipio ap. Cic. in fragmento *libri IV.* vel potius *VI. de re publica* servato ap. Nonium voc. *Auguro* p. 469. *Cui quidem utinam vere fideliter abunde ante auguraverim!* quam nostram coniecturam et interpretationem enarrat Moserus ad l. IV. c. 7. p. 430. lat. sinistr.

§. 10.

Etenim triumviri C. Gracchus, C. Carbo et M. Fulvius dividundis agris constituti, cum edicto triumvirali indices possessionum publicassent, omnia mox querelis et turbis effervescere coeperunt. Nimirum, ut fit in eiusmodi negotiis, ipsa natura sua difficilioribus et invidiosis, cum avaritia hominum tangitur, nemo contentus erat, neque divites tantum iacturam bonorum
p. 8. graviter ferebant, sed et pauperes, qui agros accipiebant illis ereptos, varias querelarum causas inveniebant.

§. 11.

In tali rerum praesentium statu, cum nihil propemodum tota Italia satis certum tutumve cuiquam haberetur, divites quidem Romani et sociorum plurimi ad Scipionem Africanum confugerunt, fidem eius adversus iniqua triumvirorum iudicia implorantes. Ille tum gratia orantium, quorum virtutem superioribus bellis perspexerat, tum aequitate causae permotus, vel etiam, quod plebis fortunam augeri nollet, defensionem eorum non detrectavit, et non ita multo post Senatui auctor exstitit, non abrogandae quidem legis agrariae, (nam id non audebat, quanquam desiderare videbatur,) populi indignationem metuens, sed ut negotium agrorum dividendorum, a triumviris plerisque suspectis ad quoscunque alios transferret. Idque etiam facile Senatui persuasit. Itaque Consul C. Sempronius Tuditanus causas possessorum cognoscere a Senatu iussus est, sed hic rem aggressus, quum statim ab initio perdifficilem animadverteret, praetextu Illyrici belli, quod sibi decretum a Senatu fuerat, in provinciam abiit 9).

§. 12.

Iam vero, cum et triumviri, nemine ab eis ius petente in otio degerent, et consul, cuius ea cognitio esse debebat, Roma relicta, in provinciam abiisset, omnis agraria res eo videbatur devenisse, ut oblivioni traderetur. Cuius rei cum Scipio auctor haberetur, magnum inde populi erga illum odium ortum est, quippe quem solum fere triumviris adversari 10), ac sociorum magis Italicorum saluti quam populo consuluisse arbitraretur. Et fuerunt qui vociferarentur, decrevisse Scipionem omnem legem
p. 9. agrariam tollere, non sine armis et caedibus 11). Neque improbabile est, hanc plebis indignationem per triumviros nutritam,

9) Cf. Appian. *de bellis civ.* [* I. c. 19. *] p. 616. ed. Tollii.
10) Liv. epit. 59.
11) Appian. ibidem.

atque variis sermonibus, in vulgum sparsis, auctam fuisse *). At vero Scipio, quod, qui de eius vita scripserunt, plerique consulto praeteriisse silentio videntur, non pauca ipse fecisse ad excitandum atque ulterius inflammandum et propagandum adversariorum odium putandus est. Fuit enim, quod Hegewischius 12) non incommode animadvertit, ea indole, ut, quae sentiret, minime reprimere posset, sed statim proderet, nulla nec hominum nec temporum habita ratione. Proinde, cum aliquando in concionem populi venisset, interroganti C. Carboni 13) *quid de Ti. Gracchi*

---

*) * Cf. locum *libri I. de re publica* c. 19. supra p. 119. s. ascriptum. Ibid. I. c. 9., ubi Q. Tubero cum Africano avonculo sic loquitur: *te permagnum 'st nancisci otiosum, hoc praesertim motu rei publicae*, in Moseri editione p. 43. haec legitur A. Maii annotatio: „Disputatur scilicet eo „tempore, quo C. Gracchus triumviratum [Ita scrib., non *tribunatum.* Er„rat enim ipse Cic. de amic. XII. quando quidem eo tempore triumvir, non „tribunus, C. Gracchus erat. A. Mai. in Emm.“ * Ibi pro eo, quod editor scripserat, *tribunatum*, iubetur corrigi *triumviratum:* unde satis absurde Moserus sic correxit, intactis ceteris. *] „gerebat turbulentissimum (quem „commemorat apud Tullium Laelius, paucis diebus post obitum Scipionis de „amicitia disserens cap. XII.)“ Parum verecunde interpres doctissumus, ut ἀναχρονισμόν, in quem ipse imprudenter incidisset, corrigeret, ἀναχρονισμοῦ arguere conatus est ipsum Ciceronem, qui quam longissume a tam foedo et turpi errore abest. Vtique C. Gracchus tum non dum fuit trib. pleb. At vero non eiusdem anni tribunum fecit Laelius *de am.* 12, 6.; sed, qua vir sapiens fuit providentia, non solum quod erat ante pedes spectans, sed longius prospiciens et de posteritate solicitus (v. c. 12, 3. 12.), futurum eius tribunatum, quantopere rem publicam labefacturus esset, praesagiebat, sic loquens: *De C. autem Gracchi tribunatu quid expectem, non libet augurari*, et perbene rem iam expediverat Wetzelius, cuius Italo Tullianae rei publicae instauratori videlicet non innotuit animadversio haec: „triumvir enim agris dividundis omnia in urbe perturbaverat et mi„scuerat hoc ipso anno, quo Laelius haec disserit (vid. exc. §. 9. *d.*), i. e. „a. u. 624., quem ipse definierat supra c. 1, 7. et 14. et c. 2, 6. Errat „igitur C. Langius, qui ad c. 11, 16. [* corr. 13. *] annum u. c. 630. hunc „esse, nescio quibus rationibus seductus, putaverit. Nec Laelius dicit, „quomodo ille tribunatum, quasi illum iam sit adeptus, sit administraturus, „sed quomodo, si quando adeptus fuerit, sit gesturus. Sic certe temporis „habita ratione, explicandum censeo.“ Eodem modo explicavit et Langii errorem correxit Gernhardus quoque.

12) Libro laudato p. 116. quo loco etiam aliquot dicta Africani, exempli causa commemorata leguntur.

13) Vell. Paterc. II. 4, 4. Plutarchus vero eandem quaestionem C. Graccho et M. Fulvio tribuit in vita Gracchorum. [* Secundum Liv. *epit.*

caede sentiret? respondit: *iure caesum* 14) et cum omnis concio ac[**suc**]clamasset, h. e. dissensum atque indignationem declarasset, contumeliosam addidit vocem: Hostium armatorum totiens clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca Italia 15)? Orto deinde murmure, Non efficietis, ait, ut solutos verear, quos alligatos adduxi et sub corona vendidi 16). Et Valerius quidem universum tum populum iterum ab uno contumeliose correptum narrat, actutum tacuisse auctoritate victoris Numantiae tactum. Sed Plutarchus 17) maiori probabilitate contrarium affert, exclamasse factionis Gracchanae p. 10. homines; tolli tyrannum oportere. At Scipio: Recte hoc quidem, inquit, nam hostes patriae optare mortem meam debent, quia sciunt, neque me vivere, nisi republica incolumi, posse, neque me vivo, rempublicam defensore cariturum 18). Quibus verbis, quidnam republica incolumi [*„*re p. inc.*“, quid*] cogitavisset, ex iis, quae antea dixerat atque fecerat, satis apparebat.

§. 13.

Ita vero mutuis dictis contumeliosis invicem magis etiam incensis animis, fieri non aliter potuit, quin postea acerbius etiam in eum inveherentur triumviri, qui eos ipsos, qui plebem, qui et ipsum Tiberii nomen tam graviter laeserat. Hinc quum pridie mortis suae, a M. Fulvio pro rostris conviciis esset pro-

---

LIX. *P. Africanus* hoc dixit *in gravissuma oratione* (memorata *Laelio* 25, 8.), *qua, quum Carbo tribunus plebis rogationem tulisset, ut eumdem tribunum plebis, quoties vellet, creari liceret, rogationem eius dissuasit, Graccho contra suadente rogationem, tenueratque.* Videtur igitur Scipio semel audenter dictum quavis occasione constanter perseveranterque iterando confirmasse. V. annot. ad II. *offic.* c. 12. extr.*]

14) Aurel. Victor *de vir. illustr.* 58. *ob res gestas superbus*, addit, *Gracchum iure caesum videri respondit.* Cf. etiam Cic. *de orat.* II, 5. [* 25, 4. §. 106.*] et *pro Milon.* 3.

15) Plut. *Apophthegmata* [* n. XXII. p. 201. *F.**] Vol. VI. p. 760. ed. Reisk. Val. Max. lib. VI. c. 2. §. 3. [* De hoc dicto v., sis, I. F. Gronovii *obss.* III. 11. et P. Wesselingii *obss.* I. 1.*]

16) Val. Max. loco laudato. Aur. Victor. 58. [* §. 3. Polyaen. VIII. 16. 5.*]

17) Plutarch. *Apophth.* l. c. [* n. XXIII. Nec vero adversatur Valerii testimonio. Non enim unam eamdemque utriusque dicti occasionem Plutarchus refert. Postremum in concione pridie mortis dictum crediderim equidem.*]

18) Plut. l. *Apophth.* c.

scissus 19), animo ut videtur magis quam antea depresso, *Malam sibi rependi gratiam laborum, pro republica susceptorum, ab improbis et ingratis civibus*, conquestus, simulque pro concione de salutis suae periculo contestatus est, ut Orosius refert 20). Hinc ad vesperam, senatu dimisso, domum reductus a patribus conscriptis, a populi Romani sociis et Latinis pridie quam excessit [*e*] uita 21), postridie mane in cubiculo repertus est mortuus 22).

§. 14.

In tali rerum, quae proxime antecesserant, statu, cum pridie, quam diem obiit, non dissimulavisset Scipio, quanta in sollicitudine versaretur, cumque fortis atque validus, ut Livius refert, domum se recepisset, mortis celeritas profecto non potuit non suspecta videri ab initio omnibus, ad quorum aures eiusdem nuntius pervenit. Inde etiam neminem mirum habebit, non fato properam, sed dolo ac vi acceleratam eam, qui crederent, haud paucos exstitisse 23), atque sequentibus etiam temporibus eandem opinionem apud plerosque, qui de Scipionis fato ultimo memoriae prodiderunt scriptores, praevaluisse. p. 11.

Nos quidem in omni re tractanda ita versabimur, ut primum ipsa veterum scriptorum testimonia et argumenta recenseamus et illustremus, deinde vero de eorum fide, gravitate et vi, quid iudicandum sit, quaeramus.

Est autem eorum, quae de morte Scipionis exposuerunt scriptores, duplex potissimum ratio. Alii enim nefaria vi sublatum Scipionem memorant, alii fato functum esse tradunt.

Qui de priori genere mortis monent, ipsi quoque ratione, qua e medio sublatus sit, inter se discrepant. Commemorantur autem triplicis generis rumores et suspiciones.

---

19) Plut. *C. Gracchus* Vol. VI. p. 666. [* p. 839. C. c. X. *]

20) Paul. Orosii *Historiar.* lib. V. c. 8.

21) Cic. *Laelius* c. 3. [* §. 9. *]

22) Liv. *epit.* 59. Vell. Pat. l. c. Orosius l. l.

23) Hinc Metellus Macedonicus, cum interemtum Scipionem conclamari audisset, in publicum se proripuit, moestoque vultu et voce confusa, *Concurrite, concurrite*, inquit, *cives, moenia urbis nostrae eversa sunt. Scipioni enim Africano intra suos penates quiescenti nefaria vis illata est.* Cf. Val. Max. 10, 1. 12. [* Extat l. IV., non X. *Nefaria* vis mihi ibi suspecta est, quamvis nefaria fuerit. Auctor sum quaestionis habendae de nocturna subscriptore ipso Cic. *pro Mil.* 7, 16., a quo Valerius subornatus est. Cf. infra annot. 32. *]

§. 15.

Et primum quidem fama ferebat, veneno periisse Scipionem, cuius famae unicum testem reperimus Livium, loco saepe indicato 24).

§. 16.

Aliam vero Velleius famam affert hanc: mortuum repertum esse mane in lectulo Scipionem ita, ut elisarum faucium in cervice quaedam reperirentur notae; qua cum fama rumor congruit, a Plutarcho et Appiano memoriae servatus: Africanum nocturno tempore per ignotos quosdam homines suffocatum fuisse 25).

§. 17.

p. 12. Tertius denique rumor ferebat, notas in cadavere Africani vulnerum ac plagarum conspicuas fuisse 26). Cui tamen rumori aperte obest disertum Appiani testimonium, qui verbis certis et perspicuis declarat, repertum esse Africanum mortuum sine vulnere 27).

§. 18.

Sed nec defuerunt iam mature, qui contrarium contenderent: et fuerunt quidem alii, qui mortem sibi ipsum adtulisse Scipionem vellent, alii, qui fato eum mortuum esse affirmarent. Priorum sententiam Plutarchus affert, monens fuisse, qui veneno sibimet ipsum mortem conscivisse dicerent 28); et Appianus, qui tamen modum non definit, quo sibi vim adtulisse Scipio existimatus est.

---

24) Epit. 59. *Suspecta fuit, tanquam ei venenum dedisset, Sempronia uxor.*

25) Vell. Paterc. loco cit. Appian. *de bell. civ. libr.* I. [* c. 20. *] p. 617. ed. Tollii. Plutarch. *Romul.* [* c. 27. *] Vol. I. p. 137. ed. Reisk. *οἱ δὲ λέγουσιν, τοὺς ἐχθροὺς τὴν ἀναπνοὴν ἀπολαβεῖν αὐτοῦ, νύκτωρ παρεισπεσόντας.*

26) Plutarch. *C. Gracch.* l. c. *ὅτε Σκιπίων Ἀφρικανὸς ἐξ οὐδενὸς αἰτίου προφανοῦς ἐτελεύτησε, καὶ σημεῖά τινα τῷ νεκρῷ πληγῶν καὶ βίας ἐπιδραμεῖν ἔδοξεν.*

27) Appian. l. indicato: *νεκρὸς ἄνευ τραύματος εὑρέθη.*

28) Plutarch. *Romul.* l. l. *οἱ δ' αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ φαρμάκοις ἀποθανεῖν.*

§. 19.

Eorum vero, qui fato functum Africanum contenderent, idem Plutarchus meminit. Fuisse, inquit, qui eum, quum infirma esset valetudine, casu et sine ulla externa vi mortem obiisse dicerent 29). Quam sententiam quodam modo confirmant verba Velleii, plures fuisse, qui fatalem mortem Scipionem obiisse memoria prodidissent.

§. 20.

Alii denique veteres scriptores modum, quo Scipio sublatus sit e medio, plane non definiunt, sed simpliciter interfectum et oppressum esse monent. Id quod praeter reliquos inprimis Ciceronem facere animadvertimus 30).

§. 21.

Iam vero ex his omnibus, quos invenire potuimus, locis lau- p. 13.
datis et collectis primum id apparet, omnia, quae de mortis genere Scipionis in utramque partem priscis iam, atque ab ea, qua vixit Africanus aetate, minime remotis temporibus, disputata ac divulgata fuerint, non niti, nisi suspicionibus ac rumoribus. Hae vero suspiciones tantum abest, ut consentiant inter se, ut in diversissimas partes abeant, atque haud raro aliae adeo ceteris aperte repugnent. Inde etiam patet, quam ob causam, quotiescunque veteres in hanc rem incidunt, semper de ea ambigue atque dubitanter loquantur, atque ab omni eius diiudicatione abstineant. Nempe cum certa atque explorata argumenta exstarent nulla, quibus iudicium atque sententiam suam hac de re fulcirent atque firmarent, difficillimum erat, cum utriusque sententiae adversarii adessent, eam rem ut certam affirmare, quae tantis et tam multis laboraret difficultatibus. Augebatur etiam rei diiudicandae difficultas eo, quod nulla plane quaestio publica de morte Africani habita est 31), neque privatae quaestionis, cuius

---

29) Plutarch. *Rom.* l. c. *ἀλλ᾽ οἱ μὲν αὐτομάτως, ὄντα φύσει νοσώδη, καμεῖν λέγουσιν.* Vell. Pat. II, 4.

30) *De fato* c. 9. [* §. 17. cf. infra annot. 32. *] Val. Max. V, 3. 2. *raptorem spiritus domi invenit.* [* Id. VIII. 15, 4. extr. Cic. X. *ad Att. ep.* 8. p. 794. ed. Nobb. maior. *non fuisset illa nox tam acerba Africano .., si nihil fefellisset.* *N. D.* III. 32, 80. *Cur Africanum domestici parietes non texerunt?* *]

31) Cic. *pro Mil.* c. VII. *Num igitur ulla quaestio de Africani morte lata est? Certe nulla.* Liv. *Epit.* 59. Plutarch. *Rom.* l. c. *οὐκ ἔσχε πίστιν οὐδ᾽ ἔλεγχον ὁ τρόπος τῆς τελευτῆς.* [* Sed rectius alii exhibent *πί-*

apud Appianum mentio iniicitur 32), de servis habitae ea vis erat, ut certi aliquid inde extorqueri posset. Quae quum ita sint, etiam recentioribus non ultra progrediendum erat, quam quo antiquiores scriptores progressi sunt. Unde et nos lubenter fatemur, externis quidem argumentis, quae dicunt, vel veterum
p. 14. hac de re testimoniis nihil effici et definiri posse, atque si de iis tantummodo quaeratur, omnem de genere mortis Scipionis quaestionem in dubio relinquendam esse.

στιν, h. e. *fidem certam; constantem opinionem:* ut sententia haec sit: *τὰ ἀναποδείκτως καὶ ἀνελέγκτως λεγόμενα περὶ τοῦ τρόπου τῆς τελευτῆς οὐκ ἔσχε πίστιν.* *] et *C. Gracch.* l. ind. Val. Max. V, 3. 2. *mortis punitorem in foro non reperit.* Vell. Pat. II. 4.

32) Atque hic liceat de nonnullis Ciceronis locis pauca adspergere, quoniam vidimus maiorem iis tributam esse a pluribus interpretibus vim, quam vere iis inesse videatur. Scilicet quoties de auctoribus caedis Africani Tullius loquitur, toties etiam caesum Africanum eo ipso declarare videtur. Quid? quod interdum tam confidenter de hac caede loquitur, quasi nulla plane dubitatio obversaretur. Memorabilis hinc locus *Orat. pro Milon.* c. VII., ubi talia verba leguntur. „*Quantum luctum in hac urbe fuisse, a patribus nostris accepimus, cum P. Africano domi suae quiescenti illa nocturna vis esset illata! Quis tum non gemuit? quis non arsit dolore, quem immortalem, si fieri posset, omnes cuperent, eius ne necessariam quidem exspectatam esse mortem?*" In quibus primum omnium tenendum, oratorem loqui, non historicum scriptorem; in oratore autem non omnia ad vivum resecanda, nonnulla consilio oratoris, quod in persuadendo versatur, concedenda esse, facile quisque concedet. Deinde, si vel maxime iis, quae loco allato monentur, fidem habere placeat, repugnaret ei et omnis illius temporis historia et disertum Appiani testimonium, qui quidem scriptor, loco haud semel iam indicato, diserte monet: tanto plus valuisse praesentem indignationem, quam gratiam praeteritam, ut vir, imperio Romano utilissimus, ne publice quidem funeratus esset. Nisi forte aliquis τὸ [* ? vocabulum *] *omnes*, ad patres conscriptos, ad socios et Latinos opulentiores referre maluerit. At vero, quomodo eiusmodi loca Ciceronis explicanda sint, Cicero ipse quodammodo ostendit alio loco, ubi non obiter hanc rem tangit, sed consulto eam exponit. Est autem ille locus in *dialogo de amicitia* c. III. §. 8.: unde non obscure apparet, non solum bene notam fuisse Ciceroni eorum opinionem, qui fato obiisse Africanum dicerent, verum etiam non omnino improbabilem; nam alioquin de inimicorum scelere aliqua saltem interponere verba non omissurus fuisset. [* Verumtamen formula *difficile dictu 'st* videtur significare formidinem dicendi aperte de re, quae vindicanda capitalem contentionem adduceret cum facinoris auctoribus, hominibus quam maxume popularibus. Et, quae hic omisit Laelius, certe subindicat 12, 5. V. infra annot. 49. *]

§. 22.

Alia res est, si paulo ulterius quaerendo progrediamur, atque de interna rei probabilitate videamus. Atque hic, quanquam primo quidem adspectu sane non omnino improbabilis haberi possit suspicio eorum, qui veterum scriptorum longe plurimorum auctoritate et consensu quasi sustentati ac defensi, nefaria vi sublatum Africanum esse adfirmant: fatemur tamen, nos quidem per Freinshemii et aliorum decreta a contraria eorum, qui sponte sumtam ab Africano mortem, aut qui fato functum eum traderent, sententia nondum plane deterritos esse. Etenim, quod illi p. 15.
de suis addiderunt, inimicos sponte sumtum a Scipione exitum vulgasse, id sine ulla veterum auctoritate contendunt, et quae in fine narrationis breviter adiunxit Freinshemius verba: quo minus credas auctoribus, qui fato functum Scipionem tradiderunt, non scripsisset vir doctus, si de causis etiam cogitasset, quae eorum sententiae favent, neque iusto maiorem probandi vim in narratorum vulgaris suspicionis numero quaesivisset.

§. 23.

Iam quod ad priorum, qui Africanum morte voluntaria obiisse produnt, opinionem attinet, Appianus, qui solus eam exponit, simul etiam argumentum et causam refert, quare sponte illum diem suum obiisse crederetur. Nimirum sibimet ipsum conscivisse mortem, quod se, quae promisisset, praestare posse diffideret 33). Ad quam opinionem firmandam, nonnihil valere id videri potest, quod idem Appianus paulo ante refert, Scipionem, cum vespere in cubiculum se recepisset, tabellas secum tulisse, quibus noctu scriberet, quae pro concione dicere pararet.

Hinc non inepte colligi potest, cum secum iterum reputaret, quanto odio eum plebs persequeretur, quam parum senatus auctoritas nunc quidem adversus tribunorum et triumvirorum eloquentiam et potentiam valeret, cum denique certaminis acerbitas et conviciorum multitudo, quibus eodem ipso die pro concione a Fulvio petitus ac dilaceratus esset, sponte in mentem recurreret, neque inveniret, quo pacto odium atque inuidiam, latius quotidie propagatam, evitaret et averteret, eum, omni laetioris rerum suarum eventus spe deposita, vel veneno sumto, vel laqueo vitam ipsum et sponte finiisse. Posset etiam ad tuen- p. 16.
dam istam opinionem cum aliqua probabilitate afferri hoc, quod

33) Appian. l. c. εἴθ', ὡς ἔνιοι δοκοῦσιν, ἑκὼν ἀπέθανε, συνιδὼν, ὅτι οὐκ ἔσοιτο δυνατὸς κατασχεῖν, ὧν ὑπόσχοιτο.

Scipio, qui familiariter utebatur Panaetio, stoicae disciplinae philosopho, de *αὐτοχειρίᾳ* quoque non Platonicum sed stoicae familiae tenuerit decretum, et ob id vitam quoque suam tum finiendam statuerit, quum et sibi molesta esse inciperet, minimeque honorifica, aliis vero fructuosa esse desineret 34). Romanis autem iam ante quam stoicorum decreta apud eos invaluissent, *αὐτοχειρίαν* nec inhonestam neque inusitatam fuisse et satis constat, et videre licet ex Ciceronis *de senectute* libello 35).

§. 24.

At nolumus in ista opinione defendenda diutius haerere; prae- [*magis*] placet enim altera ratio, et Scipioni mortem fato allatam esse nobis verisimilius videtur.

Sunt autem plures causae, quae nos ad hanc sententiam tuendam commoveant. Quarum unam, eamque non levissimam in eo esse existimamus, quod Scipio tum temporis, quum redux ex Hispania factus, ad civiles motus componendos animum adverteret, a senectute iam haud procul aberat. Excessit enim vita anno aetatis quinquagesimo sexto, vel, ut alii metam eius aetatis ponunt 36), quinquagesimo quarto. Vitam autem degerat inde ab adolescentia laboribus, molestiis ac periculis plenam. Nam pluribus bellis suum officium reipublicae praestiterat; legatus populi Romani obierat Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam; Carthaginem, imperii Romani aemulam, non sine maximo labore deleverat, neque minor opera eius est existimanda, donec Nu-
p. 17. mantiam operibus circumclusam intra annum et tres menses solo aequare posset. Quae quidem labores, vigiliae, itinera, quanquam non per se, neque necessario, ad vires humanas consumendas valeant, habent tamen aliquid, quo, praesertim aetate ingravescente, corporis vires in plerisque sensim atque paulo celerius frangant. Id quod in Scipione quoque nostro locum habuisse, per se satis probabile est, atque confirmari videtur loco Plutar-

34) Cf. Platon. *Phaed.* sect. V. ibique Fisch. Cicer. *Quaest. Tuscul.* I, 30. inpr. autem Lipsii *Manuductio ad philosophiam stoicam lib. III,* 22. 23. [* V. annot. ad Cic. *or. pro Scauro* part. II. §. 5. p. 151. ss. *]

35) Cf. inprimis c. XX. et quae Wetzelius ibi congessit.

36) Vt Lipsius et Boeclerus ad Velleium, loco saepenumero iam commemorato. Cicero in *Somnio* LVI annos natum Scipionem obiisse monet. [* Cum hoc computu convenit ratio Livii XLIV. 44. et Plutarchi in *Paulo Aemilio* c. 22. Velleius duobus annis minorem e lege Villia annali colligere videtur. At vero videtur Scipio aedilitatem non eo anno, quo primum liceret, petiisse. *]

chi, supra iam laudato, quo legitur: sponte ac sine externa vi obiisse Africanum, ὄντα φύσει νοσώδη, i. e. valetudine infirma.

Iam vero hanc externis causis debilitatam corporis valetudinem non potuerunt non mirum in modum augere, extremo vitae biennio, curae et aerumnae multae ac gravissimae, quas cum defensione optimatum et sociorum in se susceperat. Nam sane admodum moleste debebat ferre, quod, qui hactenus unus omnium in civitate floruisset, nunc non solum auctoritatem suam quotidie imminutam, sed commune etiam in se odium conflatum auctumque animadverteret. Cuius quidem odii vis perniciosa, [non parum etiam] *valde* metuendum erat, ne [*etiam*] in bellum civile apertum erumperet. Ita Scipio a plebis favore abalienatus, ab optimatibus minus, [ac] *quam* debebat, fortiter et constanter sustentatus, sed fluctibus potius civilibus commissus, ne amicorum quidem, quibus eadem atque ipsi placebant, auxilio levatus, perturbatus clamoribus plebis, territus minis triumvirorum, publice in concione eorundem triumvirorum conviciis proscissus, per unum annum ϛ) et quod excurrit metu, curis et anxietatibus multis ac magnis agitabatur. Quarum aerumnarum quanta sit vis in corpore humano, aliis iam laboribus atque ipsa senectute defatigato, tanta exemplorum copia commonstrari potest, ut non opus sit ad medicorum doctrinam provocare. In Scipione autem eiusmodi curae atque commotiones animi iam propterea maiorem atque corporis sanitati perniciosiorem vim exserere debebant, quod ab ineunte aetate magis in bellis quam in foro versatus fuerat, et ab omnibus civilibus rixis sese removerat. Accedit et hoc, p. 18.
quod fere semper in omnibus, quae pro republica suscepisset negotiis, laetissimo ac felicissimo fructus erat eventu atque successu.

Efficitur autem iis, quae hactenus disputavimus, saltem hoc: mortem Scipionis non adeo subitam et inexspectatam fuisse, ut nulla plane causa, in eo ipso sita, eam praecesserit. Nam quod Epitomator Livii memoriae prodidit, fortem illum ac validum domum se recepisse, id non tanti momenti est, ut propterea et testimonium aequalium, quod Plutarchus laudat, repudiandum, atque ipsam rei probabilitatem abiiciendam putemus. Sed possunt Epitomatoris verba, praesertim cum opponantur verbis: „*mane in cubiculo mortuus inventus est*," explicari etiam sic, ut nihil aliud significent, quam non aegrotum, sed, quantum externa specie indicari licuit, viribus valentem, sanum, domum se recepisse.

ϛ) *V. annot. 6. additamentum.

§. 25.

At nec in ipsa denique proxima tam subitae Africani mortis opportunitate et causa invenienda et explicanda, si paulo accuratius, quae veteres tradiderunt memoriae, inspicere atque inter se conferre velimus, argumenta nobis desunt, quae non vi ac dolo accitam, sed fatalem Scipioni contigisse mortem probabile reddant. Etenim Plutarchus auctor est, criminationem de caede Africani magna ex parte in Fulvium eius hostem cecidisse, quippe qui eodem ipso die, qui noctem praecesserit fatalem Africano, pro rostris Scipionem conviciis proscidisset 37). Quae quidem Fulvii convicia vi sua in animo Scipionis commovendo et curis implendo non caruisse, inde apparet, quod, qui fortiter olim adversariis se opposuerat, eosque contumeliose adeo interdum tracta-
p. 19. verat Africanus, nunc quasi „*de salute sua desperans*, *animo depresso de periculo salutis in senatu contestatus est*, ut Orosii verbis utar, *quod sibi*, *pro patria laboranti*, *ab improbis et ingratis civibus denunciari cognovisset* 38)." Hinc domum ad vesperam a patribus conscriptis reductus est. Qui quidem comitatus honorificus, quanquam grati animi et studiorum optimatum satis splendidum documentum esset: tamen nihil valuit ad animum eius a curis illis et a metu liberandum, quo paulo ante Fulvii calumniis erat repletus. Hinc domum reversus, neque quiescere potuit, neque animum somno recreari passus est, sed in cubiculum tabellas secum ferebat, ut Appianus narrat, quibus notaret, quae die sequenti pro concione diceret 39). Haec autem meditatio necessario pristinum dolorem renovare, eiusque animum non solum intendere praeter modum, verum etiam novis curis atque sollicitudinibus augere debebat. In qua omnium virium summa intentione, hominem iam satis aetate provectum, atque multis molestiis ac varii generis laboribus defatigatum, apoplexia correptum, subito e medio auferri potuisse, quisque facile concedet.

§. 26.

Sed ne temere hanc mortis causam sumere videamur, Aurelium Victorem nostrae sententiae quodammodo defensorem producamus, qui, nulla de Scipione vi sublato mentione facta, Africanum propterea capite obvoluto elatum refert, ne livor in

---

37) *C. Gracch.* [* c. X. p. 839. *] IV, 666. *καὶ τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἐπὶ τοῦ βήματος τῷ Σκιπίωνι λελοιδορημένον.*

38) Oros. V, 8.

39) Appian. *de bell. civ.* l. c.

ore eius appareret 40). Os autem hominis livorem tum potissimum contrahere, quando, qui mortuus iacet, apoplexia sublatus est, medicae artis peritorum communis est observatio 41).

§. 27.

Iam, probata hac causa mortis Scipionis, facile etiam appa- p. 20.
rebit, quid sibi velit Plutarchus narrans 42): cadaver Africani, omnium oculis expositum, praebuisse adspicientibus facti (i. e. interclusionis spiritus, nam de hac in antecedentibus sermo est) suspicionem et sensum. Nempe qui Scipionem spectatum veniebant, hunc livorem oris pro lubitu, aut a veneno et suffocatione, aut ab apoplexia repetere potuerunt. Inde, (ut sunt hominum plerorumque ingenia ad ea proclivia, quae a communi ordine rerum recedunt,) tum quoque non defuerunt, qui eius modi signa sane non hominis esse exclamarent, vulgari causa defuncti, at-

---

40) Aurel. Vict. 58.

41) Quanquam non negandum, eundem livorem in iis quoque apparere, qui aut veneno aut suffocatione tolluntur.

42) Non possum hoc loco silentio plane praeterire observationem Ammiani Marcellini, libr. XXV. cap. X. expressam, qua mors subita Ioviani, imperatoris Romani, cum Scipionis obitu aeque inexspectato comparatur. Verba Marcellini haec sunt: [*ed. Bip. vol. II. p. 64.*] „*Exanimatus inventus est nocte; et super eius obitu dubietates emersere complures. Fertur enim recenti calce cubiculi illiti ferre odorem noxium nequivisse, vel extuberato capite periisse succensione prunarum immensa, aut certe ex colluvione ciborum avida cruditate distentus.* Addit deinde: *Cumque huic et Aemiliano Scipioni vitae exitus similis evenisset, super neutrius morte quaestionem comperimus agitatam.*" Quibus verbis, nisi similitudinem, quae inter Scipionis e vita exitum et Ioviani mortem intercessit, eo restringere velimus, quod uterque nocte exanimatus inventus est, simul innui videtur alia suspicio externae cuiusdam opportunitatis, quae tam subitam Scipioni obitum afferre potuerit. De avida in Scipione cruditate cogitari non posse, vix est, ut moneamus. Reliquae causae etiam in Scipione locum obtinere potuerunt. Sed nil in his definimus. Id in promtu est, de morte vi conciliata, de qua interpretes Ammiani cogitarunt, Ammianum ipsum non cogitasse. [*Imo de hac ipsa eum cogitasse, in promptu est. Quam vero proni homines sint ad suspicandum ex subito mortui livore, apparet exemplo hominis, qui *Ti. Graccho* familiaris fuerat, subito mortui: cuius meminit Plutarchus in *Ti. Graccho* c. XIII. p. 830. ed. Frcf. φίλου τινὸς τῷ Τιβερίῳ τελευτήσαντος αἰφνιδίως καὶ σημείων τῷ νεκρῷ μοχθηρῶν ἐπιδραμόντων, βοῶντες, ὑπὸ φαρμάκων ἀνῃρῆσθαι τὸν ἄνθρωπον, ἐπὶ τὴν ἐκφορὰν συνέδραμον etc. Nunc igitur adversariorum factio suspicioni suspicionem parem pari retribuit.*]

que hanc suam suspicionem cum aliis etiam communicarent. Placuerunt tales rumores optimatibus, qui politicis quoque de causis suspicionem istam lubenter confirmarent atque, aliis rumoribus additis, latius etiam divulgarent. Sequenti autem tempore, cum procerum civitatis non minus quam maiorum suorum interesset impugnare Gracchorum consilia et facta, non mirandum est, et eos, quanquam contraria et verior, ut nobis videtur, opinio de causa mortis Africani bene nota esset, tamen in divulganda
p. 21. ac retinenda opinione patricia, ut ita dicam, constanter perstitisse. Attamen imperii Romani forma mutata, causisque invidiae remotis, altera sententia iterum praevaluit; unde etiam Velleius narrat, maiorem partem scriptorum asseruisse fatalem, aliquos tantum insidiis conflatam Scipionem mortem obiisse.

---

§. 28.

Sed accedamus nunc ad alteram dissertationis partem, qua pietatem familiae Gracchorum a scelere interfecti propinqui, Scipionis Aemiliani, purgare studebimus. Atque sane supervacanea haec altera quaestio videri potest, si, quae priori dissertationis parte de morte Scipionis non insidiis conflata, neque vi allata, sed fato adducta disputavimus, ita dicta sunt, ut altera ratio mortis, qua sine ulla externa vi Scipio existimandus sit obiisse, si non certis argumentis evicta, tamen ad aliquam probabilitatem perducta appareat. Sed ponamus Scipionem vere interfectum esse, sponte oritur quaestio, quinam caedis illius auctores fuerint.

Iam vero, ut in enarrandis de morte Scipionis rumoribus et opinionibus miram earum vidimus apud veteres fuisse multitudinem et varietatem: ita etiam, quod attinet ad auctores caedis, non minus scriptores in plures atque varias partes reperiuntur secedere. Alii enim C. Carbonem et M. Fulvium interfectores Africani nominant, alii omne crimen facti in Gaium Gracchum eiusque familiam convertunt. Afferamus ante omnia loca antiquorum scriptorum, quibus singuli triumvirorum et Gracchanae familiae membra singula caedis accusantur: deinde de huius accusationis probabilitate et argumentis videamus.

§. 29.

Et primum quidem C. Carbo caedis Africani suspectus est habitus et a pluribus declaratus. Observandum tamen est, istas accusationes Carbonis, in nota expressas omnes in Ciceronis li-

bris legi, apud reliquos vero scriptores nusquam eiusdem Car- p. 22.
bonis, tanquam caedis Africani auctoris, fieri mentionem 43).

§. 30.

In M. Fulvium vero nullum alium auctorem invenimus, qui culpam interemti Scipionis verteret, praeter Plutarchum. Sed causa suspicionis ita levis est et argumentis destituta, ut fere nil eiusdem accusationi tribuendum esse statuamus. Refert nempe Plutarchus calumniam magna ex parte in Fulvium Africani adversarium recidisse, quod ille Scipionem pridie eius mortis pro rostris conviciis proscidisset 44).

§. 31.

Longe plurimis tamen caedis Africani suspecta fuit familia Gracchorum ipsa. Ex qua quidem familia, cum Sempronia, Africani uxor, neque amare maritum, neque ab illo amari crederetur, fuerunt, qui eam venenum Africano dedisse suspicarentur, hinc maxime, quod soror esset Gracchorum, cum quibus simultas Africano fuerat 45). — Sed Appianus Corneliam potius, Gracchorum matrem, genero insidias struxisse putat, et quidem ea de causa: quod metueret, ne florente Scipione lex agraria abrogaretur; Semproniam autem filiam hisce insidiis struendis matri auxilio fuisse 46). Denique etiam Caio Grac- p. 23.

---

43) *De Orat.* II, 40. [*§. 8. sect. 170.*] Cicero ex oratione L. Licinii Crassi in Carbonem habita haec verba laudat. — *Non, si Opimium defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt. Simulasse te et aliud quid quaesivisse, perspicuum est, quod Tib. Gracchi mortem saepe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti*, etc. et alio loco *ad Div.* IX, 21. Carbonum familiam maximam partem improbam et reipublicae noxiam recenset, et deinde [§. 9.] de nostro Carbone observat: Is et tribunus plebis seditiosus et P. Africano vim attulisse existimatus est. Denique *ad Quintum fratrem* II, 3. ita scribit: *Eo die Cato est vehementer in Pompeium invectus et eum oratione perpetua tanquam reum accusavit. — Respondit ei vehementer Pompeius, Crassumque descripsit: dixitque aperte, se munitiorem ad custodiendum vitam suam fore, quam Africanus fuisset, quem C. Carbo interemisset.*

44) Locum Plutarchi iam supra laudavimus. [*annot. 37.*]

45) Epit. Liv. 59. Livium Orosius secutus esse videtur loco iam laudato.

46) Appian. l. c. *εἴτε Κορνηλίας αὐτῷ, τῆς Γράκχου μητρὸς, ἐπιθεμένης, ἵνα μὴ ὁ νόμος ὁ Γράκχου λυθείη, καὶ συλλαβούσης ἐς τοῦτο Σεμπρωνίας τῆς θυγατρὸς, ἣ τῷ Σκιπίωνι γαμουμένη, διὰ δυσμορφίαν καὶ ἀπαιδίαν οὔτε ἐστέργετο, οὔτε ἔστεργεν.*

cho reperiuntur, qui factum tribuant, aut saltem eum suspicionis non expertem dicant 47). In his Plutarchus facinus adeo nefandum impunitum mansisse narrat populi studiis, Caio metuentis, ne, si in caedem Africani inquireretur, adfinis ille culpae reperiretur 48). Et in Somnio Scipionis, loco supra expresso: „si impias propinquorum manus effugeris," praeter Semproniam et Corneliam inprimis Caius etiam videtur innui. Omnibus autem simul et amicis et propinquis causam mortis Africani tribui posse, ita ut conspirantibus triumviris atque Gracchorum familia ille sublatus esse adpareat, indicare videtur Cicero 49), nisi eius verba potius de omnibus,
p. 24. quae per eos expertus est Scipio, malis et vexationibus aliquis intelligi maluerit ζ).

---

47) Plutarch. *C. Gracch.* [* c. X. prope exit. *] *ἥψατο δὲ καὶ τοῦ Γαΐου ἡ ὑπόνοια.*

48) Plutarch. ibidem: *ἐνέστησαν γὰρ οἱ πολλοὶ, καὶ κατέλυσαν τὴν κρίσιν, ὑπὲρ τοῦ Γαΐου φοβηθέντες, μὴ περιπετὴς τῇ αἰτίᾳ τοῦ φόνου ζητουμένου γένηται.*

49) Cic. Lael. c. XII. „*Hunc* (Tib. Gracchum) *etiam post mortem secuti amici et propinqui, quid in P. Scipionem effecerint, sine lacrymis non queo dicere.*"

Atque notandus hic error, in quem praeter Schegkium et Krausium ad Velleium, Wetzelius quoque incidit, in adnotationibus ad Laelii cap. III, sect. VI. Scripsit autem vir doctus: „Minus veri est simile, ut obiter hoc annotem, quod Plinius *H. N.* VII, 44. [* sect. 45. *] putavit, ab ipso hoc Metello vim illam illi esse illatam." Sed verba Plinii plane contrarium sensum praebent. Ita autem se habent: *Equidem* (Metellum) *et Africani sequentis inimicum fuisse inter calamitates duxerim, ipso teste Macedonico. Siquidem liberis dixit: „Ite filii, celebrate exsequias; nunquam maioris civis funus videbitis."* Pergit deinde: „*Verum ut illa sola iniuria aestimetur*, (nimirum ab Atinio tribuno plebis Metello Macedonico illata illa, quae mansit inulta,) *quis* [* *hunc* *] *iure felicem dixerit periclitatum ad libidinem inimici, nec Africani saltem, perire.*" Quibus extremis verbis, quis non videt hunc sensum inesse: satius, tolerabilius certe fuisset Macedonico, si periclitatus fuisset perire ad libidinem Africani, viri celeberrimi et illius aetatis primarii, quam quod idem periculum mortis subiit, ab Atinio, hoste viliore et perdito illatum —?

ζ) * Cic. *somn. Scip.* 3. §. 5. (VI. *de re publ.* sect. 14. pr.) *Eram perterritus non tam metu mortis, quam insidiarum a meis.* *

§. 32.

Iam vero omnibus, quae de auctoribus caedis Africani passim in veterum scriptorum libris leguntur, locis collectis et allatis, neminem futurum opinamur, qui non videat, non minus in his, quam in eis, quae de mortis genere Africani memoriae tradita inveniuntur, primum deesse certa atque fide digna facti argumenta; deinde in suspicionum, quae aut vere iam antiquitus de ea re in vulgus emanaverant, aut ab ipsis scriptoribus, ad explicandam facti insolentiam, inventae etiam fuisse videantur, recensione tantam varietatem et diversitatem animadverti, ut, qua parte veritas lateat, difficillimum sit iudicare. Et bene quidem praevidemus, fore qui dicant: in eo tamen omnes consentire, quod facti culpam in eos conferendam existiment, quos aut apertos Scipionis inimicos fuisse, aut iustis de causis ei infensos esse debuisse, constaret. Et sane ad omnem rem paucis verbis expediendam, haec quidem via et facillima est et maxime etiam commoda; qua autem minime ingrediendum, si rem aliquam graviorem non ambiguam et incertam relinquere, sed quantum fieri potest, ad liquidum eam perducere velis. Tum vero non in eo subsistendum est, ut, quid ex veterum locis in universum colligi possit, videas, sed id requiritur, ut de singulis quaeras ac de interna testimoniorum probabilitate, de causis eorum atque origine certiorem fingere tibi notionem studeas.

§. 33.

Quod autem primum ad Caium Carbonem attinet, quanquam, quae ei a Cicerone obiicitur, perpetuam in populari ratione levitatem 50), (cuius specimen iam hoc erat, quod aliquot annis p. 25. post Opimium defendit, interfectorem Caii, hominem crudelem, plebis libertati infensum, ac repetundarum turpissime iudicatum η),) lubenter concedimus: tamen ex ea levitate nondum sequitur, eum caeco quodam plebis amore ita abreptum fuisse, ut manus adversario inferret. Ea erat in Carbone sermonis prudentia et tantum verborum acumen, ut non opus esset, vi ac dolo perficere, quae sine armis et veneno aeque facile ingenio, facundia, populi favore et auxilio perfici poterant. Quod vero ad Crassi adolescentis orationem, qua Carbonem acriter perstrinxisse fertur, spectat, iam supra monitum est, eiusmodi acutis et

---

50) Cf. Cic. in *Bruto* c. 27. quo capite plura etiam de ingenio Carbonis, forensi praesertim, observantur.

η) * Post illam demum defensionem. V. Plutarch. in *C. Graccho* c. XVIII. p. 843. *

mordacibus dictis ad contestandam rerum gestarum veritatem non magnam vim tribuendam esse. Constat enim, oratores, praesertim ex genere dicendi iudiciali, in ea versari culpa, quod plerumque in accusando atque taxando adversario modum omnem excedant. Id et Ciceroni centies accidisse, quis nescit? Denique quod Pompeius obiter in oratione in Catonem monuit, id quidem, ut plurima, quae ex concessis disputantur, aut ex communi opinione, saepenumero falsa illa, dicuntur, nullam probandi vim habet. — Fulvius autem vehementer dubitamus an Africanum pridie eius mortis tantis conviciis proscissurus fuisset, si eum nocte proxima interficiendi consilium habuisset.

§. 34.

Nec maioris ponderis sunt argumenta, propter quae Cornelia, mater Gracchorum, et Sempronia eius filia, uxor Africani, ab aliis in suspicione criminis habebantur. Et Appianus quidem, qui solus Corneliam diserte nominat, hanc potissimum ob causam de Scipione interficiendo eam cogitasse, atque filiam Semproniam in caedis societatem adscivisse putat, quod timeret, ne lex agraria Scipione auctore abrogaretur. At vero bene scire illa p. 26. poterat, nec potuisse, nec voluisse Scipionem legem agrariam abrogare, sed id tantum flagitasse a patribus, ut causam agrorum iudicandam a triumviris ad quoscunque alios transferret. Deinde constans fere veterum est opinio, matrem Gracchorum filiorum consilia non improbasse solum, eosque ab illis dehortatam esse, sed et Caii cladem forti animo tulisse, et postea quoque sine luctu et lacrymis mentionem fecisse filiorum et actiones eorum, quasi priscorum quorundam exposuisse, sciscitantibus 51). Neque profecto filia Africani maioris, uxor Tiberii Gracchi, integerrimi viri, quae et ipsa bonis litteris satis exculta, morum castitate sese commendaverat cunctis, filios autem ad omnem virtutem excitaverat, tam stulta existimari potest, quae, ne irrita fierent prioris filii leges, alterum filium eidem periculo expo-

---

51) Plut. *C. Gracch.* [* c. XVIII. p. 843. *] IV, 681. seq. Ad epistolam Corneliae ad Caium datam, quae vulgo ad calcem fragmentorum Corn. Nep. legitur, propterea non provocamus, quoniam a pluribus, non sine causa, supposita censetur. [* V. *Fragmm.* c. XII. in Bardilii ed. Corn. Nep. t. II. p. 372. ss. Nec vero contentionem de Tiberii lege agraria, sed, ut videtur, Caii consilium petendi tribunatum, ut fratris inimicos ulcisceretur, in ista epistula improbabat Cornelia mater. Plutarchi autem testimonio vereor ne Scheuius abusus mollis malis victi animi robur pro stultitia habuerit cum volgo. Corneliam tamen ne nos quidem veneficii suspectam habemus. *]

neret, nec tam perversa, ut filiam ad insidias marito struendas invitaret, nec denique tam perdita et scelerata, ut ad veneficas artes exercendas illam excitaret. Neque magis filiam Semproniam, a matris, patris et avi indole ita degeneratam iudicamus, ut propter fratrem maritum interficeret, aut qui ad eum interficiendum missi essent, per posticum intromitteret.

§. 35.

Quod vero Plutarchus refert, multitudinem interpellasse et oppressisse cognitionem, ne Caius culpae particeps reperiretur, id vero probat quaestionis saltem initium factum a Senatu. Cui tamen non solum reliquorum omnium testimonia et Ciceronis perspicua verba, „certe nullam quaestionem latam esse," obsunt, sed repugnat etiam ipsius Plutarchi testimonium disertum: modum obitus Scipionis nec πύστιν ϑ) nec ἔλεγχον habuisse. Tum vero Plutarchi relationem propterea quoque non adeo magni momenti esse putamus, quod, unde eam hauserit, nescimus. Versatum autem esse Plutarchum in aliorum narrationibus repetendis interdum parum circumspecte et diligenter, et ipsa huius loci et aliorum locorum cum ceteris repugnantia confirmat, et Bartonus aliique iam animadverterunt 52). p. 27.

Denique neque etiam causa statim intelligitur, cur senatus iram plebis tantopere metuerit illo tempore, quo caeso Tiberio victoriam quasi de plebe reportaverat, neque magis, cur populus de Caio timuerit. Quod si vere timuit, magis id ei metuendum erat, ne a Senatu, praesertim illa aetate, qua omnia Romae venalia essent, Caius reus potius supponeretur, quam caedis argueretur. Sed si vel maxime multitudinem in ista suspicione fuisse arbitremur, num inde iam sequitur veram eam fuisse? Hinc Caium quoque nullo in loco aliquid ad suam defensionem protulisse, sed eiusmodi rumores contemsisse potius invenimus.

§. 36.

Sed accedit aliud quoque argumentum, quod Caium illo quidem tempore, quo Africanus causam optimatum et sociorum gereret, ab omni vi alienum fuisse confirmat. Disertum enim est ac commune veterum testimonium, Caium tum quidem ita tranquillum ac moderatum fuisse, ut vulgi sermonibus fratris

---

ϑ) * V. additam. ad annot. 31. *

52) Cf. Bartoni de Plutarcho iudicium — ad calcem Vol. IV. opp. Plut. edit. Reisk.

caesi causam negligere adeo incusaretur 53). Quantum autem Caius omnino ab omni caede civium abhorruerit, ipse demonstravit, cum Opimius ultro Fulvii cohortem armis invaderet. Nam
p. 28. dolens ista fieri ad aedem Dianae se recepit 54). Plutarchus etiam neutrum Gracchorum caedem civilem exorsum esse, ostendit; Caium vero, nec telis petitum se vindicare studuisse, fortissimum adversus hostes, ignavissimum in seditione civium fuisse. Nam inermem in publicum prodiisse et inter pugnandum magis id spectasse ne quam adferret, quam ne acciperet iniuriam 55). Talem vero virum, qui ipse perire mallet, quam ullum adversariorum sceleratissimorum laedere, cui nihil sanctius quam civium sanguis esset, Scipionem tum quidem principem Romanorum omnium civem interficere, aut, ullo modo sicarios adiuvare potuisse, nos certe non impetrare a nobis possumus, ut credamus.

§. 37.

Quodsi caedem vel sciente, vel nesciente Caio patratam fuisse a triumviris ponamus, non satis intelligitur, quid mors Scipionis magnopere prodesse potuerit, ad ea perficienda, ob quae tantum scelus susciperetur. Et multum quidem; erunt, qui dicant. Sublato enim tali defensore ac patrono, non alius facile reperiebatur in Senatu, qui pari auctoritate ac vi divitum causam gerere vel posset, vel auderet. A Scipione vero pessima quaeque timenda erant. Nam diserte ille pro concione declaraverat rem publicam, i. e. senatum, nunquam, se vivo, defensore cariturum. Quid? quod metuendum adeo, ne Senatus propediem dictatorem eum legeret. — At vero contra haec recte moneri possunt: Scipionem inde ab eo tempore, quo fauorem plebis amiserat, non ea amplius auctoritate floruisse, ut, quidquid vellet, perficeret. Deinde et animus Africani ipse, extremo vitae tempore varii generis calamitatibus depressus, paulo timidior apparebat; unde non sine causa sperare licebat triumviris, fore, ut moderatiorem saltem in defendendis optimatibus in posterum

53) Cf. Cic. Lael. XI, 13. [* qui l. contrarium probat. *] XII, 6. Vnde etiam apparet, quomodo verba interpretanda Plutarchi (*Apophth.* [* *Scip. Min.* n. XXIII. p. 201. *F.* *] Vol. VI, 760.) *τῶν δὲ περὶ τὸν Γάϊον βοώντων κτεῖναι τὸν τύραννον*, a plerisque ita tradita; *Caio cum suae factionis hominibus clamante*. De usu vero formulae *περί τινα* videndi Fischerus ad Wellerum et inprimis Hermannus ad Vigerum.

54) Plutarch. *Cai. Gracch.* [* c. XVI. p. Frcf. 842. *] IV, 676.

55) Cf. *Comparat. Agidis et Cleom. c. Gracchis* [* c. IV. p. 845. *] IV, 687. seq.

se praeberet. Quod autem ad dictaturam attinet, de ea valde p. 29. dubitamus, an unquam Senatus cogitaverit. Nam, ut omittamus Ciceronis, qui solus Senatui hoc consilium tribuit, verba: ac, ne multa, dictator rem publicam constituas, oportet, — coniecturae esse similiora, quam ut fides historica, quae dici solet, eis tribui possit: senatus ex iis, quae evenerant, satis iam colligere poterat, in Africano plus spei quam auxilii fuisse, et turbas per eum magis excitatas esse, quam compositas. Et sane metuendum erat, ne in tanto populi erga Scipionem odio, adversario summa potestate in civitate aucto, res ad arma et caedem veniret; id vero eo magis extimescendum erat, cum iam ante inimici Scipionis passim vociferati essent, decrevisse 56) illum legem agrariam plane tollere, et quidem armis et vi.

§. 38.

Sed, ut libere dicamus, quid sentiamus, nobis quidem omnis ista accusatio triumvirorum et familiae Gracchanae a patriciorum factione fraudulenter inventa, excogitata et in vulgus sparsa esse videtur. Id quod aliqua ex parte colligi iam potest ex mira rumorum varietate, quae profecto non tanta futura fuisset, si hic vel ille rumor aliquo tantum modo praevaluisset reliquis. In eiusmodi autem nefarie factis veritas non nisi rarissime plane depressa et occulta solet latere. Emersit tandem ea et hic, sed serius, ut supra ex loco Velleii demonstravimus. — Deinde publica quaestio de morte Africani habita est nulla. Causa probabiliter ficta, populum quaestionem dissoluisse. Neque maior fides servis habenda, secundum alium rumorem, ab Appiano allatum, fassis, noctu per posticum intromissos quosdam ignotos Africanum suffocasse, se vero ideo rem prodere veritos, quod scirent infensum ipsi populum eius interitu gaudere 57). Quae quidem, si vere locum habuit, quaestio privata, p. 30.

---

56) Cf. Appian. l. c. [* Quae modo disputata sunt, quam longe a rerum veritate recedant, ostendit honos ille ultimo die Scipioni habitus a patribus conscriptis ceterisque optimatibus. V. supra §. 24. Animo autem magis quam antea depresso esse visus fuerat Scipio propter periculum salutis sibi denuntiatum. Nihilo minus tamen perstitisset in eo, quod praedixerat, numquam se vivo rem publicam defensore carituram. Vid. huj. excurs. §. 18. prope exitum. *]

57) Appian. *de bell. civ.* I, 617. [* c. 20. Quae ex his deinceps Scheuius argumentando colligit, tamquam inepta, ea facile conciliari possunt cum testimoniis in annot. 31. positis, si statuerimus factum esse initium agundae quaestionis publicae; sed post illam servorum confessionem metu plebem concitandi, si familia tam popularis sceleris crimine

quam incerta et inepta sint, quae tormentis adhibitis resciverint inquisitores, sponte apparet. — Sed patrum omnino [haud parum] intererat, quacunque tandem via famae triumvirorum et praecipue Caii obesse; hinc non potuit non grata esse eis eiusdem generis calumnia, qua dudum triumviri iram atque odium plebis in se inflammaverant, nefandam Tiberii caedem quotidie fere deplorantes. — Licebat nunc par pari referre triumviris; facti sui aderat excusatio.

Omnino autem pessimae indolis homines iam Scipionis aetate fuisse ordinis senatorii partem longe plurimam qui dubitet, Sallustium adeat, severum quidem, sed verum ac iustum illius seculi aestimatorem ac iudicem 58). Et dici vix potest, quot et quantis maledictis saluberrimas leges a Tiberio non sine maxima moderatione et aequitate latas, iam vivo Tiberio, persequuti fuerint, quam ingeniosi omnia excogitaverint ad invidiam plebis in legislatorem suum excitandam, quam callide et maligne omnia fecerint, ut quam citissime talem adversarium everterent et praecipitarent 59). Neque tamen eius interitu contenti erant, sed interfectum etiam Tiberium quovis modo calumniari, consilia saluti civitatis perniciosissima sine ullo argumento illi affingere, et infamiae maculam eius famae adspergere non dubitarunt 60). Tiberio ita contumeliose et iniuste tractato, viro iustissimo et
p. 31. prae aliis moderato, quis tandem mirabitur, non minore, sed maiore etiam acerbitate eos invectos fuisse in Caium, hostem fervidiorem et turbulentiorem, qui et ipse maxima haud raro acerbitate eos impugnaverat, Senatusque auctoritatem [non parum] fregerat et imminuerat? Quae quidem calumniae et maledicta in vulgus sparsa etiam sequentibus temporibus, cum iisdem studiis eadem quoque de Gracchorum consiliis iudicia mansissent, vi sua non caruerunt. Attamen, ut omnino veritas nunquam ita potest supprimi, quin aliquando clarius etiam exsplendescat: ita et Gracchorum consilia saluberrima iustior posteritas non passa est, ut in perpetuum sua gloria atque merita laude carerent.

---

teneretur, quaestionem esse omissam. In *or. pro Mil.* c. VII. Cicero oratorie *μείωσει* usus videtur: ut statim ante *ὑπερβολῇ* ipse Scheuius agnovit in annot. 32. *]

58) Cf. Sall. *bell. Iug.* inde a cap. XL. Cap. XLII. Gracchorum etiam consilia diiudicat, sed verius ac iustius quam omnes ceteri eadem de re scriptores antiqui.

59) Plutarch. *Tib. Gracch.* IV, 624. seqq.

60) Plutarch. ibid. p. 654. seqq. Cic. *Lael.* c. XII. *Brutus.* c. XXV. [§. 95.] De ipsa re cf. *Beckii* animadv. ad *Fergus.* I, 395 — 414.; et Eiusdem histor. populor. univers. Vol. II. p. 161. seq.

§. 39.

Raro autem exemplo Gracchorum nomen in historia Romana splendet. Nam cum omnium, qui vel civitate administranda, vel bellica virtute excelluerunt, principum inter Romanos virorum studium summum et unicum in eo positum fuisse constet, ut de **patria** bene mererent, i. e. fines eius latius extenderent, potentiam, auctoritatem, opulentiam imperii Romani augerent quocunque tandem modo, urbemque suam dominam orbis terrarum redderent: Tiberium et Caium Gracchos et primos et solos exstitisse comperimus, qui animo sensu humanitatis pleno, non solum civibus suis, opulentiorum superbia et anaritia misere excruciatis, succurrerent, verum etiam aliis peregrinis populis sua iura constare sanctissima et religiose servanda, et verbis fortiter defenderent, et factis constanter confirmarent.

---

* Adiiciamus h. l. libri ad c. 3. §. 9. memorati atque etiam in Italicum e Latino conversi in ed. nov. inscriptionem:

P. Cornelii Scipionis Aemiliani Africani Minoris vita, vel eius dispersae potius reliquiae ex multis probatissimorum authorum scriptis collectae, et in ordinem, ac modicum quoddam corpus redactae per Antonium Bendinellium Lucensem. Additi praeterea sunt quidam loci controversi, quorum partim omnino refelluntur, alii corriguntur, quidam etiam conciliantur. Editio quarta. Cura et studio Isidori Bianchi. Havniae 1776. *typis viduae A. H. Godiche*. 8. pp. 95.

Controversorum istorum XXVI. *locorum historicorum annotatio* inserta est etiam ab *Iano Grutero Lampados s. Thesauri critici tomo II.* p. 347. — 355.

EXCVRSVS II.

AD C. 6. §. 1.

DE FORMVLIS DVBITANTER DECERNENDI.

§. 1.

Oratione a verbis et formulis *dubitandi*, *nesciendi* et affinibus suspensa consentaneum videtur neque affirmari neque negari, sed rem ambiguam relinqui. Itaque huiusmodi oratio, cuius sententia in neutram partem prona et praeceps mediae (quod aiunt) aginae aequilibrato impetu fertur, integra duplici continetur membro interrogationis, quae in priore membro indicari solet Particulis *utrum*, *num*, *ne*, in posteriore Particula *an*.

§. 2.

Interrogativa *ne* cognata videtur Gr. Particulae *ἄν*· et quemadmodum *ἐάν*, *ἤν*, *ἄν* ex *εἰ ἄν*, secus quam in Lat. lingua *sin* ex *si* et *ne* privativa (= *non*: v. obs. ad *Lael.* 17, 6. p. 101.): sic *an* ex *αὖ* (= *vicissim; rursus; contra*) et ex interrogativa *ne*, nec non *aut* ex *αὖ τε*, *autem* ex *αὐτάρ*, *ast*, *at* ex *ἀτάρ* contractae videntur.

§. 3.

Est igitur *an* Particula animi in re ancipiti, et quae difficulter definiri aestumarive possit, indicanda ultro citro fluctuantis ambigentisque propria, ut I. *de re p.* c. 12: *Dein quom essent perpauca inter se uno an altero spatio collocuti:* ubi Moserum quidem non decebat tam superciliosum despicere A. Maii auctoritatem. Nihilo minus confidentia sua clamandi vitiosum illud esse permovit verecundum alioqui editorem Orellium, ut pro ipsius imperio reponeret *an*, laudata in *addendis* demum Perizonii *diss. de Dictye* fol. IV. b. ed. 1702. 8. Sed *aut* non tam ambigue dicitur quam Part. *ve* in simillumo loco *de orat.* I. 7, 28. *Scaevulam duobus tribusve spatiis factis dixisse. Tusc.* I. 25, 60.

Anima sit animus ignisve, nescio: ubi Lamb. malebat *ignisne*, Davis. cum R. Bentleio: *an animae sit ignisve* (np. *vis memoriae*), *nescio*. Non opus opinor. Sequitur enim: *sive anima sive ignis sit animus.* Ergo recte l. c. Car. Zellius tuetur *an*, comp. II. 15. *Verene — hoc memoriae proditum 'st, — Numam Pythagorae ipsius discipulum an certe Pythagoreum fuisse?* ubi ipse Moserus: „Noli corrigere *aut*. Ita enim Cicero, quamquam rarius, ad Famm. VII. 9." [§. 4. pr.] Addas licet, quae nos ad *l. I. de off.* excursu XI. p. 337. exempla posuimus, et I. *or. post red. in sen.* 6, 14. pr. Nam in alio, quem Zellius attulit, loco, *epist. lib. I. ad Att.* 3. §. 2., revera inest interrogatio directa: *Nos te hic ad mensem Ianuarium expectamus: ex quodam rumore, an ex literis tuis ad alios missis?* Hoc ipsum enim quaerit ex amico, ad quem scribit. Neque cum Schuppio p. 9. libelli, qui inscribitur *Philologisch-krit. Untersuchung üb. die Redensarten: nescio an ullus, und nescio an nullus* (Hagenoae 1820. 8.), vicissim *aut* primitivam pro filiola sua *an* positam putarim ap. Cic. *pro Rosc. Am.* 21, 59. pr. *Credo —, quaesisse, num ille aut ille defensurus esset.* Nam *an* significaret alterutrum verum visum esse quaerenti; quum tamen neutrum ei veri simile esset: quam Augusti Matthiae in annot. ad e. l. explicationem extra controversiam ponunt verba praecedd. §. 58. extr. *Non (me Hercule!) verbum fecisses, si tibi quemquam responsurum putasses.* Cff. Laur. Vallae *elegantiar. lib. II. c.* XVII. Basil. Fabri *thesaur. erudit. scholast.* s. v. *An.*

§. 4.

Particulae interrogativae prioris membri interdum reticentur. Tum vero *ne* interdum alteri demum membro inseritur. Liv. II. 40. *Sine, priusquam complexum accipio, sciam, inquit* (Veturia), *ad hostem, an ad filium venerim; captiva materne in castris sim.* Adeoque *necne* usurpatur tam saepe, quam *an non*; quod reperitur in Terent. *Phorm.* I. 2, 97. V. 6, 12.; Varron. *L. L.* VIII. c. 61. *Quod sit, an non: nihil commovet analogiam;* et ap. Liv. VIII. 13. Contra Plaut. in *merc.* II. 3, 13. s. *qui scio, Quid sit ei animi, venirene eam velit, an non velit?* cf. v. 120. *Nescio, inquam, velit ille illam, necne, abalienarier.* Ibi iteratur fere verbum, rarius post *nec ne*, ut ap. Cic. *de divin.* I. 39, 86. pr. Harum ceterarumque interrogativarum Partt. discrimen perbene enucleavit Io. Phil. Krebsius, vir cl., in libri utilissumi, quem modesto inscripsit titulo: *Anleitung zum Lateinisch-Schreiben*, ed. V. (a. 1828.) §. 359. Sed non vicissim *an* in priore membro ponitur ita, ut in altero sequatur *ne*. Nam in Cic. II. *Catilinar.* 6, 13. *Quaesivi a Catilina, an nocturno conventu apud M. Laecam fuisset, necne*, im-

portunam istam interrogandi Particulam *an* delendam esse, ut suspicabatur Meinekius in ed. singulari nova, confirmat Priscianus l. XVIII. fol. C. advers. c) et fol. CIIII. advers. c) ed. Ascensianae, quam cum duob. codd. Zwiccav. contuli, qui item *an* excludunt.

§. 5.

Vtrumque interrogationis obliquae membrum expressum est ab Ovidio *metam.* I. 585. s. Plinio in *panegyr.* c. 64. (al. 84.) extr. Valer. Max. II. 7, 15. sub f. III. 1. *ext.* 1. pr. (cf. VII. 2, 8.) IV. 6, 1. c. 3. n. 14.; item cum v. *nescitur* ap. Cic. *ad Att.* VII. *ep.* 12. post in. *Inde utrum consistere uspiam velit, an mare transire, nescitur;* item post *ut nescias* vel post *nescias* absolute positum *de or.* II. 13, 56. ap. Vellei. Pat. II. 122, 4. 125, 5. et Valer. M. IV. 3. n. 4. extr. IX. 1. *extern.* 1. extr. c. 5. *ext.* 2. itemque post *nescires* ib. VIII. 10, 2., ut post *ambigeres* in Burmanni *anthologia* l. III. *idyll.* 292. *de rosa* v. 15. s. Eadem ambiguitas in his Livii I. c. 46. *L. Tarquinius Superbus Prisci Tarquinii regis filius neposne fuerit, parum liquet: pluribus tamen auctoribus filium ediderim;* et IV. 55. extr. ante formulam: *incertum diversi auctores faciunt.* Id. XXX. 26. de Fabio: *Sicut dubites, utrum ingenio cunctator fuerit, an quia ita bello proprie, quod tum gerebatur, aptum erat: sic nihil certius, quam* etc. Corn. N. IX. f. Cic. *N. D.* II. 2, 4. *sol sit, an nullus sit, dubitare;* ib. c. 35. pr. §. 88. extr., et, si retineatur Ernesti Gernhardique lectio, III. *off.* 12, 50. extr. *dubitet turpe sit, an turpe non sit:* ubi tamen variant codd. et, qui duplex quaestionis membrum ammittunt, utrique praemittunt interrogativam *an:* quem sequioris aetatis usum §. 7. extr. notabimus. Valer. Max. IX. 3, 8. extrem. *in dubio est* et c. 6. extr. *Quo evenit, ut, alioqui insignem nominis sui memoriam relicturus, in dubio, maiorne an peior vir haberi deberet, poneret.* III. 2, 23. *excellenti virtute dubium reliquisti, inter undasne pugnam fortiorem edideris, an in terra vocem emiseris.* Ib. c. 1. extr. *Sed viderint Athenae, utrum Alcibiadem lamententur, an glorientur: quoniam adhuc inter execrationem ... et admirationem dubio mentis iudicio fluctuatur.* Comp. eiusdem sect. ultimae prima verba. Formulam *perpendi vix potest* praecedit duplex interrogatio ib. VIII. 15, 7. Idem, ut alibi: *arduum factum est dignoscere,* si recte memini: sic III. 2, 8. extr. *victoresne an victi discederent, incerti abierunt:* quae cf. cum simili loco Livii V. 28. *In Aequis varie bellatum: adeo ut in incerto fuerit, vicissent victine essent.* Cic. *Acad.* II. 10, 32. *Omnia sic incerta dicunt, ut, stellarum numerus par, an impar sit.* Plin. II. *ep.* 11. *tunc, casu incertum*

an conscientia, abfuerit. VIII. *epist.* 14. *incertum, sua an aliena manu, scelere, an obsequio perempti.* Tacit. *annal.* I. 11. *Incertum metu an per invidiam.* Ter. *heaut.* I. 1, 43. Vellei. Pat. II. 40, 1. Id. II. 90, 3. extr. *diiudicari non potuit, Hispanis Romanisne in armis plus esset roboris.* Interdum in plura disiungitur, ut in Horat. *od.* I. *carm.* 12., v. 33.—36. et in perantiquo aenigmate senariis composito ap. Gellium XII. c. 6. *Semel minusne an bis minus sit, non sat scio; An utrumque eorum;* itemque post *ut iam nescias* in Cic. *oratore* 47, 158. et post formulam *nemo potest dicere* in eiusd. *or. in Pis.* c. 10. §. 22. extr. III. *ad Q. fr.* 8, 3. *velit nolit, scire difficile 'st;* quae formula similis est illi in Liv. *epit.* 80. *haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit.* I. 3. pr. *haud nihil ambigam.* XXXIX. 50. *ambigebatur* in deliberatione.

§. 6.

In duarum interrogationum aequalitate quamquam utrumque, quo de quaeritur, pariter incertum videtur: tamen quoniam, ut ait antiquum proverbium, *αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι*, in posteriore parte illud quaeri solet, quod vel gravius est vel memorabilius, aut id, quod, quum esse vel fieri posse videretur, ipsam quaerendi causam attulit: cui quicquid in priore parte opponatur, tamquam levius minusque considerandum, ita demum certum est, si posterior sententia negando sublata fuerit: quae magni momenti animadversio debetur Gernhardo in *commentationum grammaticarum* P. II. (Vimar. 1822. 4.) p. 5. Comp. directae interrogationis exemplum in *l. I. in Verr.* 47, 122. cum l. III. 38, 86. extr.

Verumtamen in quaestione generali proponenda non necesse est, ut quis suam ipsius sententiam aperiat ipsoque membrorum ordine significet. Quinctil. *instt.* I. 7. paulo post in. *Quaeri solet, in scribendo Praepositiones sonum, quem iunctae efficiunt, an quem separatae, observare conveniat.*

§. 7.

Itaque, quamquam illud quaestionis membrum, quod rationi magis consentaneum est, tamquam prioris sententiae correctio et emendatio postero demum loco subiici soleat, nihilo secius tamen potuit propter ambiguitatem rei controversae idem priore etiam loco poni, ut ap. Cic. *de or.* I. 51, 222. *neque exquirat oratione, summum bonum in animone sit, an in corpore; virtute, an voluptate definiatur; an haec inter se iungi copularique possint* etc. III. 29, 112. pr. 114. pr. *divin.* II. 4, 11. *num quis eorum divinare potest, unusne mundus sit, an plures?* Cf. ib. 3, 10. pr. Ingenue atque ex voto suo Pyrrhus in Ennii *annali* ap. Cic. I. *off.* c. 12. extr. v. 4. *Vosne velit, an*

me regnare hera quid v. e. ferat Fors, Virtute experiamur. Sed ad anceps certamen provocans Samnis ap. Liv. VIII. 23. *Samnis Romanus ne imperio Italiam regat, decernamus.* Cf. ib. c. 13. Cic. *Acad.* II. 29, 93. *Quum gradatim interrogetur, tria pauca sint, anne multa.* Itaque haec quidem membrorum inversio non satis idonea causa fuit, cur V. D. in Gotting. indic. literar. 1826. m. Dec. n. 206. 7. p. 2055. dubitaret de hac potestate Particulae *an*, qua subauditur post eam *potius* s. *vero*. Multo minus comminiscendum novum genus interrogationum indirectarum, in quibus propter studium adversarium refellendi semper contrario modo interrogetur ita, ut Particulae interrogativae ipsae quidem locum suum tueantur, sed inversis sententiae membris contrariam plane vim interrogando vel affirmationem vel negationem innuendi adipiscantur.

Sequiores vero scriptores propriam Particularum interrogativarum vim non accurate discernebant. Hinc factum est, ut ancipitis interrogationis membra opposita non dispararent Particulis, sed quasi ἀναφορᾷ Particulae *an* usi κατὰ μερισμὸν recensendo aequipararent. Plin. Min. VIII. *epist.* 14. paene extr. *Quaero an postulare debuerim, an abstinere.* Post duplex membrum cum iterata Particula *an* Curtius Rufus VIII. 6, 25. utitur formula *in ambiguo fuisse.* Gellius XIII. 1. de ancipiti quadam Ciceronis sententia: *An utrumque idem valere voluerit,* Fatum *atque* Naturam; — *an vero diviserit separaritque, ut alios casus* Natura *ferre videatur, alios* Fatum, *considerandum equidem puto.*

§. 8.

Saepe alterutrum interrogationis duplicis membrum vel supprimitur vel neglegitur aliave forma orationis compensatur: ut in Cic. *or. pro Balbo* 6, 14. *Quasi vero levius sit, — facere aliquid, quod scias non licere, an omnino nescire quod liceat:* ubi expectabatur, *quam omnino:* quod ipsum Nobbius e coniectura substituit; sed absolvitur oratio interrogando, quasi sic exorsa: *Vtrum levius est —?*

§. 9.

Suppresso priore interrogationis membro manet tamen in altero eadem ambiguitas interdum praesertim post ipsius dubitationis vel ignorantiae negationem, ut ap. Senecam *de provid.* c. 3. ad extr. *Non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt, ut dubium sit, an electione fati data plures Reguli nasci, quam Maecenates velint,* h. e. = *non potest dubitari, an* — in *ep.* 117. Sed item post affirmationem harum formularum significatio in neutram partem ullo inclinatur momento e. gr. apud Val. M. I. 1. *ext.* 7. Sic sequioris aetatis scriptores

Horat. IV. *carm.* 7, 17. post formulam: *Quis scit, an —?* Seneca *epist.* 29. pr. *Non possum scire, an ei profuturus sim, quem ammoneo: illud scio, alicui me profuturum, si multos ammonuero.* Plin. VIII. *epist.* 24, 14. *Nescio an iure, certe aequitate postulationis meae victus, omissa sententia sua, accessit.* Paulus in *D. l.* XXI. *t.* 1. fr. 44. §. 2. *In redhibitoria vel aestimatoria potest dubitari, an, quia [qui?] alienum servum vendidit, et ob evictionem et propter morbum forte vel fugam simul teneri potest:* ubi notandus Indicativus quoque. Pomponius ib. *t.* II. fr. 16. §. 2. *Ignorantibus nobis — an futurum esset, ut eum quisquam evinceret:* ubi Pronomen indefinitum rem magis etiam ambiguam reddit. Est vero ea harum formularum natura, ut neque affirment neque negent, sed dubie de re pronuntient: cuius ambiguitatis augendae gratia solent orationi obliquae subiici demum. M. Seneca rhetor *controvers. l. IV.* 28. p. Bip. 299. extr. *an habeam, nescio: accepisse me scio.* L. Seneca *quaestt. natural.* VII. c. 23. pr. *Hoc an cometae alii fecerint, nescio: duo nostra aetate fecerunt.* Itaque in Cic. l. III. *off.* 12, 50. extr. secundum Lips. codicis lectionem, *de eius deliberatione et consultatione quaerimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe iudicet; sed an sit turpe dubitet,* horum verborum, certe si ex sequioris aetatis usu loquendi interpretere, vis eadem erit ac praepositi verbi *dubitet* cum annexo duplici interrogationis membro (v. h. exc. §. 5.) vel etiam cum altero tantum, eoque negativo, membro *dubitet, an turpe non sit:* quae recte intellegere quidem videtur Olshausenus, licet eandem negationem interpretationi suae, verba significationis contrariae adhibenti, interponens perverterit totam sententiam, quam sic extulit: „*dubitet an non honestatem servare possit et turpitudinis crimen effugere.*“ Alia exempla orationis hunc in modum structae praebent Valer. Max. IX. 10. *ext.* 2. pr. *Iasonem Thessalum — an satis iusta ultio absumpserit, ambiguae aestimationis est.* Plinius Mai. *hist. nat.* II. sect. 3. pr. de mundo: *An sit immensus, et ideo sensum aurium excedens tantae molis rotatae vertigine assidua sonitus, non equidem facile dixerim.* Paulus in *D. l.* XXI. *t.* 1. fr. 42. *An exceptio doli mali venditori profutura sit, potest dubitari.*

§. 10.

Quum vel negationis vel affirmationis indicium quamvis obscurum in ipsius interrogationis ratione latere soleat (§. 6.): saepe, prout aut negandum aut affirmandum est interrogando, alterutrum e duobus sive directae sive suspensae interrogationis membris, quod per se ex opposita interrogatione graviore possit

intellegi, praetermittitur: cuius subaudiundi rationem non satis recte docuit Gernh. in *excursu II. ad Lael.* p. 247. usus exemplo e Terent. *adelph.* III. 4, 21. Heg. *mane, non dum audisti, Demea, Quod est gravissumum.* Dem. *An quid est etiam amplius?* ubi duo interrogationis membra haec fore interpretatur, *illudne non satis grave fuit?* De sententiae vi nihil equidem contradicere ausim. Sed nullam in his demonstro esse oppositionem, imo tautologiam. Suppleveris potius: *Est ne illud gravissumum? an* etc.

§. 11.

Interdum etiam ipso quaestionem generalem proponendi modo anticipatur eius causae diiudicatio, ut in Cic. *top.* 33, 87. extr. *off.* III. 23, 91. pr., ubi post *quaeritur* Particulae interrogativae *ne* significatio negativa perspicitur ex eo, quod ipse scriptor Antipatro neganti potius assentitur, quam Diogeni affirmanti, de primo quidem exemplo; sed conformitatis causa in seqq. quaestionibus eadem Particula adhibita est, quamvis ex ipsius scriptoris mente affirmandum sit. V. h. exc. §. 7.

§. 12.

Istae vero dubitanter decernendi formulae cum alterutro membro eius sententiam dubitando plerumque vel tollunt vel ponunt, in primisque verba *nescio* et *haud scio:* quae ignorationis speciem prae se ferunt, sed vel negandi vel affirmandi sensum reconditum habent. Ceterum sententiae a vv. *nescio* et *haud scio* suspensae quadam tenus modaliter differre videntur. Discrimen non in eo versatur, quod *haud* a Verbo seiuncta est, *ne* autem vel *nec* cum Verbo coaluit; sed in ipsarum diversa vi. Negatio *ne* simpliciter habet vim privativam = *νε-* (e. gr. in Voc. *νέποδες*) = *νη-* = *ἀνε-* = *ἀν-* = ohn = un = in-.

Haud vero vel, ut passim in antiquis codd. scribitur, *haut* orta videtur ex Graeca *οὐδὲ* vel *οὔτε* et nescio quid dubitativae existumationis ammixtum habet, ut fere valeat = *ne — quidem* = *non facile, ut equidem existumo* = *parum utique* = *vix ac ne vix quidem* = eben nicht.

Hinc *haud scio* sequente alterutro interrogationis membro, dissimulanter, h. e. non sine dubitationis specie vel negare vel affirmare videtur, ut fere valeat = *ausim dicere* = *ut equidem sentio* = *ut perspicere videor* = *quod intellegam* = *ut veri simile fit.*

Nescio vero est = *non sat scio.* Hinc Cic. II. *fin.* 2, 6. iunxit *nescire et in eo nutare.* Itaque alterutri interrogationis membro iunctum v. *nesciendi* nihil amplius quam Germ. Parti-

enim vielleicht = *fortasse*, interdum etiam Adverbium *credibiliter* compensat periphrasi.

In Particula **haud** aliquem affectum haesitantis animi agnoscere videtur Gernh. in *exc.* II. *ad Lael.* p. 252. et in Seebodii nova tabular. philol. a. 1826. fasc. I. p. 32. s.; ceterum sic interpretatur, ut qui utriusque formulae discrimen senserit magis, quam intellexerit. Acute vero V. D. observat Verbum *nescio* interdum duplici plenae disiunctionis interrogationi praeponi, non item formulam **haud** *scio*, quippe quae repugnet integrae ambiguitati, spectetque ad examen in iudicii trutina sistendum, iniecto in alterutram lancem aliquo pondere; ideoque hanc posteriorem primae tantum personae convenire, non alteri: nusquam enim reperiri **haud** *scis* vel **haud** *scias;* sed *nescis*, vel *qui scis? quis scit?* Nam alia res est, ubi *haud* cum ipso Verbo aestumandi negativo iungitur, ut I. *de re publ.* 15, 3. **haud** *dubitavit docere;* vel ubi oratio primae personae directa inflexa est in obliquam, ut ib. 18, 4. *se ait philosophari velle, sed paucis; nam omnino* **haud** *placere:* ubi improbatio rei *displicentis* apertior est, quam si dixisset *non placere*. Nihil tamen obstare videtur, quo minus pro *nescias* recte dicatur *haud scias:* quoniam in hoc inest simul meae coniecturae significatio.

§. 13.

Inclinant igitur hae formulae I) ad modestam negationem prioris interrogationis, suppresso altero membro; II) priore autem membro suppresso, ad affirmationem alterius, quod tamquam potius ac probabilius significatur. Cf. §. 6. 7. pr.

§. 14.

I) De priore membro hae formulae in Lat. sermone plane sic addubitant, ut Germanice ob, Particula item prioris membri propria, quippe praecise usurpata pro ob (= auf) den Fall, wenn v. daß, in altero membro autem ita, ut Particula disiunctiva oder omittatur, non usitata, nisi per anaphoram, quum aliud membrum iam praecesserit. Dubiis obnoxium praeponderat prius interrogationis membrum ap. Iul. Caes. *de b. G.* V. 54. *idque haud scio mirandum ne sit:* ubi v. Herzogii annot. Mirandum non esse putat. Simili usus locutione Cic. II. *famil. epist.* 5, 3. et *ad Att.* XV. 9. *dubitabam, tu has ipsas literas essesne accepturus: erat enim incertum, visurusne te esset tabellarius;* II. *de fin.* 24, 77. *Vide, quaeso, rectum ne sit*, ubi quum subaudiatur, *an non sit rectum*, significatur *verendum, ne non sit rectum*. Deest exemplum, ubi priori interrogationis membro, quod magis dubitationi obnoxium sit, post hanc

formulam adhibito vocabulum quoddam indefinitum implicatum sit. Alioqui Cic. in *Lael.* 6, 1. dicere saltem potuisset: *quae quidem haud scio datumne, excepta sapientia, quicquam melius homini sit*, vel, *num, excepta sapientia, quicquam m. h. sit a d. i. datum*, suppresso altero membro, *an nihil*: ut ap. Plin. Min. VI. *ep.* 27. *Dubito, num idem tibi suadere, quod mihi, debeam*: ubi sequitur: *Hoc tunc ego. Sed non omnibus eadem placent: nec conveniunt quidem — quibus ex causis — dubito, an idem nunc tibi, quod tunc mihi suadeam. Illud non dubito, debuisse me in parte consilii tui ponere, quod ipse fecissem*: np. *licet non idem tibi suaderem.* Nam utramvis Particulam interrogandi post Verbum *dubitandi* hic in negandi sensum ex sequioris Latinitatis usu promiscuo accipiundam esse manifestum est. Contra ad affirmationem prioris membri spectant haec apud Liv. VIII. 23. sub fin. *vitione creatus esset, in disquisitionem venit.* Maior etiam abusus loquendi reperitur ap. Vlpianum in *D. XXXVIII.* t. 15. fr. 2. pr. *si, cum initio cognovisset eum intestato decessisse, postea quasi certiore nuntio allato dubitare coeperit, nunquid testatus decesserit vel nunquid vivat, quia hic rumor postea perrepserat*: ubi aperte affirmat.

§. 15.

II) Alterum interrogationis membrum quum ipsius, qui loquitur, suspicionem vel coniecturam vel sententiam continere soleat (§. 6. 7. pr.): huic praepositae formulae *haud scio, nescio* etc. *an* in specie dubitationis proprie affirmandi significationem habent, ut quasi vicariae sint vel Particulae modalis *fortasse*, quo significatu etiam *facile* adverbialiter usurpatur, vel verborum *ut opinor, arbitror, suspicor, ut mihi quidem videtur*, non mutata ipsius sententiae istinc suspensae qualitate. Sic ubique apud antiquiores quidem scriptores, ut in M. Catonis oratione, quam *pro Rhodiensibus* in senatu dixit, quum accusarentur, quod regem Persen a P. R. vinci noluissent, ap. A. Gellium VII. c. 3. *Multas nationes idem noluisse arbitror. Atque haud scio an partim eorum fuerint, qui non nostrae contumeliae causa id noluerint evenire; sed enim id metuere* etc.; item in Plauti *mostell.* III. 2, 96. et in Terentii *Phorm.* V. 2, 9., ubi Geta Davo scrupulum iniicit his verbis: *Haud scio (Hercle!), ut homo 'st, an mutet animum*: quae Davus pro affirmatione accipit, usum scilicet loquendi secutus ideoque mirabundus quaerit: *Hem mutet autem?* Neque hunc ei scrupulum plane eximit Geta, sed suspicionem dumtaxat allevat respondendo: *Nescio: verum, si forte, dico.* Ergo in *haud scio* et *nescio* fit suspicionis quaedam degradatio (cf. §. 12.). Alias Terentii lo-

cus extat in *Andria* III. 2, 44. ss., in quo haec formula simpliciter dubitandi vim habere visa est Ruhnkenio in scholiis. Revolvit ibi Simo animo suo Davi, qui modo abiit, sermonem de ficto simulatoque Glycerii puerperio: *Non impulit me haec nunc omnino ut crederem. Atque haud scio, an, quae dixit, sint vera omnia*: quae Bergmannus in *annott.* ad *Ruhnkenii* schol. *Heautont.* p. 312. sic interpretatur, *atque haud credo vera esse omnia, quae dixit.* In eandem sententiam post Brōderum in grammat. Lat. pract. §. 199. abiit Schuppius quoque l. c. p. 648. Sed ex hac interpretatione existere ταυτολογίαν non ferendam intellexit Aug. Matthiae, V. Cel., qui multa de harum formularum usu mecum egit subtiliter atque acute eruditissimis literis omnique elegantia perpolitis. Rectius igitur interpretatus fuerat Westerhovius, *forte haec non omnia sunt vera.* Nimirum illa v. 44. *haec nunc omnino ut crederem* pertinent autem ad ea, quae dixit Davus de Pamphilo v. 29. *Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego?* Addita vero ἐπανόρθωσις, *Atque haud scio an, quae dixit, sint vera omnia*, pertinet ad consilium, cuius a Glycerio ad disturbandas Pamphili nuptias capti scrupulum Simoni iniecerat Davus v. 31. s. *Multa concurrunt simul, Qui coniecturam hanc nunc facio*, usque ad v. 36. Hic scrupulus, *illam id consili cepisse*, etiamque insidebat Simonis animo, ut ipse satis aperte fatetur v. 46. *Sed parvi pendo* (nempe licet, quae dixit, sint vera omnia): *illud mihi multo maxumum 'st, quod mihi pollicitus est ipsus gnatus.* Ex C. Gracchi oratione de legibus promulgatis antiquus interpres Ciceronis ab A. Maio editus ad *or. pro Sulla* c. 9. hoc servavit fragmentum: *Si vellem apud vos verba facere et a vobis postulare, quum genere summo ortus essem et quum fratrem propter vos amisissem nec quisquam de P. Africani et Ti. Gracchi familia nisi ego et puer restaremus, ut pateremini hoc tempore me quiescere, ne a stirpe genus nostrum interiret, et uti aliqua propago generis nostri reliqua esset; haud scio an lubentibus a vobis impetrassem*: in quo fragmento formulam modeste affirmantis recte agnovit Kreyssigius in epistula ad Goellerum, subiecta libro, quem Goellerus Frcf. ad M. 1822. seorsum edidit, *Livii tertio trigesimo* p. 448., ubi Kreyssigius provocat ad Forcellini *lex. Lat.* et ad Schützii *lex. Ciceron.* s. v. *Haud.* Hic vero exscripsit ibi omnia ex Ernesti *clavi Cicer.*, qua V. D. usus erat etiam in reseranda *doctrina Particc. L. L.* p. 78. §. 100. et p. 199. Apud Cic. II. *Acadd.* c. 40. extr., *ne exaedificatum quidem hunc mundum divino consilio existimo; atque* **haud scio an ita sit**, haec formula refertur ad praecedentem negationem eamque ipsam affirmat, *ne exaedificatum quidem hunc mundum divino consilio*, nempe: *sed natura.* Non enim

vim huius formulae satis e communi usu loquendi expressisse videtur nec Bonatius, reddens: wenigstens habe ich keine entscheidende Gründe es zu glauben, nec Gernhardus in *comment. gramm.* II. p. 12. accipiens pro *vel potius non certo scio.* Cf. locum quam simillimum *Tusc.* II. c. 17. extr. In *Bruto* 18, 71. *Et nescio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat*, errat Ellendtius p. 56. interpretando h. e. *fortasse in reliquis rebus aliter evenit.* V., sis, alia exempla dubitanter affirmandi ib. 41. 151. extr. *ad famil.* XIII. *ep.* 1. §. 13. IX. 15. §. 4. pr. *de or.* II. 15, 62. pr. III. 34, 139. paen. extr. *act. II. in Verr. lib. I.* c. 15, 41. pr. et §. 125. c. 48. pr. (ubi de tempore non satis explorato dicere non potuisset *haud scio* pro *nescio, an sit*: Cf. h. *excurs.* §. 12.); ibid. III. 69, 162. extr. *pro Sestio* 27, 58. pr. *pro Mil.* 34, 92. cum Schellii annot. vol. II. p. 514. *pro M. Marcello* 9, 29. *pro Ligar.* 9, 26. *ad famil.* IX. 18, 4. *ad Attic.* XIV. ep. 11. paene extr. *de re publ.* II. 23. cum Moseri citatis p. 284. *Cat. Mai.* 20, 7. (compar. *Tusc.* I. 49, 117.) *legg.* I. 6, 18. II. 22, 57. pr. In *Tusc.* III. 8, 16. formula *haud scio an* nequaquam repetit vim verborum *veri etiam simile est*, ut putat Gernh. in *excursu* II. p. 255. s., frustra laborans in expediendo anacolutho. Nam oratio ibi incohata resumitur §. 18. his demum verbis: *Qui sit frugi igitur . . ., eum necesse est esse constantem.*

Apud Livium XXXVII. 54, 16., ubi legitur: *nescio an tueri difficilius sit*, prisci et legitimi in hac formula adhibenda usus ignorantia paenultimum voc. in cod. Harlej. detracto Praeverbio mutavit in *facilius*, ut recte animadvertit Aug. Matthiae. V. ibi Drakenb. coll. II. 2. post in. *Nescio an nimis undique eam* (libertatem) *minimis quoque rebus muniendo modum excesserint*, h. e. = *videntur mihi paene modum excessisse*; tum III. 60. post in. XXI. 43. paulo ab in. *Ac nescio an maiora vincula maioresque necessitates nobis, quam captivis vestris, Fortuna circumdederit.* XXII. c. 39. post in. *nescio an infestior hic* (Varro) *adversarius, quam ille* (Hannibal) *hostis maneat.* XLII. 41. pr. Cf. Heindorf. ad Horat. *serm.* II. 3, 83. p. 296. Eumdem usum loquendi retinuerunt plerumque etiam sequiores scriptores, ut Valer. Max. I. 1, 14. (ubi v. Vorstius p. 24. ed. Torren.) Id. II. 1, 6. c. 7, 15. (pro quo Gernh. in *exc.* cit. bis p. 249. et 258. citat II. 4, 11.) Ib. c. 9. n. 2. III. 6, 1. (ubi *sed nescio an ideo* caue in negandi sensum pro *sed non idcirco* accipias cum Gernh., qui in *excursu* II. p. 248. et in ultima disquisitione inferius citanda p. 27. parum attendisse videtur ad ea, quae ibidem sequuntur) IV. 6, 5. V. 2. *ext.* 4. c. 4. n. 6. c. 7. n. 3. VII. 2. *ext.* 16. c. 8. n. 5. VIII. 14. *ext.* 4. pr. c. 15. n. 11. IX. 9, 3. M. Seneca l. l. *controv.* II. ubi v. Schultingius

p. 86. Curtius Rufus IV. 11, 9. Cf. Ioh. Henr. Ernesti *usurpata a Curtio in particulis Latinitas* p. 35. L. Seneca *consol. ad Marc.* c. 1. paulo a pr. *Patrem non minus, quam liberos, dilexisti, excepto eo, quod non optabas superstitem. Nec scio, an et optaveris:* (h. e. = *fortasse et optasti:* sequitur enim deinceps:) *permittit enim sibi quaedam et contra bonum morem magna pietas.* Id. *consol. ad Helv.* c. 12. *Nescio an eo laetiores sint pauperes, quo animus eorum in pauciora distrahitur.* Plin. Mai. *hist. nat.* II. sect. 6. paen. extr. *luna — haud scio an omnium, quae in caelo pernosci potuerunt, magistra.* Adeoque haec apud Quinctilianum *instt.* I. 4. *Nam et quaedam Participia an Verbi appellationes sint, dubitari potest, quia aliud alio loco valent, ut* Lectus *et* Sapiens, in sensum affirmantem accipit Perizonius ad Sanctii Minervam I. 15, 1. ed. Bauer. t. I. p. 141. Hoc enim volt Q., videri ista verbalia potius, quam mera Participia. Affirmatur ib. II. 17, 3. III. 5. p. 159. Bip. *Ac nescio an in causis quoque, quicquid in quaestionem venit qualitatis, generale sit.* Cf. Burmanni annot. ad XII. 11, 11. p. 1108. vel ed. Capperonner. p. 757. n. 17. atque huius ipsius annot. 24. ad l. VIII. c. 4. *Crescit oratio minus aperte, sed nescio an hoc ipso efficacius;* denique Dukeri ad Flor. III. 12, 6. p. 546. ed. II. et Bünemanni ad Lactant. VI. 20, 27. annotata.

§. 16.

Paulo affirmatius autem cum idoneae rationis, cur alia quaevis suspicarere, significatione dicitur: *atque etiam haud scio, anne uxorem ducat,* apud Terent. in *heaut.* V. 2, 46. secundum cod. Bodleianum, h. e. ja, ich stehe nicht dafür, daß er nicht gar heurathet. Itaque haec Particula, in qua *an* illud ipsum suspicatur, quod suffixa *ne* vix credibile esse significat, interrogationi acuendae eamdem addit vim, quam praemissa formula *putaresne* etc. ap. Cic. II. *famil. ep.* 11. pr. *Putaresne, umquam accidere posse, ut mihi verba deessent?* quae nequaquam valent = *Numquam accidere poterit:* id quod indicant seqq. *desunt autem,* quibus παρὰ προσδοκίαν affirmatur. Et, si quid supplendum esset, non tamen cum Gernh. in *excurs.* II. p. 248. subaudierim equidem *an non posse;* sed *an non* (= *nonne*) *putares, aliquando fieri posse* etc.? Haec demum iusta foret oppositio. Particulae *anne* affirmationem expectanti non sine ammiratione vim contrariam habet apud Arnobium *An numquid,* ubi *numquid* illud negando tollit, quod contra omnium opinionem ab altero absurde affirmari suspicionem moverat *An,* lib. II. post med. p. 111. Herald. *An numquid orandus es, ut beneficium salutis ab deo digneris accipere?* Istam tamen Particulae *anne*

vim praecedente aliquo interrogationis membro in altera parte ne quaesiveris. Exempla, in quibus *ne* affixa plane abundat, dedit Aug. Matthiae ad *or. pro leg. Man.* 19, 57. pr. Cf. *numne* (= *an numquid*) *I. N. D.* 31, 81. pr.

§. 17.

Ex loco Cic. *pro Caelio* 7, 16. pr. *Quod haud scio an de . . criminibus istis . . similiter respondendum putem*, ubi haec formula vel abundare vel affirmationis confidentiam adeo augere videtur, ut valeat = *quod de criminibus istis similiter respondendum puto* v. *putabo*, possis colligere, eiusmodi Optativos nude positos ubique pendere ab hac formula, non addita illa quidem, sed tamen intellecta. Verumtamen illo in loco vel cum Subiunctivo, qui Futuri vim habet, constructa quasi deliberantis est (quem huius formulae usum post haec §. 21. extr. considerabimus), vel est pleonasmus quidam, ut in *Cat. Mai.* 16, 7. pr., si integra est lectio (de qua v. infra §. 25.): *Mea quidem sententia, haud scio, an nulla possit esse beatior* (senectus).

Deinde etiam in ipsa hac formula pro Indicativo usurpatur Optativus modestiusque dicitur *haud sciam an* ap. Cic. *de or.* I. 60, 255. pr. II. 17, 72. c. 52. pr. §. 209. *Tusc.* III. 23, 55. Liv. IX. 15. paene extr. Cf. var. lect. in *Lael.* 14, 10. pr., ubi etiam Goth. 48. Vim. et Oxx. η, υ, ο, σ *haud sciam*.

§. 18.

Interdum formula *haud scio an* in gradatione per attractionem afficit Modum Verbi etiam ad prius orationis membrum, idque absolutum, referendi. Tum Optativus per enallagen vices gerere videtur Indicativi, ut in Cic. *oratore* 2, 7. extr., quem locum post haec §. 28. denuo considerabimus, et I. *off.* 21, 72., ubi cf. annotatio. Vicissim mediae orationi haec formula interponitur aut sic, ut verborum constructio e primaria loci sententia pendeat atque in superiore Indicative subaudiatur eiusdem Verbi iterandi Optativus, quem interrogatio indirecta post *an* Particulam absolvenda postulat (ut *pro M. Marcello* 9, 29. aut ap. Quinctil. XII. 10, 2. loco infra §. 26. citando), aut unius vocabuli gravioris libertatem excusandi gratia, ut praecisa oratione post formulam istam subaudiendum sit vel *recte dicam* vel *recte dicatur*, *dicantur* etc., adeoque huiusmodi formula tantum non Adverbii vel Particulae modalis locum tenere videatur, ut alibi formulae *nescio quomodo*, *nescio quo pacto* orationem interrumpunt sic, ut fere tantumdem valeant atque Interiectio *eheu!* vel *id quod molestum s. odiosum est*; neque tamen constructionem immutant suntque quasi in Parenthesi, ut *nescio quis* per omnes casus et

numeros omniaque per genera. V. annot. ad *or. pro Tull.* §. 15. ibidemque *addenda* p. 242. s. Similiter Particula *quin* ante Imperativum directe interrogandi itemque in Graecâ lingua incohatae interrogationis alacritas in ferventiore Imperativo expirans, ut in formula *οἶσθ' ὅ τι δρᾶσον*, Verbi modum attrahendi potestatem deponit. Hoc potissimum usu venit, ubi haec formula, qua de agitur, obliquae orationi media interponitur et cum ea sic conflatur et confunditur, ut modum non afficiat. Sic in exemplo, quod laudat Ruddimannus *instt. gramm.* P. II. p. 348. in annot. 14. exitu, ap. Terentium in *adelph.* IV. 5, 33. *Qui infelix haud scio an illam misere nunc amat:* ubi tamen duo Boecleri codd. *amet.* Sed Indicativus videtur excusationem habere ex *παραλληλισμῷ* praecedentis membri: *qui cum illa consuevit prius.* Insolentius sic struitur extra synchysin apud Paulum in *Digestt.* *l.* XXI. *t.* I. fr. 44. §. 2., quem locum supra §. 9. exhibuimus.

§. 19.

De usu harum formularum Gerh. in *comment. gr.* II. p. 14. subtiliter atque eleganter observat, *nescio* v. *haud scio an* potissimum duarum rerum comparationi, ne quid invidiae ex hoc iudicandi modo nascatur, aut repraehensioni (h. e. *ἐπανορθώσει*, correctioni) vel exprompti de aliqua re iudicii amplificationi et concinnae gradationi a minori ad maius inservire pro *imo*; *imo vero*; *vel potius.* Cf. eiusdem V. D. *excurs. II.* p. 253. 258. Quod si non limatius notionum rationes distinxeris, sed in rei incertae et in opinione positae notione substiteris: formulis his apud antiquiores quidem auctores substitui potest *fortasse*: qua Particula usus sententiam suam, ut non satis exploratam, profert Cic. *Cat. Mai.* 14, 2. Itaque hae promiscue ponuntur in *oratore* 42, 143. extr. et ib. 2, 7. pr. coll. *Bruto* 33, 126. Sed non vicissim hae formulae possunt pro ista Part. substitui, ubi nulla est simulatio dubitationis modestiaeque significatio, sed vel de fortuitis agitur, ut in *epist.* 1. *lib. IX. ad fam.* §. 2. aut aliquid conceditur, ita tamen, ne plane assentiamur, ut in *Cat. Mai.* 14, 6. et 9. (47. 48. extr.) Nam in Plinii Min. *l.* I. *epist.* 5. med. *nec famam meam aliquo responso, utili fortasse, inhonesto tamen, laeseram*, quae conceditur sperari potuisse utilitas, ea item Fortunae arbitrio committitur. Distinguuntur *haud scio an* et *fortasse* in *Bruto* 41, 151. sic, ut ista formula eius, qui ne nimium affirmare videatur veretur, sententiam modestia temperet, *fortasse* autem suspicantis tantum coniecturam aperiat; aliter in *Catil.* IV. 5, 9., ubi facile perspicitur, *fortasse* magis dici cum spe, *haud scio* vel *nescio an* cum metu aliquo, ita ut valeat ad euphemismum quemdam rei acerbae destabilisque.

§. 20.

Nec vero hae formulae cum altero interrogationis membro solae sic frequentantur; sed ceterae etiam §§. 5. et 9. collectae. *Nescias an* etc. ap. Horat. *od. l. II. carm.* 4, 13. s. *Dubito an* ap. Cic. *l. III in Verr.* 32, 76. paulo modestius i. dicit, q. statim post *quis potest dubitare, quin —?* Item *dubitant, an Caesar per Sardiniam veniat* IX. *ad famil. epist.* 7, 5. dictum est pro *omnino credunt, Caesarem per Sardiniam venturum;* et *dubitari potest* membro interrogativo postpositum id probabile videri significat in loco e Quinctiliani *instt.* I, 4. supra §. 15. paene extr. ascripto.

Negativa vel privativa verbi vis compensatur interdum interrogatione directa, ita tamen, ut tali interrogandi formula res, qua de agitur, non plane affirmetur, sed fieri certe posse significetur. Quinctil. *declam.* CCLXVIII. ed. Bip. p. 89. *Eripuisti periculo reum: unde scio an nocentem? Damnatus est aliquis accusante te: unde scio an eloquentiae vitium sit?* Ista quoque quaestio ap. Valer. Max. I. 8, 9. extr. *Qui scimus, an —?* est illa quidem ignorantis rem, sed tamen affirmate ominantis; similiter ut *unde scimus, an* formula Murrhedii rhetoris ap. M. Senecam in *controv. II.* paen. extr. p. 91. Bip. est suspicantis et verentis, ne ita sit. Quoniam vero in prima Persona plurali inest secunda quoque: idcirco, quum alterius sententiae obloquimur eique adversam suspicionem movemus, utimur secunda persona, ut Terent. *eun.* act. IV. scaen. ult. vs. 20. *hecyra* II. 1, 38. *qui scis an ea causa — assimulaverit?* h. e. *fortasse ea causa, de qua tu nihil suspicari videris, assimulavit.* In aliqua M. Senecae *controversia*, si recte memini, *vide an* i. valet, quod alibi *vide ne.* V. Cic. *pro l. Manil.* c. 23. extr. ibique lect. var. Similiter etiam *id si forte est, nescio* dixit Terentius *hec.* III. 1, 41. Denique etiam hac formula, *Nescio ecquid ipsi nos fortiter in re publica fecerimus*, modeste affirmat Cic. *Tusc.* IV. 23, 52. pr. similiter ut *accusationis* l. III. 12, 29. *Considerate cum animis vestris vosmet ipsi, ecquem putetis* (plus, quam deberetur, poposcisse) . . . *Multos necesse 'st;* sed adiecta Interrogativo Particula *nam*, quae praecise dicitur pro *nam quaeri potest*, aliave simili ellipsi, idem rem plane incertam relinquit post similem formulam *de fin.* IV. 24, 67. extr. *illud dubium* (est), *ad id, quod summum bonum dicitis, ecquaenam fieri possit accessio.*

§. 21.

Vt Graeci formulam οὐκ οἶδ' εἰ cum Coniunctivo usurpant in deliberatione consilii capiundi ita, ut animi sententiam ad ali-

quid faciundum inclinare significent, e. c. Xenophon. in *Cyropaed.* VIII. 4, 16. *ὧν ἐγώ σοι οὐ φθονήσω —· τὰ δὲ ἐκπώματα —, ἐπειδὴ οὐκ ἀνέχεσθαί μοι φαίνῃ, οὐκ οἶδ' εἰ Χρυσάντᾳ τούτῳ δῶ, ἐπειδὴ καὶ τὴν ἕδραν σου ὑφήρπασε:* sic Latinitatis quoque aureae auctores utuntur formulis *haud scio, dubito* v. *dubitem, an,* ut Plautus *mostell.* III. 2, 96. *Nunc hunc haud scio an colloquar. Congrediar.* Cic. *ad Att.* XVI. ep. 5. §. 3. *dubito an Venusiam tendam et ibi expectem de legionibus.* II. *ep.* 6. *Quin etiam dubitem an hic Antii considam et hoc tempus omne consumam; ubi quidem ego mallem Duumvirum, quam Romae me fuisse.* V. *ep.* 9. paene extr. *ut dubitem an etiam te rogem,* h. e. ut etiam te rogandum ducam, ich möchte dich gar noch bitten. Sueton. *Claud.* c. 35. extr., ubi *dubitavit — an obtemperaret* F. A. Wolfio interprete est = *perpendit, an* etc. Perizonioque ad Sanctii *Minerv.* III. 3, 47. in hoc et similibus locis Verbum *dubitandi* consultationem affirmationi, quam negationi propiorem notare videbatur. Integra est dubitatio ap. Iustin. XXI. 2, 4. *diu dubitavit imperium deponeret an bello resisteret,* ut Liv. XXXIX. 50. Huc etiam videntur referri posse exempla ex Corn. Nep. VIII. *Thrasyb.* 1, 1. *dubito an hunc primum omnium ponam,* h. e. *hunc propemodum censeo primum omnium ponendum esse;* ex Cic. *or. pro Flacco* 26, 63. *cuius ego civitatis disciplinam — haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam;* ex *or. pro Cael.* 7, 16. *haud scio an — similiter respondendum putem;* ex *or. in Pis.* 17, 39. *haud scio, an malim;* et ex Ovid. *her.* XVIII. 175. *An malim, dubito, toto procul orbe remotus Cum domina longe spem quoque habere mea:* ubi formulae *haud scio, an* et *dubito, an* quodammodo abundant, augent tamen modestiae significationem simulatione dubitationis, quid dicendum, existumandum, optandum sit.

§. 22.

Sequiores vero scriptores, iam ab Augustea inde aetate, haud raro, ubi quidem sententiae declarandae vis satis aperta sit, his formulis promiscue utuntur etiam sic, ut spectent ad negationem. Nam quod Cicero dixit in *Catone Mai.* 20, 10. *Moriundum certe 'st: et id incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem* etc.: idem sic elocutus Horatius est *carm. l. IV. od.* 7, 17. *Quis scit, an adiiciant hodiernae crastina summae Tempora di superi?* h. e. *Quis pro certo affirmet adiecturos hodierno diei crastinum deos superos?* Certe Plinius *lib. VI. epist.* 21, 3. *Nescio an noris hominem, quamquam nosse debes,* imitatus videtur Ci-

ceronem *ad Att.* I. 18, 6. *quem tu fortasse ne nosti quidem; tametsi potes nosse.*

Germanismus hac in re si cui inesse videtur, is ea tenus quidem non erraverit, qua tenus prius potius, quum alterum interrogationis membrum expressum agnoverit; sed tamen haud scio, an diversam Particularum *an* et ob naturam non satis perpenderit. Cf. §. 14. pr. Nimis vero subtiliter Gernh. in *comment. gramm.* II. p. 11. post interrogativam ob Particulam, ut ait, encliticam nicht a negativo nicht distinguit: quae accentu tantum, non suapte vi, differunt. Neque formula: Ich weiß nicht, ob der Freund kommen wird, tantumdem valet, quantum: Vielleicht kommt er; *nescio, an venturus sit,* quae est formula modeste sperantis. Ista vero adventus spei diffidentis potius est. Similiter vero, ut Nostrates, Graeci utuntur formula *οὐκ οἶδ' ἂν εἰ* cum Indicativi certe Praeterito Tempore. Sic in sententia conditionali Xenophon *Cyropaed.* V. 4, 12., ubi Gadates eunuchus Cyri melius, quam multi filii de parentibus merentur, de se homine alieno meriti laudem praedicat: *εἰ ἦν, οἷος ἔφυν ἐξ ἀρχῆς, καὶ ἐπαιδοποιησάμην· οὐκ οἶδ' ἂν εἰ ἐκτησάμην παῖδα τοιοῦτον περὶ ἐμέ·* cui sententiae subesse negationem apparet adiectis ibi exemplis filiorum parentibus suis infestorum negotiumque iis facessentium. Imitantur hoc etiam Latini, ubi de re ipsis ignota ambigunt, ut Venus ap. Virgil. *Aen.* IV. 110.

> *Sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam*
> *Esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis.*

V. Vechneri *hellenolexia* p. 268. Ergo negativo huic Latinarum istarum formularum usui apud sequiores vel Hellenismi affectatio quaedam subest, quum Particulam *an*, cuius vera vis sensim obscurata esset, cum aliis Particulis interrogativis prioris membri propriis, *num* v. *ne*, promiscue usurparent (cf. §. 7. extr.), annexumque hoc modo membrum non pro duplicis interrogationis altera parte, sed pro simplici eaque integra interrogatione accipi vellent, vel, ut Augustus Matthiae perspicaci ingenio admodum probabiliter suspicatur, deprachenditur in eo nimia quaedam urbanitas modestiaque ac degeneris ad servilem humilitatem ingenii significatio. Et in timidulo quidem iucunda de re aut iniucunda iudicio atque in urbana veram animi sententiam per ignorationis vel dubitationis speciem cautius expromendi ratione initia rhetorici usus formularum *haud scio*, *nescio* etc. cum interrogativa Particula vel *ne* vel *an* verissume iam agnoverat Gernhardi sollertia in *excursu II.* p. 250. Observat enim V. D. verecundiae, vel urbanitatis et prudentiae esse, ad nostrae sententiae, si qua sit, ab alterius indicio discre-

pantiam vel acerbitatem leniendam cum quadam haesitatione dicere, quid sentiamus, vel dicere nos nescire, h. e. non certo scire, utrum ita sit nec ne, quamquam, quae pro vera habeatur sententia, denique ex ipsa dubitationis forma eluceat: ut, quum nobis res sit, quam quaerimus, explorata, *nescio*, vel, *haud scio*, cum Part. interrogandi vel *ne* vel *an* idem denique sit, quod: *non certo quidem scio, verum opinor*; vel *vereor ut* vel *ne:* prout id, quod me fateor non certo scire, comparatum fuerit. Distinguitur autem ab eod. Gernh. in *comment. gr.* II. p. 9. duplex potissumum causa adhibendae huius verecundiae, quum aut nostra causa cauendum sit, ne apud alterum, cui nos rem certo scire dixerimus, arrogantiae, suspicionis, iniquitatis, stultitiae, temeritatis notam contrahamus; aut alterius causa, ne dissentiendo vel acerbe loquendo secus statuentis indignationem invidiamve moveamus. Nimirum urbanitatis esse in sermone familiari cauere, ne ad rerum tristitiam accedat etiam iudicii explorati certaeque sententiae molestia, sed ut per inscientiae speciem vel quandam nesciendi simulationem rei dicendae acerbitas et asperitas quodammodo leniatur mitigeturque. Sed sequiores scriptores nativa hac urbanitate et quasi Socratica ignorantiae et dubitationis simulatione contenti non fuerunt, sed verecundiae studio longius etiam progressi sunt usque ad opinionis suae dissimulationem. Pessum data quippe re publica vix quisquam ausus est habere peculium quoddam opinionis liberae aut de graviore aliqua re confidentius pronuntiare ex animi sui sententia. Itaque ea tenus Gnathonum similes utebantur formulis modestiae omninoque interrogandi, quae propter ambiguitatem suam in utramque partem accipi possent.

Negat quis? nego. Ait? aio; postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari.

Scilicet morem gerebant ancillae in eadem *eunucho* IV. 4, 54. praecipienti:

Tu pol, si sapis, quod scis, nescis.

Quo magis, quamvis ipsi quid negandum arbitrarentur, tamen suam sententiam istis ambigendi formulis celantes unius cuiusque iudicio relinquebant, utram in partem, ut probabiliorem, essent interpretandae. Sic Valer. Max. IX. 3, 1. extr. L. Seneca *ep.* 29. pr. *Verum . . . nulli nisi audituro dicendum est. Ideo . . . de Cynicis, qui . . . obvios quosque monuerunt, dubitari solet, an hoc facere debuerint. Quid enim, si quis surdos obiurget?* Saepius sic locutum depraehendimus Quinctilianum, e. gr. *instt.* VIII. 6, 22. *Id nescio an oratori conveniat, nisi in argumentando:* ubi Spaldingius ipse corrigit annotationem suam ad VI. 3, 6. *quod non ratione aliqua, sed motu animi quodam,*

nescio an enarrabili, iudicatur. Plin. Min. II. *epist.* 2. pr. *Irascor: nec liquet mihi, an debeam; sed irascor. — Causa magna est, nescio an iusta: sed ego, tamquam non minus iusta, quam magna sit, graviter irascor.* Ib. II. *epist.* 12. pr. λειτούργιον *illud —, nescio an satis, circumcisum tamen et adrasum est*, Io. Th. Kreyssigius in *diss. de codicis membran. C. Plinii Caec. Sec. epistolas olim complexi fragm. in bibl. Lycei Annaemontani reperto* (Schneebergae typ. Fuldii et Schuberthi 1812. 4.) p. 23. formula ista semper atque ubique affirmationem potius, quam negationem declarari censens interpretatur = *fortasse satis*, hac totius loci sententia: *Negotiolum illud publicum . . . haud multum abest, quin ea, qua par erat, severitate confectum esse existumem iustumque saltem, licet iusto remissius peractum.* Sed V. D. ipse sensisse videtur Particulam adversativam *tamen*, quae sequitur (ut et in priore exemplo et in Ovidii *metam.* X. 263. *sed*), dubitanti opponi rectius, quam affirmanti formulae. Mihi quidem *negotiolum illud utcumque, quamvis non satis prudenter et accurate, peractum esse* videtur significari maxume sequentibus: *Sed hoc pluribus visum est . . .: nam cum sit impar prudentia, par omnium ius est.* Non ad severitatem poenae hoc spectat, sed ad ἀτοπίαν. VII. *epist.* 19. *Doleo enim maxumam feminam eripi oculis civitatis, nescio an aliquid simile visuris* (h. e. *Talem feminam, credo, oculi civitatis numquam videbunt*): ubi in negativa sententia mirari noli *aliquid*; quippe valet = *aliud quicquam.* VIII. *epist.* 14. *potes id quoque docere, quod in obscuro est an didiceris.* Propter Part. *certe*, item quodammodo adversativam, sinceram ignorantiae professionem agnoverim equidem IV. 11. (*Maxuma Vestalis absens inauditaque damnata incesti*) *clamitabat: Me Caesar incestam putat, qua sacra faciente vicit, triumphavit. — Blandiens an irridens, ex fiducia sui an ex contemptu principis dixerit, dubium est. Dixit, donec ad supplicium, nescio an* (h. e. si minus) *innocens, certe tamquam innocens ducta est.* Nisi hic familiaris esset Plinio Minori usus loquendi, ubi vel sincere ambigit vel simulate dubitat, equidem non magnopere contenderem cum Mich. Webero in *symbola gramm.* II. p. 102. interpretante: *Innocens ducta est ad supplicium. Hoc mihi facilius est ad credendum; hoc mihi veri est similius. Hoc non temere credo.* Sequitur haec interpretatio genuinum antiquiorum auctorum usum loquendi. Verumtamen in contextu cum scriptura et superiore et inferiore, ad quem provocat interpres S. Rev., insunt non tam causae, cur pronus esset auctor ad hoc credendum, cur innocentia Corneliae maxime probabilis esset habenda; quam cur *arserit Domitianus et crudelitatis et iniquitatis invidia, destitutus*, h. e. carens testibus, quibus Corneliam convinceret. Certe

Plinius eius innocentiam in ambiguo relinquit (v. h. excurs. §. 9.) eamque praestare non audet, amico concedens; fortasse Licinium rerum de incesto confessum, ut patet in vv. superioribus: *Dices: „tristia et miseranda; dignum tamen illum, qui haec ipsa studia incesti scelere macularerit."* *Confessus est quidem incestum; sed incertum, utrum quia verum erat, an quia graviora metuebat, si negasset.* Similiter II. *epist.* 2. pr., loco supra ascripto, haec formula sincere ambigebat dubitationique locum relinquebat ante *sed tamquam.* Itaque eadem formula, h. l. videtur valere = *non ausim dicere.* Sic non absolvit quidem Vestalem; neque tamen eam damnat. Absolvi videretur ex Plinii Minoris quidem usu ignorantiam simulate prae se ferendi, si legeretur, ut Barthius volebat: *nescio an nocens.* Deinceps recte in cod. Medic. extat: *certe tamquam innocens.* Altera Gierigii lectio *certe tamquam nocens*, cum Barthiana iuncta, nobis sensum minus commodum habere videtur: *Etsi forsan innocens erat; non aliter tamen ducta est, ac si nocens esset.* Idem visum est Webero, cuius probabilior sane interpretatio haec est: „etiamsi innocens non fuisset, verique species me fefellisset, *certe tamen TANQUAM innocens ducta est*, sic ducta est, ut pro innocente a quolibet facile haberi posset": modo substituantur Perfecta omittaturque Pron. *me*: *etiamsi innocens non fuit* (v. *fuerit*), *verique species fefellit* (v. *fefellerit*) etc. Huic quidem interpretationi, secundum quam Plinius Vestalis illius reatum non plane infitiatur, sed liberum de eo amici iudicium relinquit, optume convenit Part. *certe* = *saltem* = *at*; ut post eandem formulam *lib. I. epist.* 15. *invidisti, nescio an tibi; certe mihi. Sed tamen et tibi;* et in simili non simulatae ignorationis confessione e *lib.* VIII. *epist.* 24, 14. exhibita supra §. 9. p. 207. atque in degradatione ap. Senecam in *epist.* 117. *Obsecro vos, cur tam necessariam curam, maioribus melioribusque debitam, in re nescio an* (h. e. etiamsi non) *falsa, certe inutili, terimus?* et in *quaestt. nat. l.* III. praef. *Festinemus et opus, nescio an* (h. e. vix) *superabile, magnum certe, sine aetatis excusatione, tractemus.* Plin. Min. IV. *epist.* 2. *Regulus filium amisit, hoc uno malo indignus: quod nescio an malum putet*: h. e. quod, si recte de eo sentio, malum non putat, sed emancipati filii obitum haeres laetatur. Fronto *ad Antoninum Imp.* IV. *epist.* 3. *Haud sciam an utile sit demonstrare, quanta difficultas, quam scrupulosa et anxia cura in verbis adhibenda sit, ne res animos adolescentium retardet aut spem adipiscendi debilitet.* Haec formulae *haud scio an* potestas negativa viderint acutiores an prodat serioris aetatis vel declamatorem vel interpolatorem ab ipso Cicerone in commentariis relictae orationis *de harusp. resp.* 11, 22. *Quod*

ni tu Megalesia illo die spectare voluisses: ***haud scio an*** *vivere nobis atque his de rebus iam queri liceret:* h. e. == §. 23. *extiterunt dies illi festi paene funesti.*

Graeca exempla reperiuntur ap. Lucian. in *Toxari* t. II. p. 526. cum Praeterito: *Τοῦτό σοι ἔργον φίλον Ἕλληνος, οὐ πρὸ πολλοῦ γενόμενον· ἔτη γὰρ οὐκ οἶδα εἰ* (h. e. fortasse nondum) *πέντε διελήλυθεν.* cum Futuro ib. 530. 5. amicus in amici fide conquiescens, *ἐπεὶ ἀπέθνησκε, διαθήκας ἀπέλιπε τοῖς μὲν ἄλλοις ἴσως γελοίους, σοὶ δὲ οὐκ οἶδα εἰ τοιαῦται δοξοῦσιν* (tibi testamentum illud credo non ridiculum visum iri) *ἀνδρὶ ἀγαθῷ καὶ φιλίαν τιμῶντι.* Id. in *Timone* t. I. p. 168. *οὐκ οἶδα εἰ γαμήσεις ἔτι, ὦ οὗτος, τηλικαύτην παρ' ἐμοῦ πληγὴν λαμβάνων.*

§. 23.

In deliberando quoque sequiores scriptores contra, quam (§. 21. extr.) prisci Latinitatis auctores, his formulis utuntur sic, ut in negandi sensum accipi velint. Quinct. *Instt.* II. 17, 3. *Me* ***dubitasse*** *confiteor, an hanc partem quaestionis tractandam putarem.* Plin. Min. I. *epist.* 14. ***Nescio an*** *adiiciam esse patri eius amplas facultates. Nam quum imaginor vos, quibus quaerimus generum, silendum de facultatibus puto.* *) Conf. II. *epist.* 4, 1. Id. IX. 2. amico suo non solum plurimas, verum etiam longissimas epistulas flagitanti, se, quod eius voluntati non fecerit satis, excusat. Tum addit: *Habes, ut puto, iustam excusationem: quam tamen* ***dubito an*** *tibi probari velim. Est* ***enim*** *summi amoris negare veniam brevibus epistulis amicorum, quamvis scias, illis constare rationem.* h. e. *tamen credo, me debere potius velle, ut eam non existumes iustam, neque epistularum brevitati veniam concedas: est enim hoc summi amoris signum, longissumas ab amicis epistulas flagitare et expectare, quamvis recte possit earum brevitas excusari,* interprete Mich. Webero *Symbol.* II. p. 97.

§. 24.

Hic rursus, similiter atque §. 9. extr. observatum est, orationis, ut ad negationem inclinetur, membra fere invertuntur,

---

*) Sed aptius Weberus in *symbola* II. *ad grammat. Lat.* p. 108. putat scriptorem inscientiam suam hic non caute, modeste, ac simulate, sed simpliciter, ingenue atque aperte fateri: propter seqq. *quum publicos mores . . intueor . . ., ponendus est calculus.* Eiusdem plane generis est locus IV. *epist.* 15. *Asinius Bassus, iuvenis (****nescio an dicam****, quod me pater et sentire et dicere cupit, adulescentis verecundia vetat) ipso patre melior.*

e gr. in deliberatione ap. Iustin. *histt. lib.* VI. c. 2. *An eum summae rei praeponerent, d e l i b e r a v e r u n t.* Verbum *dubito* sic postpositum animum inter diversas opiniones incertum fluctuantem indicare videatur in Ovidii *metam.* X. 262. *Supera deus hic bene notus in ora est: An sit et hic d u b i t o; s e d e t h i c t a m e n augurot esse.* At vero ipsae Part. *sed — tamen* manifestant adiecta verba continere ἐπανόρθωσιν prioris sententiae, quae est animi ad non credendum, quam ad credendum propensioris: ut in loco Plinii Min. *lib.* VI. *epist.* 21, 3. supra §. 22. citato. Cf. earumdem *metamorph. lib.* V. 208. *An dea sim, d u b i t o r:* h. e. *numen meum in dubium vocatur;* = *dubitatur de numine meo.* Quinctil. *instt.* IX. 2, 107. *consequens a n epicherema sit, d u b i t a t;* c. 3. §. 65. *quod totum pendet ex finitione; adeoque a n figura sit, dubito;* V. 14, 13. *Soluta corpore anima a n sit immortalis, i n d u b i o e s t:* h. e. *de immortalitate addubitari potest;* I. 7, 24. *SIBE et QUASE scriptum in multorum libris est; sed, a n hoc voluerint auctores, n e s c i o:* ubi v. Spalding. L. Seneca *epist.* 25. pr. *An profecturus sim, n e s c i o:* h. e. *vereor, ut quicquam proficiam; fortasse parum profecero.* Plin. Min. VII. *epist.* 12. *Libellum tibi misi ideo tardius, ne tempus emendandi eum, i. e. disperdendi, haberes. Habebis tamen, an emendandi, nescio; utique disperdendi,* (ὑμεῖς γὰρ κακόζηλοι) *optima quaeque si detraxeris.* Id. *lib.* VIII. *epist.* 16, 3. in quo tamen l. M i c h. W e b e r u s sinceram inscientiae confessionem agnoscere maluit p. 6. Id. in *panegyr.* 64. (al. 84. pr.) *atque identidem me, a n audierim, a n viderim i n t e r r o g o.* Affirmandum est; sed quaerit, quasi negandum sit. Praecessit enim: *Nec dum satis aut oculis meis aut auribus credo.*

§. 25.

Eandem vim declarant et negationem praeponderare innuunt addita Pronomina vel Adverbia indefinita, quae tam affirmativis, *aliquid, aliquando, alicubi, uspiam, quispiam,* quam negativis, *nihil, numquam, nusquam: nemo,* interiecta quasi media, qualitatis quodam modo neutrius, negationis tamen quam affirmationis sint viciniora ideoque in oratione addubitantis omnibusque in sententiis modi problematici usurpentur, nempe *quicquam, ullum, umquam, usquam.* Vt ap. Valer. Max. V. 2, 9. extr. *Multa insignia Pompeio, sed n e s c i o a n hoc q u i c q u a m admirabilius contigerit:* h. e. = *sed, ut mihi quidem videtur, n i h i l hoc admirabilius contigit;* = *hoc nihil admirabilius contigisse credo:* ubi Nostrates dicunt: Ich weiß nicht, ob irgend was ꝛc. Vt Graeci, e. gr. Xenophon in *Hierone* 1, 7. extr. ο ὐ κ ο ἶ δ' ε ἴ τ ι ν ι διαφέρει. h. e. οὐδενὶ διαφέροι ἄν. Lucian. in con-

oiv. 3. *δέον λήθην ποιήσασθαι αὐτῶν καὶ νομίζειν ἐκεῖνα πάντα Θεοῦ ἔργα τοῦ Διονύσου εἶναι, ὃς οὐκ οἶδα εἴ τινα τῶν αὐτοῦ ὀργίων ἀτέλεστον καὶ ἀβάκχευτον περιεῖδεν.* Id. *deor. dial.* ed. Reitz. t. I. p. 263. *ἐγὼ πάλαι ὁρῶσά σε νέον ὄντα καὶ καλὸν, ὁποῖον οὐκ οἶδα εἴ τινα ἕτερον ἡ Φρυγία τρέφει, μακαρίζω μὲν τοῦ κάλλους.* Id. *de sacrific.* ib. p. 525. *οὐκ οἶδα εἴ τις οὕτω κατηφής ἐστι καὶ λελυπημένος, ὅστις οὐ γελάσεται.* Sed omnino ancipiti interrogationis sententia Pomponius *Pand.* XXI. t. 2. fr. 16. *Ignorantibus nobis . . an futurum esset, ut eum quisquam . . evinceret.*

Hic, si Part. *an* vim suam retinuerit, nulla prorsus statui ellipsis potest alterius membri: nam neque affirmativum neque negativum recte opponitur, sed utrumque in hoc indiscreto cuno indifferens confunditur. Opponuntur enim inter se tamquam disiuncta haec tantum: *nullus* et *non nullus* = *aliquis*; *nemo* et *non nemo* = *quispiam*; *numquam* et *non numquam* = *aliquando*; *nusquam* et *usquam* = *alicubi*. Licet autem *an* natura sua ad aliud quid respicere videatur, tamen non ubique necesse est, ut de eo, quale illud sit, mentio fiat. Proinde cum *an* Particula iunguntur eadem tum Pronomina tum Adverbia indefinita, quae aliis Particulis conditionalibus comparativis aut negativis, ut *si* (in *Lael.* 2, 10. extr. *pro Cluent.* c. 53. pr. cf. *de re publ.* II. 23. *si ullum probarem*: np. *sed nullum probo*: quibus opportune Aug. Matthiae addit ex IX. *ad Attic. ep.* 7. *gaudeo, si est nunc ullus gaudendi locus*; X. 4. *huic tu malo affer consolationes, si ullas potes*; XVI. 5. *si quisquam me tenet*; *Brut.* 33, 126. *fin.* III. 3, 10. *si quisquam alius, εἴ τις ἄλλος.*) *quam diu* (cum spe mox non amplius fore, in I. *Catil.* 2, 6. pr.) *ubi*, *ne*, *vix*, *quam* (l. III. *in Verr.* c. 1. §. 3. pr.), subiunguntur, itemque verbis negativis, e. gr. *Acad.* II. 11, 33. *hoc unum tollere, ut quicquam possit videri, ut non eodem modo falsum etiam possit videri*; III. *offic.* 5, 26. *errat in eo, quod ullum . . vitium animi vitiis gravius existumat*: h. e. = *errat: nam . . nullum existumari debet.* Apud Terent. in *Andr.* II, 6, 3. *Quid narrat Davus?* responsio haec *Aeque quicquam nunc quidem* sensum negandi e comparatione accipit. In talibus interpretandis non satis acutus fuit Schuppius l. c. annot. ad p. 19. ut adeo Bröderum in *grammat. pract.* §. 573. docere vellet, quod ipse dedocendus est, haec indefinita atque affirmativa definita extra negationem comparationemve promiscue poni. Iccirco autem cum vocabulis modum cogitandi problematicum declarantibus iuncta vocabula ista indefinita ad negationem potius quam affirmationem spectant, quia circumspiciundi anquirendique diligentiam et curam quamdam adeoque reperiundi diffiden-

tiam significant. (Cf. §. 29. paene extr.) Haec ratio quum satis manifesta sit: omnis abesse debet licentiae atque arbitrii ab hoc loquendi modo suspicio. Cf. Ochsneri animadv. ad *Lael.* 6, 1. in Oliveti *ecll.* p. 155. Quid differant haec indefinita a Pronominibus Adverbiisque definitis, patet tum in oppositione, ut ap. Lactantium III. *instt.* c. 2. extr. *Videamus . . . possitne hoc studio reperiri aliquid, an nihil;* tum in sententiis similiter conformatis, sed diversae qualitatis, ut in Plauti *aulul.* I. 2, 13. 14. et in affirmatione conditionis ap. Cic. in *or. pro Plancio* c. 20. pr. *ne si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium comparandi;* et *de fin.* V. 30, 91. *Ne seges quidem est spicis uberibus et crebris, si avenam uspiam videris.* Contra in negatione sequelae, ubi ipsum Pronomen negatione afficitur, *ad Att.* XIII. *ep.* 10. §. 4. *in Caesarem, ne si insidiis quidem Marcellus interfectus esset, caderet ulla suspicio:* ubi *aliqua* diceretur non eodem significatu, quo *ulla;* sed pro *nonnulla*, vel etiam *magna* = *multa*. V. obs. ad *Lael.* 11, 11., ubi adhibitam a nobis correctionem confirmabit comparatio loci in II. *de orat.* 19, 77. pr. Cf. annot. ad *Lael.* 22, 3. Propter hanc ipsam vocularum istarum indefinitarum cum Particula *an* iunctarum ambiguitatem magis emergit negatio non tam in verbo primario *nesciendi* vel *dubitandi*, quam in tota formula latens.

Neque omnino inepte fieri videtur, quod Ramshornius in *Grammat. Lat.* §. 174, 2. annot. 3. p. 498. ss. aliam quamdam in hac formula pronuntiationem agnoscere videtur, aliam in illis: *nescio an aliquid, nescio an nihil.* Etenim in hoc *nescio an ullus, nescio an quicquam* in negatione gravior quaedam vocis vis insistere videtur. Accentus tamen (cuius constituendi quam ille V. D. iniit, ne satis liquida quidem ratio est) vim et potestatem huius formulae nequaquam immutat, sed adiuvat eius propriam. Neque oraculum illud Ammoniacum ulli est usui in arte critica factitanda: nam voculationem vel accentum non solum alius V. D., quem modo laudavimus, sobrio iudicio usus scite assimilat naso cereo, flexibili et, quo duxeris, sequaci; sed et Gernhardus ut incertam reiicit voculationis decempedam istam, cuius abusum Ramshornius etiam ad alias apud sequiores negandi formulas definitas transtulerat. Et Gernhardus quidem harum formularum vim examinavit primum in *comment. grammat.* II. Vimar. 1822. pp. 15. in IV.; contractius vernacule in God. Seebodii *tabulario philol.* (*Archiv für Philologie* Helmstadii 1824.) curs. annivers. I. P. I. in comment. X. Ueber *nescio an* oder *haud scio an* p. 104 — 110.; tum mutata non sententia, sed forma disputationis *excursu II. ad Cic. Lael. c.* 6, 20. p. 246 — 262., ubi alia qua interpretatione ex formulis istis negandi vim ut extorqueret lexilo-

gus, frustra operam quum impendisset arbitro V. D. in *Gotting. indicib. liter.* de a. 1826. m. Dec. n. 206. 7. p. 2053., idem grammaticus, postea invenisse sibi visus quamdam correctionem, omnem rem retractavit in Seebodii *novo tabulario philol.* (Hannoverae a. 1826. ap. Hahn.) curs. annivers. I. fasc. 1. p. 18—36. Berichtigender Nachtrag zu der grammatischen Untersuchung über *nescio an* und *haud scio an*. Huic nunc quidem placet esse eiusmodi formulas quasi rhetoricas interrogationes refutandis adversariis adhibitas, quae sanae rationi extorqueant sententiae absurdae interrogando prolatae negationem. Favere huic interpretationi in primis videri possit Livii locus VII. 6, 3., ubi contra communem usum loquendi in interrogatione obliqua ad affirmationem potius spectaret huiusmodi formula dubitandi, si quidem recte ibi distingueretur oratio sic, ut volgo interpuncta habetur: *M. Curtium iuvenem bello egregium castigasse ferunt dubitantes, an ullum magis Romanum bonum quam arma virtusque esset.* Perversa prorsus sententia ibi in Duiatii ed. legitur: *an nullum.* Etenim ipse Curtius non dubitabat, quin nullum magis Romanum bonum esset. Quare hanc interrogationem equidem non cum Ramshornio in *grammat. Lat.* §. 174. 2. p. 497. putarim suspensam a Participio *dubitantes*, quod desideraret *aliquod;* sed ad ipsum Curtium referendam. Nam *castigasse* est verbum dicendi, h. l. = *castigantem interrogasse dubitantes*, ideoque inducit orationem obliquam, ante quam hic absolute positam vel plene vel duobus punctis distinxerim. Post eam interrogationis signum addi potest. Ceterum in oratione indirecta rite retinentur et vero etiam debuerunt retineri singula verba, quibus Curtius directe interrogans usus fuerat: *An ullum magis Romanum bonum... est?* nisi quod Praesenti Indicativi substituitur Tempus obliquae orationis ad Verbum in Praeterito (h. l. *castigasse*) referendae proprium, Imperfectum Optativi *esset.* Particula *an* servat naturam suam, respiciens ad priorem aliquam interrogationem, quae latet in Participio *dubitantes* (cf. §. 8.), ad quam pro annectenda altera hac interrogatione refutandis applicari potest eiusdem vicaria formula loquendi ironica, quae causa subsit, suspicans, hoc modo: *Quid dubitatis, Quirites? Quasi vero ullum magis Romanum bonum, quam arma virtusque, sit!* Ista vero refutantis interrogatio nequaquam a Verbo *dubitandi* pendet.

Praeterea in Particulae *an* potestate interpretanda Gernhardi inconstantiam quamdam notat censor Gottingensis p. 2056. obiicitque, sic utrumque interrogandi modum nulla certa distingui nota neque ubique in tali interrogatione supplementum ammitti. Et quid Gernhardus, qui priorem partem interrogationis ad refellendum adhibitae nusquam exprimi potuisse, certe

non in usu fuisse statuit, faciet in *Cat. Mai.* 16, 6. 7. (56.)? *Num igitur horum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia, haud scio, an ulla beatior esse possit:* quam posteriorem interrogationem sic accipit, ut contineat contrarium verae sententiae, qua quidem *nulla beatior.* Ergo etiam ad priorem, quae ipsam veram sententiam contineret, respondenda esse haec ipsa: *miserabilem esse:* quod absurdum est. An vero isto modo interrogandi affirmationem quidem converti in negationem, negationem in affirmationem non converti censemus? In hanc subabsurdam inconstantiam Gernhardum deduxit suae rationis constantia p. 21. s. At vereor, ne grammaticum, talia praecipientem quamvis subtiliter atque in singulis locis modo suspicantis, modo refellentis interrogationes ipsis quidem verbis non distinctas, sed nihilo minus tamen in contrarium sensum accipiundas discriminantem, iure quis interroget cum Cicer. *Acad.* II. 36, 116. *Estne quisquam tanto inflatus errore, ut sibi se illa scire persuaserit?* h. e. *Neminem esse dicere poteris.* Rectius dices *Num* h. l. esse = *Non*; itemque *an ulla?* = *nulla.* Hoc magis etiam emerget, si ex Theodori Gazae metaphrasi: *Μὴ οὖν τὸ γῆρας τούτων ἐλεεινὸν ἦν, οἳ σφᾶς αὐτοὺς γεωργίᾳ διετέλουν; Οὐ κατά γε γνώμην ἐμήν* etc. Balduinus recte suspicatus est metaphrasten legisse: *Non mea quidem sententia.* Ita haec non cohaerebunt cum sqq. *haud scio, an,* tamquam abundanter praemissa (cf. §. 17.); sed respondebunt priori interrogationi. Huiusmodi autem interrogationis directae figura rhetorica semper atque ubique est refellentis, etiamsi alterum idque contrarium membrum adiungatur. Falsum est enim, eius accessionem interrogationis gravitati ac ponderi obfuturam. Vide enim, sodes, duplicis interrogationis figuram rhetoricam l. II. *de divin.* 6, 11. extr. simulque animadvertes in his interrogationibus refellendi causa adhibitis neutiquam inversam utriusque membri rationem obtinere, ideoque nec divolsorum uniuscuiusque contrariam fore vim atque eam, quam alias interrogandi Particulae indicare solent, ut voluerat Gernhardus p. 24., aliorsum trahens exemplum, in quo est vel maxume conspicuum refellendi studium, Terentii in *Phorm.* II. 1, 46. Nam in Cic. *Phil.* X. 2, 5. pr. interrogatio indirecta post *Quaero* est illa quidem directae instar, sed ordo membrorum accommodatus est ordini membrorum praecedentium §. 4. Perinde esse, atque utriusque membri Particulam interrogativam simplici interrogatione nescientis adhibeas, patet in Terentii *Phorm.* V. 2, 9. *Etiam idne dubium 'st?* comp. Cic. *legg.* III. 15, 33. *An etiam id dubium 'st?* ubi utroque loco quaeritur cum ammiratione affirmatioque expectatur. Itaque utraque illa interrogatio in refellendo haberet vim negativam.

Quid quod secundum ipsum Gernhardum p. 28. in his dubitandi formulis indefinitis aliquanto maior inest modestia et cautio negandi, quam in definitis? Contra vero ab interrogandi figuris rhetoricis et omnis abest modestia (a qua, ut ab aqua candens ferrum, omnis illarum vis extingueretur) neque ab eiusmodi formulis suspensae esse possunt; sed semper directa oratione efferendae sunt, ut et ll. cc. et apud Terent. *Phorm.* II. 1, 49., etsi secundum sequiorem quidem usum loquendi dici sane potuit: *haud scio an quisquam iudex possit noscere tua iusta, ubi tute verbum non respondeas.* Sed qui sic interrogando refellere studuerit, nae is, ut quidam multum intellegendo faciunt, ut nihil intellegant, sic multum interrogando multumque refellendo, ut nihil interroget, nihil refellat, fecerit. Itaque ut Epicurus in diis effingendis quasi corpus et quasi sanguinem: sic ingeniosus istius interpretationis artifex induxit utroque modo quaerendi atque interrogandi speciem tantum inanemque refutationis imaginem, quae nescio quibus illecebris suis mentis oculos pelleret, p. 23. Qua de causa in Sueton. *Octav.* 54. *Antistius Labeo Senatus lectione cum vir virum legeret, M. Lepidum, hostem olim eius et tunc exulantem legit: interrogatusque ab eo, an essent alii digniores, „Suum quemque iudicium habere“ respondit,* simplicem potius nescientis interrogationem, in qua ex sequiore usu loquendi *an* pro *ne* posita sit (§. 7. extr.), ut Augustus affirmationem expectans videatur inde voluisse suadere, *ergo hos potius eligeret*, agnoscimus, quam irrisionem. Alia res fuit in supra allata Curtii oratione ap. Liv. VII. 6, 3. — Sed haec hactenus de interpretatione grammatica, nunc de auctoritatibus.

§. 26.

Quodsi §. 14. recte observavimus, nusquam eiusmodi vocabulum indefinitum priori interrogationis membro cum Partic. *ne* in dubium vocando implicatum esse; videatur hoc esse argumentum, propter horum indefinitorum ad dubitandum et negandum propensionem, ubicumque accessissent, ibi, ne existeret negationis quasi quaedam abundantia neve dubitationis significatio satis iam aperta in Part. *ne* adaugeretur otiosa adiectione voculae indefinitae, semper, si minus attractione alterius membri facta, tamen propria eius Particula in prioris locum substituta dictum esse. Vt ap. Liv. VIII. 35. *Disciplina militaris et imperii maiestas in discrimine fuerunt, an ulla post hunc diem essent:* h. e. = *illo die paene deletae sunt.* Simile quid observationi offertur in formulis *vereor ne*, = *haud scio an*, et *vereor ne non*, = *vereor ut* = *haud scio an non.* Hinc analogia videtur postulasse, ut ap. Cic. *ad famil. lib.* VI. *epist.* 1. §. 9. scriberetur aut *vereor ut consolatio ulla possit vera reperiri*, aut

vereor ne consolatio **n u l l a** etc., quod plerique edd. e ɔi. substituerunt codd. mss., quod sciam, omnium lectioni *vereor ne consolatio* **u l l a** *possit reperiri*. Comparari etiam potest similis negandi ratio in III. *leg.* 9, 21. *quem quum homines scelerati ac perditi, non modo* **u l l a** *in domo, sed* **n u l l a** *in gente reperirent*, ubi Manutius et Lamb. in marg. ed. 1584. *nulla* pro *ulla*. Certe difficulter his locis corrigatur *nulla:* non minus, quam aliquo vocabulo inter *an* et *ulla* interposito in Quinctil. *instt.* XII. 10, 2. *Suos haec operum genera . . ., ut auctores, sic etiam amatores habent: atque ideo nondum est perfectus orator ac* **n e s c i o a n** *ars* **u l l a** (np. *proinde iam perfecta sit*). Cff. et ibid. **B u t t m a n n u s** et **F r o t s c h e r u s** ad X. 1, 65. Nec sollicitanda codd. lectio aut ibi IX. 4, 1. (ubi Spaldingius de Lochmanni ɔi. *an nulla* ammisit pro *an ulla*, ut VII. 2, 11. *an numquam* pro *an umquam*), aut ap. Plin. Min. III. *epist.* 1. *Nescio, an* **u l l u m** *iucundius tempus exegerim, quam quo nuper apud Spurinnam fui:* h. e. interprete **M i c h. W e b e r o** p. 97. n. 1. *Me nullum umquam tempus iucundius exegisse puto. Non memini me ullum tempus iucundius exegisse.* A. Gellius V. 20. *Nostri quoque Soloecum facile; Soloecismum* **h a u d s c i o a n u m q u a m** *dixerint.* XI. c. 13. med. **D i c a t m i h i** *quaeso aliqui vestrum, an sit* **u l l a** *huiusce sententiae aut gravitas aut gratia:* h. e. = *nullam esse huius sententiae aut gravitatem aut gratiam reperietis.*

§. 27.

Cicero, quo locupletiorem haud scio an neminem Latinitatis auctorem laudare possimus, quum alterius membri negationem indicare volt, post *an* negandi voculas superaddere solet: quem usum **R a m s h o r n i u s** l. c. p. 498. miro modo comparat cum exemplis Graecismi, secundum quem in uno eodemque membro duplex negatio fortius negat, ut in *Lael.* 27, 9. **n u m q u a m n e** *minuma re* **q u i d e m**; *in Verr. l.* I. 60, 155. pr. II. *divin.* 55, 113. extr. Liv. XXIX. **n e q u e** *enim* **n e** *ipsius* **q u i d e m** *regis abhorrebat animus*, aut ut Cic. *offic.* I. 2, 4. et alibi. In talibus enim exemplis praecedens negatio generalis plerumque in appositione *κατὰ μερισμὸν* iteratur; in nostra autem formula nulla negatio abundat. Quam longe aliter hoc fit, ubi *haud non* vel *neque haud* dicitur pro simplici *non* vel *neque*. In alio errore sunt **S c h u p p i u s** l. c. p. 12. s. §. 3. b) β) et §. 5. p. 17. s. **B e r g m a n n u s** in *addend. ad Ruhnken. opuscc.* p. 1025. 501. (ubi perperam provocat ad **V o r s t i u m** *de Lat. merito suspecta* c. 28., cuius sententiam de formula *haud scio an non* turpiter adulteravit) et **K r a f t i u s**, an J. C. G. **R i c h t e r**, Nordhusanus otiosus, quo usus est doctri-

nae ministro, in *annot. ad Tib. Hemsterhusii elogium auctore Ruhnken.* p. 308., qui *haud scio an non* nec Ciceroni neque omnino Latinis scriptoribus in usu fuisse dictitant. Sed recte contra Schuppium defendit Moserus in *annal. literar. Myrtillet.* a. 1821. fasc. IV. m. April. n. 26. p. 415. apud Cic. *Acadd.* II. 25, 81. extr. V. ad eum l. Madvigii *emendatt.* P. I. p. 179. s. comp. ib. gemino loco 33, 105. extr. Similiter Plaut. *mil.* II. 5. *Qui scio an ista non sit Philocomasium atque alia eius similis siet?* Atque etiam in Cic. *l.* III. *de offic.* c. 12, 50. extr. volgaris léctio *qui . . . dubitet*, *an turpe non sit*, huc referenda, siquidem integra sit, ut placet Ochsnero in Oliveti *eclogg.* *Cic.* c. VI. p. 119. Alibi annexo membro inseritur *nec — nec*, ut *de divin.* I. 38. pr. §. 81. extr.; *ne — quidem*, ut in *Lael.* 14, 10. (51.), quarum vocularum accessione affirmatio, quae inerat in *haud scio an*, mutatur in negationem (= *mea sententia ne opus quidem est*): ut recte censet Moserus l. l. contra Schuppium l. c. p. 6. s. Recte etiam Weberus in *symb.* II. p. 93. n. 41. accommodavit ad seqq. interpretationem suam: *Quamquam vero amicitiae, ut dixi, non propter indigentiam et utilitatem coluntur: tamen, si ortae sunt, ne bonum quidem putaverim, nihil umquam omnino deesse amicis, nullam plane indigentiam habere. — Imo, uti quidem ego sentio, opus est, bonum atque utile, nonnumquam nonnihil amicis deesse, ut alter alteri inservire possit.*“ Cf. *N. D.* II. 37, 93. extr. et *Acadd.* II. 44, 136., ubi adeo cum Pron. *quemquam* iungitur. Lenius negat *vix* vel *minus* I. *de or.* 14, 61. *Atque haud scio, an minus hoc vobis sim probaturus*: quorum verborum sensum pervertit Otton. Maur. Mülleri, seduli illius quidem editoris, sed non satis acuti interpretis explicatio: *atque fortasse hoc in primis vobis sum probaturus.* Hic Tullianus interpres videlicet parum curavit nexum cum opposito in seqq. *equidem non dubitabo, quod sentio, dicere.* Rectius Mich. Weberus l. l. p. 86. n. 21. *Fortasse minus hoc vobis sum probaturus. Etsi vero recte dubitare videor,* [*quin*] * me * *hoc vobis* [*sim probaturus*] * esse probaturum *; *tamen equidem non dubitabo, quod sentio, dicere.* De Superlativo *minume* addubito. Nam apud Quinctil. (cui omnino haec negandi ratio non familiaris) *instt.* III. 1, 2. videtur legendum: *opus . . . ut . . . longe difficillumum, ita nescio an minumae legentibus futurum voluptati.* Voc. *nemo* post hanc formulam adiungitur adhuc ap. Senecam, apud quem me memini reperire postremum huius negationis, sequioribus certe non usurpatae, exemplum *de clem.* I. 6. *Nescio an nemo ad dandam veniam difficilior sit, quam qui illam petere saepius meruit*, ut ap. Cic. III. *offic.* 2, 6., ubi v. annotatio, et IX. *ad famil. epist.* 14. §. 13. *Contigit tibi, quod haud*

scio an (= fortasse) *nemini*, h. e. *quod vix ulli alii*, interprete Frid. Guil. Doeringio in *chrestomathia Ciceroniana* p. 59. s., qui tamen parum distincte observat, usurpari formulam illam *haud scio an* s. *nescio an* vel ab iis, qui de aliqua re vere quidem, sed modeste dubitent, vel ab iis, qui rem aliquam, de qua dubitare videntur, simpliciter affirment. Scilicet prius illud interdum apud sequiores scriptores usu venit; hoc posterius ex sollenni antiqui Latii more (cf. §. 22. s.).

Itaque Augustus Matthiae in illo Seebodii *tabulario philologicarum literarum* altero anno (1825.) in futuram rei memoriam illic depositarum fasc. I. p. 26. ss. a me iam impetravit, ut in *Laelio* c. 6. pr. cum Lamb. probem multorum codd. lectionem: *haud scio an nihil;* nisi forte *quicquam*, quod multi alii codd. ex sequiore scilicet usu loquendi substituunt, placet simul adiungere, ut iunctum videmus in Plauti *Bacch.* IV. 9, 113. Terent. *Andr.* I. 1, 63. s. et *nemo quisquam* in *hecyr.* I, 1, 10. Sic Ernesti exemplo utramque lectionem h. l. copulavit Billerbeckius, quos contra cum Gernh., qui *nihil* reiecit, facit Moserus in *Myrtilletan. annal. lit.* a. 1826. fasc. X. n. 62. p. 982. s. et ibid. 989. posthabita Zumptii grammat. Lat. ed. V. §. 721. Zumptius vero contra Ramshornii, viri in bellis literariis fortissumi, arietem in Jahnii *annal. philologiae* vol. IV. (a. 1827. vol. II.) fasc. I. p. 40. s. ammotum strenue arcem suam defendit atque obsidiantis vineam deiectis saxis et malleolis destruxit, contrivit, inflammavit, horrendaque hostilis exercitus strage edita Iovi Feretrio de Jove Ammone spolia opima suspendit in eorumdem annalium eiusdem voluminis tertio fasciculo adiecti *indicis literarii* n. V. p. 5. s.: quae contra frustra incurrit Ramshornius ibid. in vol. V. (a. 1827. vol. III.) quarto fasciculo adiecti *ind. liter.* n. VII. p. 3. s. Male cum illo loco a Gernhardo in *excursu* II. p. 262. comparatur locus *Acadd.* II. 44, 130., qui similis non est. Nam *quemquam* ibi non ad formulam *nescio an ne . . . quidem* pertinet, sed ad interrogationem *Illi . . . dicerent?* Nec vero erat, cur tam gravem sententiam dubitantius efferret Laelius Ciceronianus, quum tamen ipse existumaret *excepta sapientia nihil esse amicitia melius.* His enim verbis sermonem suum concludit: *Vos hortor, ut ita virtutem locetis . ., ut ea excepta nihil amicitia praestabilius putetis.* Cf. 13, 5. Mich. Weberus p. 102. n. 4. interpretatur: *Quum a sapientia discesseris, mea quidem sententia, eaque, ut mihi videtur, recta et vera nihil amicitia melius homini est a diis immortalibus datum:* comp. *Acadd.* I. 2, 7. extr. *legg.* I. 22, 58. Caue vero assentiare Schuppio l. c. p. 27. ss., certius sic per indefinita, quae ipsi vel maxume definire videntur, exploratius-

que negari opinanti, ut istae formulae indefinitae valeant = *sine dubio non.*

§. 28.

Saepe confunduntur tum Pronomina *ullus* et *nullus*, tum Adverbia *umquam* et *numquam*, *usquam* et *nusquam*, apud ipsum quidem Ciceronem fere ubique. In tali varietate apud scriptores certe ante Augusti imperium stabilitum sequioris aetatis usus (§. 26.) a superiore (§. 27.) recedens suspectus fieri debet, quippe qui ipsis librariis esset familiarior. Facillume igitur *N* litera post Particulam *AN* geminanda potuit neglegi. Quod sagaciter observavit iam Heusingerus, qui in Corn. Nep. XX. in *Timol.* 1, 1. „Quis," inquit, „in his literis adeo hospes versatur, qui a librariis minus trita et a vulgari consuetudine abhorrentia loquendi genera magno consensu obliterata esse nesciat?" In illo Cic. l. *Caton. Mai.* 16, 56., ubi Gaza Graeci sermonis idiomate postulante convertit sic: *οὐκ οἶδα εἴ τις βίος εἴη τούτου μακαριώτερος*, Lambin. et Ernestianam lectionem a cod. Ciz. C. et duobus Aldi confirmatam, nunc etiam Nobbio probatam, *haud scio, an nulla beatior esse possit*, restituit Billerbeckius, reprehensus hac de causa a Mosero l. c. p. 985. Nos insontem absolvimus. Melius tamen verba illa structa videntur in Alberti de Eyb excerptis: *possit esse beatior*. Ante *an nulla* potest suppleri prius membrum: *ullane possit esse beatior*, np. non vita, quam interpretationem reddidit Gaza, sed *senectus*, *quam eorum*, *qui se agri cultione oblectabant:* h. e. *Mea quidem sententia eaque, uti mihi videtur, recta et vera, nulla senectus beatior esse potest.* Qui vero dicit *haud scio an*, etiam si non cum hac formula iungantur verba praecedentia *Mea quidem sententia*, sed priori interrogationi respondeant cum vocula *ne* (v. h. excurs. §. 25.), is profecto inepte suae sententiae contrariam, ut Gernhardus voluit, quaereret refutandi adversarii gratia, quasi non suam, sed huius sententiam proponeret. Sic formula *haud scio an* vicaria foret Particularum cum ironia suspicantium: *Quasi vero* —. Retinetur l. c. *an ulla* etiam a Ruddimanno *instit. gramm. syntax.* l. I. c. 2. §. 2. annot. 24. ed. Stallb. t. II. p. 236. s. et a Ramshornio, laudaturque exempli auctor ipse Cic. *ad Attic.* IV. *epist.* 3. paulo ab in., ubi omnino, quantum constat, sine varietate legitur: *non dicam bonorum*, *qui nescio an ulli sint, sed* etc.; at Nobbius cum Ern. correxit *an nulli*, quia sensus sit *vereor ne nulli* vel *ut ulli sint.* M. Weberus p. 101. n. 3. *Vix ac ne vix quidem de bonis hominibus iam loqui licet: nulli enim videntur esse.* Neque tamen huius lectionis vindicem cum Gernh. p. 28. rei optabilis ac desiderabilis sensum quendam subactum ac delicatum constituere ausim. Apud Corn. Nep. XX.

in *Timol.* 1, 1. Lambinus edidit: *huic uni contigit, quod nescio, an nulli*; et sic alibi ex Latinitatis ratione scribendum iudicabat auctor novae methodi (*Nouvelle méthode de Mrs. de Port royal pour apprendre facilement la langue latine*) p. 530. Ruhnken. ad Mureti *oratt.* vol. II. or. 19. T. I. p. 341. itemque Aug. Matthiae ad *eloquentiae Lat. exempla* etc. p. 77. 185. et in *auctario annotationis* ad eadem p. X. Lambinum praeter alios sequitur Bremius quoque ed. III. p. 297., laudante censore in Seebodii *bibl. crit.* a. 1821. fasc. IX. p. 737. Sed vereor, ne Lamb. sola ɔi. ductus correxerit librorum mss. lectionem *an ulli.* Nam annotatione 2. tantummodo interpretatur, quod tacito rescripsit: *an nulli*, „id est, quod arbitror nulli alii contigisse. Sic loquitur saepe M. Tullius.“ Eius itaque, ac suae potius aetatis, more Nepotem quoque scripsisse *nescio an nulli* credit idem Heusingerus ap. Bardil. t. II. p. 82., etsi in omnibus exemplaribus *nescio an ulli* legatur. „Qui hanc lectionem tuentur,“ inquit, „alia loca proferunt, quibus *nescio an, haud scio an* dubitationem ad negandum proniorem significat. Non morabor ea, quae ex his scriptoribus deprompta sunt, quorum aetas a Cicerone longius abest. Hos enim formulae huic negandi vim aliquando dedisse concedo.“ Haec vero diversorum auctorum exempla auctoritate exaequare voluit Paufierus. Quamquam de ipsius Cornelii usu non constat. Nam alia exempla desunt. Accedit hic scrupulus, quod praecedens restrictio: *huic uni contigit*, quae per se ceteros excludat, videtur otiosam adiectionem habere formula modestius dubitandi de nullo, *quod nescio an nulli*, aptiusque convenit cum hac, *quod nescio an ulli*, np. *alii:* quae iam non est firmae opinionis fiduciaeque affirmandi de restrictione ista, qua alii omnino excluduntur, degradatio quaedam, sed de aliis praeter *hunc unum*, cui certe singulare quiddam contigerit, reperiundis eique aequiparandis desperatio. Sic Cic. *ad famil.* IX. *epist.* 14, 13. si scripsisset: *Contigit enim tibi*, adiecta restrictione *uni;* haud scio an planiora essent omnia, si proxuma sic elocutus esset: *quod haud scio an cuiquam* (np. *alii*), quam ut nunc sine tali restrictione scripsit sane elegantissume: *quod haud scio an nemini.* *) Ad huius aliorumque hoc modo negandi exemplorum

*) Mich. Weberus l. c. p. 101. suspicatur, apud Cornelium l. l. illud *uni* esse glossema marginale. Si enim auctor scripsisset: *huic uni contigit* ...; non apparere, quomodo addere potuisset: *quod nescio an ulli.* Namque verbis *huic uni contigit* poni aliquid tamquam verum et certum et simpliciter negari, *hoc ulli contigisse.* Usu autem formulae, quae sequitur, non tamquam

similitudinem ceteri quidem loci, ad quos provocat Ramshornius, dudum librorum mss. fide et auctoritate correcti sunt. Nam in Dolabellae *epist.* ap. Cic. *ad famil.* IX. 9. §. 4. Lambini et Ernesti emendationem: *quod nescio an nulli* (pro volg. *ulli*) *umquam nostro acciderit imperatori*, Benedictus cod. Dresd. I. auctore confirmavit, itemque Torgav., in quo legitur *an nullo.* II. *de or.* 4, 18. in optumo cod. Erl. extat: *Omnium autem ineptiarum haud sciam* (volg. *scio*) *an nulla sit maior:* ubi voc. *nulla* pro volg. *ulla* vindicat Matthiae in Friedemanni et Seebodii *miscellan. crit.* Vol. I. P. IV. p. 679. s. Sed etiamsi Cicero istis in locis scripsit *haud scio an ulla* v. *ulli:* non tamen *in Pis.* 17, 39. scribere potuit: *Atque haud scio an malim te videri ullo pudore fuisse in literis mittendis*, sed *nullo pudore:* nam sententia est affirmativa, qua una tantum notio privativa *nullius pudoris*, = *impudentiae*, continetur.

Haud scio an numquam post iteratam doctissumorum arbitrorum ampliationem iudicium de tam ambigua optumorum Latinitatis auctorum lectione, quod ratum habeatur, ferri possit, nisi id rexerit Terentii auctoritas in *heaut.* II. 3, 104. 106. *Di dánt; fruare, dúm licet: nam néscias, Eius sít potestas pósthac an numquám tibi:* ubi positionis causa *numquam* positum qui dixerit cum Gernh. comment. noviss. p. 32.: nae is Latinae comoediae elegantissumum poëtam ut Silenum dormiturientem in licentiae poëticae asino collocare videtur. Cf. Davis. ad Cic. I. *legg.* 21, 96., ubi Goerenzius ex optumis codd. edidit: *hoc diiudicari nescio an numquam, sed hoc sermone certe non potest:* quamquam volgaris lectio *nescio an umquam* scite sane defensa a Gernh. p. 31. et in *exc.* II. p. 261. facilius ferri possit, quum oratione nondum absoluta facile participet sequentem negationem cum verbo communi *potest:* ut saepe *non modo* pro *non modo non* usurpari sequente in altero membro demum negatione cum communi praedicato docuimus ad Cic. III. *offic.* 29, 105. p. 382. s. et in *indicibus literar. philologg. Darmstadiensium de omni re scholastica* a. 1827. m. Maio referentium nunciorum comitibus II. n. 24. ord. 205. s. ad *or. pro Mur.* c. 33. extr. Atque etiam a seq. negatione seiuncta formula *haud scio an umquam* propter ambiguitatem in illa oppositione verborum: *hoc*

---

verum et certum, sed tamquam probabile poni et facile ad credendum, nec simpliciter sed modeste negari, id ulli contigisse. Ortum esse V. D. putat illud glossema a librario, formulam illam explicante et ratiocinante sic: „Si nemini id contigit praeter hunc, huic uni contigit.“ De acuta hac coniectura aliorum esto iudicium.

sermone certe non, poterit idem valere ac *v i x umquam*, ut haec sit sententia: = *hoc diiudicari, si umquam (quod posse, quamquam id ipsum adhuc dubium, non tamen omnino negarim), hoc sermone certe non potest*. Sic istae formulae non solum orationis forma distinguerentur, sicut illae; *Nihil virtute amabilius* = *Estne aliquid virtute amabilius?* = *Quid amabilius virtute?*; sed indefinitae illae addubitarent tantum (h. e. quam proxume ad negationem accederent ita, ut aliquem certe exceptioni locum relinquerent), ubi formulae definita aliqua negatione superaddita omnino et plane dubitant. In utroque autem genere formula *haud scio an* rem non satis exploratam ad nostram qualemcumque opinionem revocat. Difficilior ratio est loci in *oratore* 2, 7. *illud..., quo nihil possit esse praestantius in perpetuitate dicendi non saepe, a t q u e h a u d s c i o a n u m q u a m, in a l i q u a autem parte eluceat a l i q u a n d o, idem apud alios densius, apud alios fortasse rarius*: ubi tamen Iunt. 2. et margo ed. Lamb. 1584., nescio an ex Ѕi., *an numquam*, utique convenientius, quia a negativa facilius, quam ab indifferente formula transitur ad affirmativam, quae ei opponitur. Si nihilo secius tamen vera fuerit constans, ut videtur, codd. lectio: in hoc exemplo magis emerserit clariusque perspici potuerit tum indefinitarum in formula indifferentis momenti, tum definitarum vocularum diversa potestas in affirmandi formulis, quales reperiuntur in *Laelio* c. 12. §. 11. et *de re publ.* I. c. 6. extr. *arbitrarer hanc rerum civilium minume neglegendam scientiam sapienti, propterea quod omnia essent ei praeparanda, quibus n e s c i r e t, a n a l i q u a n d o uti necesse esset*. Tali formula ne infimae quidem Latinitatis scriptores sic usi sunt, ut ullis interpretandi machinis extorquere possis vim negandi, repugnante quippe sermonis natura.

§. 29.

Nihilo secius tamen ista in antiquiorum (§§. 15. s. 20. s.) et sequiorum (§§. 22—25.) auctorum usu loquendi discrepantia sua sponte notationi se offerens, sed parum diligenter observata, ut a V o r s t i o l. c. supra §. 27. pr. C y r. G u n t h e r o in *Latinit. restit.* etc. II. c. 118. et S c h e l l e r o in *praeceptt. stili bene Lat.* p. 475. (490.) et in *obss.* p. 172. ss., et superioris et nostrae adhuc memoriae grammaticos ita perturbavit, ut nonnulli *an* pro *an non*, insaniam pro ratione, dementiam pro mente positam perperhiberent, Germanicum scilicet idioma secuti et conversionis vernaculae modo pueriliter decepti (§. 22.), in quibus S c h w a r z i u s ad H o r a t. T u r s e l l i n. *de Particulis* c. XXIX. n. 6. et G e s n e r u s in *chrestomath. Cic.* p. 223. annot. 15. n. LXVIII. ex *or. pro L. Flacco* c. 26. lepide sane statuens sollennem ellipsin negationis, quae nusquam addatur. Proinde nusquam deesse sta-

tuenda erat. Cf. Plairet *thesaur. ellips. Lat.* p. 200. et M. Ioh. Theoph. Lindneri Abhandl. über die Lat. Ellipsen (Francof. ad M. 1780. 8.) p. 116. Non circumspectiore iudicio usi alii istas formulas promiscue tum aiere, tum negare perhibuerunt, ut Adamus Dürrerus *de Particc. L. L.* p. 166. Dan. Frid. Ianus in egregio ceteroquin elegantiarum thesauro: *Philologisch-Critisches Schul-Lexicon der reinen und zierlichen Latinität* s. vv. *Dubito* et *Nescio* ord. 590. et 1152. ed. alter. Pauflerus ad Corn. Nep. VIII. *Thrasyb.* 1, 1., ubi p. 185. b. plurumis falsis ammixtis laudantur Heusingeri *observatt. antibarb.* 466., qui tamen, postquam observavit, *dubito an* frequentius locum habere, ubi is, qui se dubitare dicit, pronior sit ad affirmandum, et commode exponi *parum abest*, *quin dicam* v. *faciam*; nec tamen negari posse, *dubito an hoc sit* aliquando nihil aliud significare, quam *parum abest*, *quin hoc verum esse negem*, caute adiicit: „Sed haec rariora apud meliores." Cf. Noltenii *lex. antibarb.* Tom. II. *supplem.* p. 159. Ceteri vero haec confundentes universe omne discrimen sustulisse videntur.

Atque etiam huius temeritatis rationem probabilem quamdam reddere conatus est V. D. in *Diariis literar. Ienanis* a. 1820. n. 151. ord. 262., formulam, quae in annexo membro nullam adiectam habeat negationem, e. gr. *haud scio an ita sit*, per ellipsin quamdam quum affirmandi, tum negandi sensu adhibitam accipiens, ut subaudiatur intellegaturque modo: *suspicor autem ita esse*, modo: *vereor autem*, *ut ita sit*. Haec interpretatio plane convenit cum ea, quam ipse Gernhardus dedit in *comment.* gr. II. p. 9.: *non certo quidem scio*, *verum existimo* etc. vel *vereor ne*, contraque *vereor ut*. (Cf. h. exc. supra §. 22.) Quamvis hac ratione Gernhardo, qui in verbis istius interpretis, ich will nicht urtheilen, setze aber voraus, haec postrema accipit pro *tamquam exploratum pono* ibid. p. 4., contradictio inesse videtur in adiecto; et quamvis nec mihi haec ratio satis faciat: tamen aliquanto probabilior est faciliusque si non cum antiquiorum, tamen cum sequiorum auctorum usu loquendi conciliari potest, quam vel ipsius Gernhardi secum pugnans sententia vel Dr. Mich. Weberi decreta in *Symbola II. ad grammaticam Latinam. De formularum Nescio an — Haud scio an — Dubito an — vero usu.* Hal. typis Schimmelpfennigianis 1826 — 28. pp. 110. in IV., quam integram symbolam inde a p. 219. tum demum nactus sum, quum huius excursus §§. 22. iam impressae essent. Hic igitur V. D. adeo arbitrabatur negationes pro arbitrio modo addi, modo detrahi posse, superstite eadem sententia. Scilicet his formulis annexam sententiam reprobari, si quidem cohaereret integra ac plena oratio. Sed quum his formulis subiectas sententias plerumque tamen probari V. D. non posset non agnosce-

re: idem censebat p. 40. 61. „formulas illas saepe numero esse praecisas, et tria verba esse supplenda *NON RECTE SENTIAM* (v. *N. R. IUDICEM*, aut similia), easdemque vero etiam“ [* *simul vero easdem* *] „seiunctas ita, ut sequens verbum Coniunctivi Modi a Particula *AN* non regeretur, neque a formula praemissa dependeret, sed per se spectari deberet, ut *Dicat* vel *Dixerit quispiam* pro *Dicet aliquis*, *Dixerim* pro *Dico*, *Putarim* pro *Puto*.“ Non recte Idem p. 65. huc trahit *sit* e *Lael.* 11, 12., qui Coniunctivus ibi pendet a Part. *quom*. Sumit V. D. modestiam, quae formulis illis significetur, et Coniunctivum *recte sentiam*, qui in formulis his *praecisis* et *seiunctis* lateat, per attractionem quasi ad verbum sequens transire. At vero nemo vel priscorum vel sequiorum auctorum Latinitatis umquam sic locutus est: *id haud scio an non possis, haud scio an minus hoc vobis sim probaturus*, quum indicare vellet, *alterum utique hoc posse; se in primis hoc esse probaturum, quemadmodum ipse crederet*; nemo cum Webero p. 38. *Nescio* (*haud scio*, *dubito*) *an vaticinia et miracula in libris divinis memoriae prodita non habenda sint pro argumento veritatis religionis Christianae*, ut contradiceret ei, qui hoc externum argumentum spernens neque illis neque his de veritate religionis christianae persuadendi ullam vim tribueret; nemo cum eodem p. 84. n. 15. *Nescio an non sit maximus fructus*, quum dicere vellet: *Meo quidem indicio maximus est fructus*; sed ut Quinctil. II. 18. *Est aliquis et nescio an maximus ex secretis studiis fructus —*: id quod dudum praeter Ianum l. c. ord. 590. observaverat Noltenius *lexico L. L. antibarbaro* p. 784. ss. 861. (*Indice syntactico* s vv. *Dubito* et *Nescio*) vel p. 1418. 1457. ed. nov. et Vorstius l. c. p. 236. ss. Nullis igitur interpretationis fidiculis e formula in *Lael.* 6, 1., etiamsi coniunctam spectaveris, sive *nihil* legeris, sive *quicquam* cum Webero p. 105., hanc extorseris sententiam, quam ipse fatetur absurdam mentique Ciceronis prorsus contrariam: *Praeter sapientiam etiam aliud quoddam amicitiâ melius homini a Diis immortalibus datum mihi videtur.* Neque enim sententia *quicquam melius sit datum* affirmans est; neque sententia per se negans coniuncta cum illa formula converti potest in affirmantem. Omninoque Weberi si valuerit sententia, cuius sectatorem habet censorem Gottingensem in *indicc. liter.* 1826. n. 206. p. 2054 s.; tum iudicium veri, ubicumque libri scripti in hac formula variant, desperandum erit, nisi omnia ad aetatum consuetudinem retuleris. Nam recte utique censor Gottingensis hanc recentiorem rationem ab illo antiquiore usu loquendi segregat, quamquam ipsi Ciceroni eiusque aequalibus in his negandi formulis usum Pronominum et Adverbiorum relinquit indefinitorum; quae, quum in sese nihil habeant negationis, facillume tamen negandi vim suam aliunde

repetant, ipsa per se diligentissume circumspicienti infinitam latissumeve patentem hominum, rerum, temporum, locorum regionem vel ambitum aperientia: in quo si quid non reperiri dicatur, ex ipsa hac circumspiciundi cura vel diligentia aliquid gravitatis cum summa cautione ad sententiam vel rem, quae negetur, redundare, ut is, qui hac indefinita formula negandi utitur, significet, se omnia circumspexisse totumque genus rerum similium perquisivisse neque ullam aliam reperisse, in quam eiusmodi quid caderet. Cf. supra §. 25. Quae eadem est G e r n h a r d i sententia p. 25. s., proposita iam in eiusd. *excursu II. ad Lael.* p. 259. Huius praestantissumi viri eruditioni atque acumini grammatico ipse plurumum tribuo; sed permiras eius argutias novissumas ratiunculasque subtiliores, quam enucleatiores probare non potui. Illud probabilius invenit, quod, quum olim ista indefinita negativam vim a nudis verbis negativis *haud scio* vel *nescio* quasi scintillulam electricam contrahere vellet, nunc eam a Particulae interrogativae *an* contagione derivat: modo ne ita hoc faceret, ut ipsam interrogativam a verbis illis avellere et abrumpere videretur. Nos eorum vim dubitandi ab utriusque fontis confluxu, h. e. ab ambiguitate totius formulae *nescio* vel *haud scio an*, ducimus.

§. 30.

Si qui aliorum grammaticorum sententias comparare voluerit, adeat V o r s t i u m ad Sulpic. Sever. II. *histor.* et *epist.* I. G e. P h. S c h u p p i o libelli sui supra commemorati, in quo vir sapientissumus Anaxagoram nives atras esse demonstrantem vel Epicurum dialecticae artis fundamenta evertentem secutus videtur, praeter M o s e r u m l. c. censuram propinavit, haud dubie, ut docendo disceret, immemor ammonitionis in Matthaei *evang.* XV. 14. immortali memoriae consecratae, ceteroqui sane vir beatae memoriae, exspectans iudicium, D ö l e k i u s in S e e b o d i i *bibl. crit.* a. 1821. fasc. V. p. 432. Cf. eiusd. D ö l e k i i *deutsch-lat. Schulgrammatik* Lips. 1826. p. 123. 173. G r o t e f e n d i *gramm. Lat.* ed. III. §. 264. *b*) 267. *c*); denique E r n. G u i l. W e b e r i ludum Latinitatis dextro Mercurio apertum (Uebungsschule für den lat. Stil) Vol. I. p. 344.

(2)

M. TULLI CICERONIS

DE OFFICIIS

LIBRI TRES.

AD

OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM
EMENDATI

ET

IN USUM SCHOLARUM

EDITI.

LIPSIAE
SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCXXX.

PRAEFATIO BIBLIOPOLAE.

A collectione scriptorum Graecorum et Romanorum meis typis ac sumptibus editorum edendorumque me nolle abesse M. Tulli Ciceronis operum editionem iam diu professus sum. Verum ad hoc tempus non inventus est, qui talis editionis, qualem prodire par est, curam susciperet. Scilicet parandus est liber, qui tum Ciceronis verba quam emendatissima exhibeat tum annotationibus instructus sit, quae iuventutis eruditae studia iuvare possint. Cum igitur talis libri typis mandandi spes adhuc longinqua sit, inventi autem fuerint multi, qui huius illiusve scriptorum Ciceronis editionem me poscerent; feci quod interim fieri potuit, atque a tribus viris doctis impetravi, ut, dum illa, quam dixi, omnium Ciceronis operum editio pararetur, nonnullorum librorum, qui potissimum in scholis legerentur, editiones substituerent, quae verba nuda sine omni interpretatione continerent nihilque aliud prae se ferrent, quam ut textum secundum praestantissimas editiones exhiberent, a vitiis typographicis, quantum fieri posset, vacarent et externo habitu suo se commendarent.

Hoc igitur modo nunc prodeunt libri de Officiis, Cato maior, Laelius et Paradoxa, Orationes selectae et alia quaedam. In quibus edendis id actum est, ut verba Ciceronis secundum eas recensiones ederentur, quae in quoque libro maxime praestare visae essent. In pluribus editio Orelliana nostrae fundamento fuit. Nullam tamen priorum editionum ita secuti sumus, ut quasi vivam eius imaginem exprimeremus omnesque apices repeteremus; sed aliis libris manuscriptis editisque in consilium vocatis tum in textu quaedam novata tum in verbis interpungendis multa mutata et ita constituta sunt, ut scholarum usui, quantum satis esset, consuleretur. Praeterea addita sunt librorum argumenta, quibus et sententiarum summa breviter descripta et ex librorum historia excerpta essent, quae potissimum scitu digna viderentur.

Quae quam felici aut infelici successu peracta sint, viris aequis iudicare relinquimus. Certe in his etiam agnoscant promptam animi voluntatem, qua literis bonis et iuvenum erudiendorum commodis servire concupivimus.

ARGUMENTUM.

M. Tulli Ciceronis libri de Officiis inter scripta philosophica postremum, quod scripsit, opus fuerunt. Etenim eos inchoavit anno U. c. 710 *post Caesaris mortem, filioque, qui a.* 709 *ante Kalendas Apriles Athenas se contulerat, inscripsit. v. Epist. ad Attic. XV,* 15. *Antequam opus perficeret, mense Sextili consilium cepit Athenas proficiscendi, ut filium viseret, sed in medio itinere Romam revocatus est, ut rei publicae libertatem a M. Antoni injuriis vindicaret. Attamen cum Orationem Philippicam primam habuisset, temporibus cedendum esse vidit, et desperata libertate et salute patriae mense Octobri extremo rus se contulit ibique hos libros absolvit, evulgata jam Oratione Philippica secunda. v. Epist. ad Attic. XVI,* 7. 11. *Quae causae eum impulerint, ut cum in universum de rebus philosophicis tum de hoc potissimum argumento scriberet, ipse in prooemio libri I et II et in epilogo libri III indicavit. Atque cum jam antea in libris de Finibus Bonorum et Malorum de* o f f i c i o p e r f e c t o *disputasset, nunc rem ad vitam communem deduxit et de* o f f i c i i s v i t a e, *quae* c o m m u n i a *sive* m e d i a *dicuntur ita disseruit, ut et rationem indolemque eorum explicaret et praecepta daret, quae ad institutionem vitae communis pertinerent. v. I,* 3, 8. *et* 29, 102. *Secutus est, ut in omnibus scriptis philosophicis, philosophos Graecos, in primis Stoicos, e quibus Zeno Cittieus primum sententiam de mediis officiis accuratius explicuisse atque induxisse dicitur. Atque se in primis duobus libris Panaetium, qui tribus libris de officiis accuratissime disputasset, correctione quadam adhibita, potissimum secutum esse, ipse professus est. cf. I,* 3, 6. *III,* 2,

7. 4, 20. ad Attic. XVI, 11, 2. Commune autem officium id esse dixit, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit; idque pendere a deliberatione in consilio capiendo. Cujus deliberationis quinque fecit genera: primum, honestumne factu sit an turpe, quod in deliberationem cadit; alterum, conducatne an noceat; reliqua vero, ubi cum honesto pugnat id, quod videtur utile, et cum aliud alio honestius aut utilius videtur, utrum alteri sit praeponendum. In tres igitur partes totam disputationem distribuit; quarum prima est de honesto, altera de utili, sed dupliciter utraque, et tertia de comparatione eorum. I, 3. Itaque in primo libro de honesto disserit, cujus a natura humana ducti quatuor partes facit, sapientiam, justitiam, temperantiam et fortitudinem seu magnitudinem animi; de his singulis certa officia deducit et describit; denique de comparatione honesti disputat, quaeritque, de duobus honestis utrum honestius. In secundo libro de utili agit idque esse dicit vel opinatum, quod ab honesto discrepet, vel verum, quod cum honesto sit conjunctum et totum in virtute contineatur. Quod cum sine hominum opera non paretur hominesque hominibus plurimum obesse et prodesse possint: omnibus relictis docet conciliandos esse animos hominum et ad usus nostros adjungendos. Quod quomodo fieri possit, fuse demonstrat, in his etiam omnia referens ad virtutem et honestatem. Deinde de valitudine sustentanda et pecunia honeste quaerenda pauca subjungit. Denique in comparatione utilitatum majorem minori anteponendam esse pronuntiat, hac tamen lege, ne ab honesto deflectatur. Tertii libri argumentum versatur in comparatione honestatis et utilitatis. Negat vero unquam id, quod utile videatur, honesto esse anteponendum, sed tempora incidere, quibus, quod turpe haberi soleat, honestum videatur. Quae repugnantiae species ut sine ullo errore dijudicari possit, formulam quandam e Stoicorum disciplina constituit, quam si quis in comparatione rerum sequatur, nunquam ab officio recedat. Ex hac formula deinceps multas quaestiones propositas, quibus officium ex temporibus exquiratur, ad extremum usque explicat.

M. TULLI CICERONIS
DE OFFICIIS
AD MARCUM FILIUM
LIBER PRIMUS.

I. 1. Quamquam te, Marce fili, annum iam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis: tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi, neque id in philosophia solum sed etiam in dicendi exercitatione feci, idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate. Quam quidem ad rem nos, ut videmur, magnum attulimus adiumentum hominibus nostris, ut non modo Graecarum literarum rudes, sed etiam docti aliquantum se arbitrentur adeptos et ad dicendum et ad iudicandum. 2. Quam ob rem disces tu quidem a principe huius aetatis philosophorum, et disces, quamdiu voles; (tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non poenitebit;) sed tamen nostra legens, non multum a Peripateticis dissidentia, quoniam utrique, et Socratici et Platonici, volumus esse, de rebus ipsis utere tuo iudicio, (nihil enim impedio,) orationem autem Latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem. Nec vero arroganter hoc dictum existimari velim. Nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere, quoniam in eo studio aetatem consumpsi, si id mihi assumo, videor id meo iure quodam modo vindicare. 3. Quam ob rem magno opere te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos

etiam de philosophia libros, qui iam illis fere aequarunt, studiose legas. Vis enim maior in illis dicendi; sed hoc quoque colendum est aequabile et temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Graecorum [adhuc] contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret sequereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus: nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum sit iudicium: utrumque certe secuti sumus. 4. Equidem et Platonem existimo, si genus forense dicendi tractare voluisset, gravissime et copiosissime potuisse dicere, et Demosthenem, si illa, quae a Platone didicerat, tenuisset et pronuntiare voluisset, ornate splendideque facere potuisse. Eodemque modo de Aristotele et Isocrate iudico; quorum uterque, suo studio delectatus, contempsit alterum. II. Sed quum statuissem scribere ad te aliquid hoc tempore, multa posthac: ab eo ordiri volui maxime, quod et aetati tuae esset aptissimum et auctoritati meae. Nam quum multa sint in philosophia et gravia et utilia, accurate copioseque a philosophis disputata: latissime patere videntur ea, quae de officiis tradita ab illis et praecepta sunt. Nulla enim vitae pars neque publicis neque privatis neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest; in eoque et colendo sita vitae est honestas omnis et in negligendo turpitudo. 5. Atque haec quidem quaestio communis est omnium philosophorum. Quis est enim, qui nullis offici praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere? Sed sunt nonnullae disciplinae, quae propositis bonorum et malorum finibus officium omne pervertant. — Nam qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute coniunctum, idque suis commodis, non honestate metitur, hic, si sibi ipse consentiat et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit nec iustitiam nec liberalitatem; fortis vero, dolorem summum malum iudicans, aut temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. 6. Quae quamquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat: tamen sunt a nobis alio loco

disputata. — Hae disciplinae igitur si sibi consentaneae velint esse, de officio nihil queant dicere; neque ulla offici praecepta firma, stabilia, coniuncta naturae tradi possunt nisi aut ab iis, qui solam, aut ab iis, qui maxime honestatem propter se dicant expetendam. Ita propria est ea praeceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum: — quoniam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli iam pridem explosa sententia est; qui tamen haberent ius suum disputandi de officio, si rerum aliquem delectum reliquissent, ut ad offici inventionem aditus esset. Sequemur igitur hoc quidem tempore et hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes; sed, ut solemus, e fontibus eorum iudicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo videbitur, hauriemus.

7. Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire quid sit officium. Quod a Panaetio praetermissum esse miror. Omnis enim, quae ratione suscipitur, de aliqua re institutio debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur. III. Omnis de officio duplex est quaestio. Unum genus est, quod pertinet ad finem bonorum; alterum, quod positum est in praeceptis, quibus in omnes partes usus vitae conformari possit. Superioris generis huiusmodi exempla: Omniane officia perfecta sint; Numquid officium aliud alio maius sit, et quae sunt generis eiusdem. Quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen minus id apparet, quia magis ad institutionem vitae communis spectare videntur: de quibus est nobis his libris explicandum. 8. Atque etiam alia divisio est offici. Nam et medium quoddam officium dicitur, et perfectum. Perfectum officium rectum, opinor, vocemus: quod Graeci κατόρθωμα; hoc autem, commune officium, καθῆκον vocant. Atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id officium perfectum esse definiant. Medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit. 9. Triplex igitur est, ut Panaetio videtur, consili capiendi deliberatio. Nam, honestumne factu sit an turpe, dubitant, id, quod in deliberationem cadit. In quo considerando saepe animi in contrarias sententias distrahuntur. Tum autem aut anquirunt aut consultant, ad vitae commoditatem

iucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus et se possint iuvare et suos, conducat id necne, de quo deliberant. Quae deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus est, quum pugnare videtur cum honesto id, quod videtur esse utile. Quum enim utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur: fit, ut distrahatur in deliberando animus afferatque ancipitem curam cogitandi. 10. Hac divisione (quum praeterire aliquid maximum vitium in dividendo sit) duo praetermissa sunt. Nec enim solum, utrum honestum an turpe sit, deliberari solet; sed etiam duobus propositis honestis, utrum honestius, itemque duobus propositis utilibus, utrum utilius. Ita, quam ille triplicem putavit esse rationem, in quinque partes distribui debere reperitur. Primum igitur est de honesto, sed dupliciter; tum pari ratione de utili; post de comparatione eorum disserendum.

IV. 11. Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur declinet[que] ea, quae nocitura videantur, omniaque, quae sint ad vivendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem. Commune autem animantium omnium est coniunctionis appetitus procreandi causa, et cura quaedam eorum, quae procreata sunt. Sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paullum admodum sentiens praeteritum aut futurum; homo autem (quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque praesentibus adiungit atque annectit futuras) facile totius vitae cursum videt ad eamque degendam praeparat res necessarias. 12. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem, ingeneratque in primis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt, impellitque, ut hominum coetus et celebrationes et esse et a se obiri velit ob easque causas studeat parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum, nec sibi soli, sed coniugi, liberis ceterisque, quos caros habeat tuerique debeat.

Quae cura exsuscitat etiam animos et maiores ad rem gerendam facit. 13. In primisque hominis est propria veri inquisitio atque investigatio. Itaque quum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere, cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod verum, simplex sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum. Huic veri videndi cupiditati adiuncta est appetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene informatus a natura velit nisi praecipienti aut docenti aut utilitatis causa iuste et legitime imperanti: ex quo magnitudo animi exsistit humanarumque rerum contemptio. 14. Nec vero illa parva vis naturae est rationisque, quod unum hoc animal sentit quid sit ordo, quid sit quod deceat, in factis dictisque qui modus. Itaque eorum ipsorum, quae adspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandum putat, cavetque ne quid indecore effeminateve faciat, tum in omnibus et opinionibus et factis ne quid libidinose aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quaerimus, honestum, quod etiamsi nobilitatum non sit, tamen honestum sit, quodque vere dicimus, etiamsi a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides; *quae si oculis cerneretur, mirabiles amores*, ut ait Plato, *excitaret sapientiae.* Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri sollertiaque versatur; aut in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide; aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore; aut in omnium, quae fiunt quaeque dicuntur, ordine et modo, in quo inest modestia et temperantia. 15. Quae quatuor quamquam inter se colligata atque implicata sunt; tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur: velut ex ea parte, quae prima descripta est, in qua sapientiam et prudentiam ponimus, [inest] indagatio atque inventio veri; eiusque

virtutis hoc munus est proprium. 16. Ut enim quisque maxime perspicit quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet. Quocirca huic, quasi materia quam tractet et in qua versetur, subiecta est veritas. 17. Reliquis autem tribus [virtutibus] necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur: ut et societas hominum coniunctioque servetur, et animi excellentia magnitudoque quum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat. Ordo autem et constantia et moderatio et ea, quae sunt his similia, versantur in eo genere, ad quod adhibenda est actio quaedam, non solum mentis agitatio. 18. Iis enim rebus, quae tractantur in vita, modum quendam et ordinem adhibentes, honestatem et decus conservabimus.

VI. Ex quatuor autem locis, in quos honesti naturam vimque divisimus, primus ille, qui in veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus. In hoc genere, et naturali et honesto, duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus iisque temere assentiamur; quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debent,) adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam. 19. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis, quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur, id iure laudabitur: ut in astrologia C. Sulpicium audimus, in geometria Sex. Pompeium ipsi cognovimus, multos in dialecticis, plures in iure civili. Quae omnes artes in veri investigatione versantur, cuius studio a rebus gerendis abduci contra officium est. Virtutis enim laus omnis in actione consistit; a qua tamen fit intermissio saepe multique dantur ad studia reditus; tum agitatio mentis, quae nunquam acquiescit, potest nos in studiis cogitationis etiam sine opera nostra continere. Omnis autem cogitatio motusque animi aut in consiliis capiendis de rebus honestis et pertinentibus ad bene

beateque vivendum, aut in studiis scientiae cognitionisque versabitur. Ac de primo quidem offici fonte diximus.

VII. 20. De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio, qua socictas hominum inter ipsos et vitae quasi communitas continetur. Cuius partes duae [sunt], iustitia, in qua virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur, et huic coniuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellari licet. Sed iustitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat nisi lacessitus iniuria; deinde ut communibus pro communibus utatur, privatis ut suis. 21. Sunt autem privata nulla naturâ; sed aut vetere occupatione: ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria: ut qui bello potiti sunt, aut lege, pactione, conditione, sorte. Ex quo fit ut ager Arpinas Arpinatium dicatur, Tusculanus Tusculanorum, similisque est privatarum possessionum descriptio. Ex quo, quia suum cuiusque fit eorum quae natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat. Ex quo, si quis sibi plus appetet, violabit ius humanae societatis. 22. Sed quoniam, ut praeclare scriptum est a Platone, *non nobis solum nati umus ortusque nostri partem patria vindicat*, [*partem parentes*,] *artem amici*, atque, ut placet Stoicis, quae in terris gignanur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum ausa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent: n hoc naturam debemus ducem sequi, communes utilitates in edium afferre mutatione officiorum, dando accipiendo, tum ribus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter omines societatem. 23. Fundamentum autem iustitiae est ides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas. x quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, taen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt unde erba sint ducta, credamusque, quia fiat quod dictum est, pellatam fidem. Sed iniustitiae genera duo sunt, unum eoum qui inferunt, alterum eorum qui ab iis, quibus infertur, possunt, non propulsant iniuriam. Nam qui iniuste imtum in quempiam facit aut ira aut aliqua perturbatione inatus, is quasi manus afferre videtur socio; qui autem non fendit nec obsistit, si potest, iniuriae, tam est in vitio, quam parentes aut amicos aut patriam deserat. 24. Atque illae

quidem iniuriae, quae nocendi causa de industria inferuntur, saepe a metu proficiscuntur, quum is, qui nocere alteri cogitat, timet ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. Maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur, ut adipiscantur ea quae concupierunt: in quo vitio latissime patet avaritia.

VIII. Expetuntur autem divitiae quum ad usus vitae necessarios tum ad perfruendas voluptates. 25. In quibus autem maior est animus, in iis pecuniae cupiditas spectat ad opes et ad gratificandi facultatem: ut nuper M. Crassus negabat ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in re publica princeps vellet esse, cuius fructibus exercitum alere non posset. Delectant etiam magnifici apparatus vitaeque cultus cum elegantia et copia; quibus rebus effectum est ut infinita pecuniae cupiditas esset. Nec vero rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda est; sed fugienda semper iniuria est. 26. Maxime autem adducuntur plerique ut eos iustitiae capiat oblivio, quum in imperiorum, honorum, gloriae cupiditatem inciderunt. Quod enim est apud Ennium,

Núlla sancta sócietas,

Néc fides regni ést,

id latius patet. Nam, quidquid eiusmodi est, in quo non possint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum sit servare sanctam societatem. Declaravit id modo temeritas C. Caesaris, qui omnia iura divina et humana pervertit propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum. Est autem in hoc genere molestum, quod in maximis animis splendidissimisque ingeniis plerumque exsistunt honoris, impéri, potentiae, gloriae cupiditates. Quo magis cavendum est ne quid in eo genere peccetur. 27. Sed in omni iniustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerumque brevis est et ad tempus, an consulto et cogitata fiat iniuria. Leviora enim sunt ea, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata et praeparata inferuntur. Ac de inferenda quidem iniuria satis dictum est.

IX. 28. Praetermittendae autem defensionis deserendique offici plures solent esse causae. Nam aut inimicitias aut laborem aut sumptus suscipere nolunt; aut etiam negligentia, pi-

gritia, inertia aut suis studiis quibusdam occupationibusve sic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur. Itaque videndum est ne non satis sit id, quod apud Platonem est in philosophos dictum: quod in veri investigatione versentur quodque ea, quae plerique vehementer expetant, de quibus inter se digladiari soleant, contemnant et pro nihilo putent, propterea iustos esse. Nam alterum genus assequuntur, inferenda ne cui noceant iniuria; in alterum incidunt. Discendi enim studio impediti, quos tueri debent, deserunt. Itaque eos ne ad rem publicam quidem accessuros putat nisi coactos. Aequius autem erat id voluntate fieri. Nam hoc ipsum ita iustum est, quod recte fit, si est voluntarium. 29. Sunt etiam qui aut studio rei familiaris tuendae aut odio quodam hominum suum se negotium agere dicant, ne facere cuiquam videantur iniuriam: qui altero genere iniustitiae vacant, in alterum incurrunt. Deserunt enim vitae societatem, quia nihil conferunt in eam studi, nihil operae, nihil facultatum. Quoniam igitur duobus generibus iniustitiae propositis adiunximus causas utriusque generis, easque res ante constituimus quibus iustitia contineretur: facile, quod cuiusque temporis officium sit, poterimus, nisi nosmet ipsos valde amabimus, iudicare. 30. Est enim difficilis cura rerum alienarum. Quamquam Terentianus ille Chremes *humani nihil a se alienum putat;* sed tamen, quia magis ea percipimus atque sentimus quae nobis ipsis aut prospera aut adversa eveniunt, quam illa quae ceteris, quae quasi longo intervallo interiecto videmus, aliter de illis ac de nobis iudicamus. Quocirca bene praecipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites aequum sit an iniquum. Aequitas enim lucet ipsa per se; dubitatio cogitationem significat iniuriae.

X. 31. Sed incidunt saepe tempora, quum ea, quae maxime videntur digna esse iusto homine eoque quem virum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria: ut reddere depositum, facere promissum; quaeque pertinent ad veritatem et ad fidem, ea migrare interdum et non servare fit iustum. Referri enim decet ad ea, quae posui principio fundamenta iustitiae: primum, ut ne cui noceatur; deinde, ut communi utilitati serviatur. Ea quum tempore commutantur, commutatur officium et non semper est idem. 32. Potest enim accidere promissum aliquod et

conventum, ut id effici sit inutile vel ei cui promissum sit, vel ei qui promiserit. Nam si, ut in fabulis est, Neptunus quod Theseo promiserat non fecisset: Theseus Hippolyto filio non esset orbatus. Ex tribus enim optatis, ut scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit; quo impetrato in maximos luctus incidit. Nec promissa igitur servanda sunt ea, quae sint iis quibus promiseris inutilia; nec, si plus tibi ea noceant, quam illi prosint cui promiseris, contra officium est maius anteponi minori: ut, si constitueris cuipiam te advocatum in rem praesentem esse venturum, atque interim graviter aegrotare filius coeperit, non sit contra officium non facere quod dixeris, magisque ille, cui promissum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur. Iam illis promissis standum non esse quis non videt, quae coactus quis metu, quae deceptus dolo promiserit? 33. Quae quidem pleraque iure praetorio liberantur, nonnulla legibus.

Exsistunt etiam saepe iniuriae calumnia quadam et nimis callida et malitiosa iuris interpretatione. Ex quo illud *summum ius summa iniuria* factum est iam tritum sermone proverbium. Quo in genere etiam in re publica multa peccantur: ut ille, qui, quum triginta dierum essent cum hoste induciae factae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactae, non noctium induciae. Ne noster quidem probandus: — si verum est, Q. Fabium Labeonem seu quem alium (nihil enim habeo praeter auditum), arbitrum Nolanis et Neapolitanis de finibus a senatu datum; quum ad locum venisset, cum utrisque separatim locutum, ut ne cupide quid agerent, ne appetenter, atque ut regredi quam progredi mallent. Id quum utrique fecissent: aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum fines sic, ut ipsi dixerant, terminavit; in medio relictum quod erat, populo Romano adiudicavit. Decipere hoc quidem est, non iudicare. Quocirca in omni re fugienda [est] talis sollertia.

XI. Sunt autem quaedam officia etiam adversus eos servanda, a quibus iniuriam acceperis. Est enim ulciscendi et puniendi modus; atque haud scio, an satis sit eum, qui lacessierit, iniuriae suae poenitere: ut et ipse ne quid tale posthac, et ceteri sint ad iniuriam tardiores. 34. Atque in re publica maxime conservanda sunt iura belli. Nam quum sint duo ge-

nera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, quumque illud proprium sit hominis, hoc beluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. 35. Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace vivatur; parta autem victoria conservandi ii, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt: ut maiores nostri Tusculanos, Aequos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt; at Karthaginem et Numantiam funditus sustulerunt — nollem Corinthum; sed credo aliquid secutos, opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari. Mea quidem sententia paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. In quo si mihi esset obtemperatum: si non optimam, at aliquam rem publicam, quae nunc nulla est, haberemus. Et quum iis, quos vi deviceris, consulendum est, tum ii, qui armis positis ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percusserit, recipiendi. In quo tanto opere apud nostros iustitia culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent more maiorum. 36. Ac belli quidem aequitas sanctissime fetiali populi Romani iure perscripta est. Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur aut denuntiatum ante sit et indictum. Popilius imperator tenebat provinciam, in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Quum autem Popilio videretur unam dimittere legionem: Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed quum amore pugnandi in exercitu remansisset: Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo [eum] obliget militiae sacramento, quia, priore amisso, iure cum hostibus pugnare non poterat. 37. Adeo summa erat observatio in bello movendo. M. quidem Catonis senis est epistola ad Marcum filium, in qua scribit se audisse eum missum factum esse a consule [, quum in Macedonia bello Persico miles esset]. Monet igitur, ut caveat ne praelium ineat. Negat enim ius esse, qui miles non sit, cum hoste pugnare. XII. Equidem etiam illud animadverto, quod, qui proprio nomine *perduellis* esset, is *hostis* vocaretur, lenitate verbi rei tristitiam mitigatam. *Hostis* enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus. Indicant duodecim

[tabulae]: ut STATUS DIES CUM HOSTE, itemque ADVERSUS HOSTEM AETERNA AUCTORITAS. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quicum bellum geras, tam molli nomine appellare? Quamquam id nomen durius effecit iam vetustas: a peregrino enim recessit et proprie in eo, qui arma contra ferret, remansit. 38. Quum vero de imperio decertatur belloque quaeritur gloria: causas omnino subesse tamen oportet easdem, quas dixi paullo ante iustas causas esse bellorum. Sed ea bella, quibus impéri proposita gloria est, minus acerbe gerenda sunt. Ut enim cum civi aliter contendimus, si est inimicus, aliter, si competitor; cum altero certamen honoris et dignitatis est, cum altero capitis et famae: sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret; cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Poenis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Poeni foedifragi, crudelis Hannibal, reliqui iustiores. Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa praeclara:

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis;
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes,
Ferro, non auro vitam cernamus utrique.
Vosne velit an me regnare hera quidve ferat Fors,
Virtute experiamur. Et hoc simul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorumdem me libertati parcere certum est:
Dono, ducite, doque volentibu' cum magnis dis.

Regalis sane et digna Aeacidarum genere sententia. XIII. 39. Atque etiam, si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserunt, est in eo ipso fides conservanda. Ut primo Punico bello Regulus captus a Poenis, quum de captivis commutandis Romam missus esset iurassetque se rediturum, primum, ut venit, captivos reddendos in senatu non censuit, deinde, quum retineretur a propinquis et ab amicis, ad supplicium redire maluit quam fidem hosti datam fallere. [40. Secundo autem Punico bello post Cannensem pugnam quos decem Hannibal Romam adstrictos misit iure iurando se redituros esse, nisi de redimendis iis, qui capti erant, impetrassent, eos omnes censores, quoad quisque eorum vixit, qui peierassent, in aerariis reliquerunt; nec minus illum, qui iuris iurandi fraude cul-

pam invenerat. Quum enim Hannibalis permissu exisset de castris, rediit paullo post, quod se oblitum nescio quid diceret. Deinde egressus e castris iure iurando se solutum putabat; et erat verbis, re non erat. Semper autem in fide, quid senseris, non, quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum est iustitiae in hostem a maioribus nostris constitutum; quum a Pyrrho perfuga senatui est pollicitus, se venenum regi daturum et eum necaturum, senatus et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit. Ita ne hostis quidem et potentis et bellum ultro inferentis interitum cum scelere approbavit.] 41. Ac de bellicis quidem officiis satis dictum est.

Meminerimus autem, etiam adversus infimos iustitiam esse servandam. Est autem infima conditio et fortuna servorum, quibus, non male praecipiunt, qui ita iubent uti, ut mercenariis: operam exigendam, iusta praebenda. Quum autem duobus modis, id est aut vi aut fraude, fiat iniuria: fraus quasi vulpeculae, vis leonis videtur; utrumque homine alienissimum, sed fraus odio digna maiore. Totius autem iniustitiae nulla capitalior quam eorum, qui, quum maxime fallunt, id agunt ut viri boni esse videantur. De iustitia satis dictum est.

XIV. 42. Deinceps, ut erat propositum, de b e n e f i c e n t i a ac de l i b e r a l i t a t e dicatur. Qua quidem nihil est naturae hominis accommodatius; sed habet multas cautiones. Videndum est enim primum ne obsit benignitas et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris; deinde ne maior benignitas sit quam facultates; tum ut pro dignitate cuique tribuatur. Id enim est iustitiae fundamentum, ad quam haec referenda sunt omnia. Nam et qui gratificantur cuipiam, quod obsit illi, cui prodesse velle videantur, non benefici neque liberales, sed perniciosi assentatores iudicandi sunt; et qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, ut si in suam rem aliena convertant. 43. Sunt autem multi, et quidem cupidi splendoris et gloriae, qui eripiunt aliis quod aliis largiantur; hique arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacumque ratione. Id autem tantum abest officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium. Videndum est igitur ut ea liberalitate utamur, quae prosit amicis, noceat

nemini. Quare L. Sullae et C. Caesaris pecuniarum translatio a iustis dominis ad alienos non debet liberalis videri: nihil enim liberale, quod non idem iustum. 44. Alter locus erat cautionis, ne benignitas maior esset quam facultates: quod, qui benigniores volunt esse quam res patitur, primum in eo peccant, quod iniuriosi sunt in proximos. Quas enim copias iis et suppeditari aequius est et relinqui, eas transferunt ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi et auferendi per iniuriam, ut ad largiendum suppetant copiae. Videre etiam licet plerosque, non tam natura liberales quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa, quae proficisci ab ostentatione magis quam a voluntate videantur. Talis autem simulatio vanitati est coniunctior quam aut liberalitati aut honestati. 45. Tertium est propositum, ut in beneficentia delectus esset dignitatis, in quo et mores eius erunt spectandi, in quem beneficium conferetur, et animus erga nos, et communitas ac societas vitae, et ad nostras utilitates officia ante collata: quae ut concurrant omnia, optabile est; si minus, plures causae maioresque ponderis plus habebunt. XV. 46. Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur si sunt simulacra virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat; colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque maxime virtutibus his lenioribus erit ornatus, modestia, temperantia, hac ipsa, de qua multa iam dicta sunt, iustitia. Nam fortis animus et magnus in homine non perfecto nec sapiente ferventior plerumque est; illae virtutes bonum virum videntur potius attingere. Atque haec in moribus. 47. De benevolentia autem, quam quisque habeat erga nos, primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur, sed benevolentiam non adolescentulorum more ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia iudicemus. Sin erunt merita, ut non ineunda sed referenda sit gratia: maior quaedam cura adhibenda est. Nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est. 48. Quod si ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus?

an imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt quam acceperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? Nam quum duo genera liberalitatis sint, unum dandi benefici, alterum reddendi: demus necne, in nostra potestate est; non reddere viro bono non licet, modo id facere possit sine iniuria. 49. Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi; nec dubium quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim faciunt multa temeritate quadam, sine iudicio vel modo, in omnes, vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati: quae beneficia aeque magna non sunt habenda atque ea, quae iudicio considerate constanterque delata sunt. Sed in collocando beneficio et in referenda gratia, si cetera paria sunt, hoc maxime offici est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari: quod contra fit a plerisque. A quo enim plurimum sperant, etiamsi is non eget, tamen ei potissimum inserviunt. XVI. 50. Optime autem societas hominum coniunctioque servabitur, si, ut quisque erit coniunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed quae natura principia sint communitatis et societatis humanae, repetendum videtur altius. Est enim primum, quod cernitur in universi generis humani societate. Eius autem vinculum est ratio et oratio, quae docendo, discendo, communicando, disceptando, iudicando conciliat inter se homines coniungitque naturali quadam societate. Neque ulla re longius absumus a natura ferarum: in quibus inesse fortitudinem saepe dicimus, ut in equis, in leonibus; iustitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus. Sunt enim rationis expertes. 51. Ac latissime quidem patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnes, societas haec est, in qua omnium rerum, quas ad communem hominum usum natura genuit, est servanda communitas, ut, quae descripta sunt legibus et iure civili, haec ita teneantur, ut sit constitutum: e quibus ipsis cetera sic observentur, ut in Graecorum proverbio est: *Amicorum esse communia omnia.* Omnia autem communia hominum videntur ea, quae sunt generis eius, quod, ab Ennio positum in una re, transferri in multas potest:

Homó, qui erranti cómiter monstrát viam,
Quasi lúmen de suo lúmine accendát, facit.
Nihilóminus ipsi lúcet, quum illi accénderit.

Una ex re satis praecipitur ut, quidquid sine detrimento commodari possit, id tribuatur vel ignoto. 52. Ex quo sunt illa communia: Non prohibere aqua profluente, Pati ab igne ignem capere, si quis velit, Consilium fidele deliberanti dare; quae sunt iis utilia, qui accipiunt, danti non molesta. Quare et his utendum est et semper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sed quoniam copiae parvae singulorum sunt, eorum autem, qui iis egeant, infinita est multitudo: vulgaris liberalitas referenda est ad illum Ennii finem, *Nihilóminus ipsi lúcet*, ut facultas sit, qua in nostros simus liberales. XVII. 53. Gradus autem plures sunt societatis hominum. Ut enim ab illa infinita discedatur, propior est eiusdem gentis, nationis, linguae, qua maxime homines coniunguntur; interius etiam est eiusdem esse civitatis. Multa enim sunt civibus inter se communia: forum, fana, porticus, viae, leges, iura, iudicia, suffragia, consuetudines praeterea et familiaritates multisque cum multis res rationesque contractae. Arctior vero colligatio est societatis propinquorum. Ab illa enim immensa societate humani generis in exiguum angustumque concluditur. 54. Nam quum sit hoc natura commune animantium, ut habeant libidinem procreandi: prima societas in ipso coniugio est; proxima in liberis; deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis et quasi seminarium rei publicae. Sequuntur fratrum coniunctiones; post consobrinorum sobrinorumque, qui quum una domo iam capi non possint, in alias domos tamquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia et affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quae propagatio et suboles origo est rerum publicarum. Sanguinis autem coniunctio benevolentia devincit homines et caritate. 55. Magnum est enim eadem habere monumenta maiorum, eisdem uti sacris, sepulcra habere communia. Sed omnium societatum nulla praestantior est, nulla firmior, quam quum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti. Illud enim honestum, quod saepe dicimus, etiamsi in alio cernimus, tamen nos movet atque illi, in quo id inesse videtur, amicos facit. 56. Et quamquam omnis virtus nos ad se allicit, facitque

ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur: tamen iustitia et liberalitas id maxime efficit. Nihil autem est amabilius nec copulatius quam morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem studia sunt, eaedem voluntates, in his fit ut aeque quisque altero delectetur ac se ipso, efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas est, quae conficitur ex beneficiis ultro citro datis acceptis; quae et mutua et grata dum sunt, inter quos ea sunt, firma devinciuntur societate. 57. Sed quum omnia ratione animoque lustraris: omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quae cum re publica est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quo est detestabilior istorum immanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam et in ea funditus delenda occupati et sunt et fuerunt. 58. Sed si contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit offici: principes sint patria et parentes, quorum beneficiis maximis obligati sumus; proximi liberi totaque domus, quae spectat in nos solos neque aliud ullum potest habere perfugium; deinceps bene convenientes propinqui, quibuscum communis etiam fortuna plerumque est. Quam ob rem necessaria praesidia vitae debentur iis maxime, quos ante dixi; vita autem victusque communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes, interdum etiam obiurgationes in amicitiis vigent maxime, estque ea iucundissima amicitia, quam similitudo morum coniugavit. XVIII. 59. Sed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid cuique maxime necesse sit, et quid quisque vel sine nobis aut possit consequi aut non possit. Ita non iidem erunt necessitudinum gradus, qui temporum; suntque officia, quae aliis magis quam aliis debeantur: ut vicinum citius adiuveris in fructibus percipiendis quam aut fratrem aut familiarem; at, si lis in iudicio sit, propinquum potius et amicum quam vicinum defenderis. Haec igitur et talia circumspicienda sunt in omni officio [et consuetudo exercitatioque capienda], ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus, et addendo deducendoque videre quae reliqui summa fiat; ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas. 60. Sed ut nec medici nec imperatores

nec oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt: sic offici conservandi praecepta traduntur illa quidem, (ut facimus ipsi,) sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat. Atque ab iis rebus, quae sunt in iure societatis humanae, quemadmodum ducatur honestum, ex quo aptum est officium, satis fere diximus.

61. Intelligendum est autem, quum proposita sint genera quattuor, e quibus honestas officiumque manaret, splendidissimum videri, quod animo magno elatoque humanasque res despiciente factum sit. Itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest:

Vos etenim, iuvenes, animum geritis muliebrem;
Illa virago viri,

et si quid eiusmodi:

Salmaci, da spolia, sine sudore et sanguine!

Contraque in laudibus, quae magno animo fortiter excellenterque gesta sunt, ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus. Hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plataeis, Thermopylis, Leuctris; hinc noster Cocles, hinc Decii, hinc Cn. et P. Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabiles alii, maximeque ipse populus Romanus animi magnitudine excellit. Declaratur autem studium bellicae gloriae, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari. XIX. 62. Sed ea animi elatio, quae cernitur in periculis et laboribus, si iustitia vacat pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est. Non modo enim id virtutis non est, sed potius immanitatis omnem humanitatem repellentis. Itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, quum eam *virtutem* esse dicunt *propugnantem pro aequitate.* Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis et malitia, laudem est adeptus. Nihil honestum esse potest, quod iustitia vacat. 63. Praeclarum igitur illud Platonis: *Non,* inquit, *solum scientia, quae est remota ab iustitia, calliditas potius quam sapientia est appellanda; verum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciae potius nomen habeat quam fortitudinis.* Itaque viros fortes et magnanimos eosdem bonos et simplices, veritatis amicos minimeque fallaces esse volumus: quae sunt ex media laude iustitiae. 64. Sed il-

lud odiosum est, quod in hac elatione et magnitudine animi facillime pertinacia et nimia cupiditas principatus innascitur. Ut enim apud Platonem est, *omnem morem Lacedaemoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi:* sic, ut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime vult princeps omnium vel potius solus esse. Difficile autem est, quum praestare omnibus concupieris, servare aequitatem, quae est iustitiae maxime propria. Ex quo fit ut neque disceptatione vinci se nec ullo publico ac legitimo iure patiantur, exsistuntque in re publica plerumque largitores et factiosi, ut opes quam maximas consequantur, et sint vi potius superiores quam iustitia pares. Sed quo difficilius, hoc praeclarius. Nullum est enim tempus, quod iustitia vacare debeat. 65. Fortes igitur et magnanimi sunt habendi non qui faciunt, sed qui propulsant iniuriam. Vera autem et sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria iudicat, principemque se esse mavult quam videri. Etenim qui ex errore imperitae multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. Facillime autem ad res iniustas impellitur, ut quisque altissimo animo est, gloriae cupiditate. Qui locus est sane lubricus, quod vix invenitur, qui laboribus susceptis periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.

XX. 66. Omnino fortis animus et magnus duabus rebus maxime cernitur, quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, quum persuasum sit nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari aut optare aut expetere oportere, nullique neque homini neque perturbationi animi nec fortunae succumbere. Altera est res, ut, quum ita sis affectus animo, ut supra dixi, res geras magnas illas quidem et maxime utiles, sed ut vehementer arduas plenasque laborum et periculorum tum vitae, tum multarum rerum quae ad vitam pertinent. 67. Harum rerum duarum splendor omnis et amplitudo, addo etiam utilitatem, in posteriore est; causa autem et ratio efficiens magnos viros est in priore. In eo est enim illud, quod excellentes animos et humana contemnentes facit. Id autem ipsum cernitur in duobus, si et solum id, quod honestum sit, bonum iudices, et ab omni animi perturbatione liber sis. Nam et ea, quae eximia plerisque et praeclara videntur, parva ducere ea-

que ratione stabili firmaque contemnere fortis animi magnique ducendum est, et ea, quae videntur acerba, quae multa et varia in hominum vita fortunaque versantur, ita ferre, ut nihil a statu naturae discedas, nihil a dignitate sapientis, robusti animi est magnaeque constantiae. 68. Non est autem consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate; nec, qui invictum se a labore praestiterit, vinci a voluptate. Quam ob rem et haec videnda, et pecuniae fugienda cupiditas. Nihil enim est tam angusti animi tamque parvi quam amare divitias; nihil honestius magnificentiusque quam pecuniam contemnere, si non habeas; si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre. Cavenda [est] etiam gloriae cupiditas, ut supra dixi: eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Nec vero imperia expetenda, ac potius aut non accipienda interdum aut deponenda nonnunquam. 69. Vacandum autem omni est animi perturbatione, tum cupiditate et metu, tum etiam aegritudine et voluptate nimia et iracundia, ut tranquillitas animi et securitas adsit, quae affert quum constantiam tum etiam dignitatem. Multi autem et sunt et fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes a negotiis publicis se removerunt ad otiumque perfugerunt; in his et nobilissimi philosophi longeque principes et quidam homines severi et graves nec populi nec principum mores ferre potuerunt, vixeruntque nonnulli in agris delectati re sua familiari. 70. His idem propositum fuit, quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur; cuius proprium est sic vivere, ut velis. XXI. Quare quum hoc commune sit potentiae cupidorum cum iis, quos dixi, otiosis: alteri se adipisci id posse arbitrantur, si opes magnas habeant, alteri, si contenti sint et suo et parvo. In quo neutrorum omnino contemnenda sententia est; sed et facilior et tutior et minus aliis gravis aut molesta vita est otiosorum, fructuosior autem hominum generi et ad claritatem amplitudinemque aptior eorum, qui se ad rem publicam et ad magnas res gerendas accommodaverunt. 71. Quapropter et iis forsitan concedendum sit rem publicam non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinae sese dediderunt, et iis, qui aut valetudinis imbecillitate aut aliqua graviore causa impediti a re publica recesserunt, quum eius administrandae po-

testatem aliis laudemque concederent. Quibus autem talis nulla sit causa, si despicere se dicant ea, quae plerique mirentur, imperia et magistratus: iis non modo non laudi verum etiam vitio dandum puto. Quorum iudicium in eo, quod gloriam contemnant et pro nihilo putent, difficile factu est non probare; sed videntur labores et molestias, tum offensionum et repulsarum quasi quandam ignominiam timere et infamiam. Sunt enim qui in rebus contrariis parum sibi constent, voluptatem severissime contemnant, in dolore sint molliores, gloriam negligant, frangantur infamia: atque ea quidem non satis constanter. 72. Sed iis, qui habent a natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione adipiscendi magistratus et gerenda res publica est. Nec enim aliter aut regi civitas aut declarari animi magnitudo potest. Capessentibus autem rem publicam nihilo minus quam philosophis, haud scio an magis etiam et magnificentia et despicientia adhibenda sit rerum humanarum et ea, quam saepe dico, tranquillitas animi atque securitas; si quidem nec anxii futuri sunt et cum gravitate constantiaque victuri. 73. Quae [eo] faciliora sunt philosophis, quo minus multa patent in eorum vita, quae fortuna feriat, et quo minus multis rebus egent; et quia, si quid adversi eveniat, tam graviter cadere non possunt. Quocirca non sine causa maiores motus animorum concitantur maiorque cura efficiendi rem publicam gerentibus, quam quietis: quo magis his et magnitudo est animi adhibenda et vacuitas ab angoribus. Ad rem gerendam autem qui accedit, caveat ne id modo consideret, quam illa res honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipso considerandum est ne aut temere desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis prius, quam aggrediare, adhibenda est praeparatio diligens.

XXII. 74. Sed quum plerique arbitrentur res bellicas maiores esse quam urbanas: minuenda est haec opinio. Multi enim bella saepe quaesiverunt propter gloriae cupiditatem; atque in magnis animis ingeniisque plerumque contingit eoque magis, si sunt ad rem militarem apti et cupidi bellorum gerendorum. Vere autem si volumus iudicare: multae res exstiterunt urbanae maiores clarioresque quam bellicae. 75. Quamvis enim Themistocles iure laudetur et sit eius nomen quam Solonis illu-

strius, citeturque Salamis clarissimae testis victoriae, quae anteponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit Areopagitas: non minus praeclarum hoc quam illud iudicandum est. Illud enim semel profuit; hoc semper proderit civitati: hoc consilio leges Atheniensium, hoc maiorum instituta servantur. Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuverit; at ille vere, ab se adiutum Themistoclem. Est enim bellum gestum consilio senatus eius, qui a Solone erat constitutus. 76. Licet eadem de Pausania Lysandroque dicere, quorum rebus gestis quamquam imperium Lacedaemonis dilatatum putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinae conferendi sunt. Quin etiam ob has ipsas causas et parentiores habuerunt exercitus et fortiores. Mihi quidem neque pueris nobis M. Scaurus C. Mario, neque quum versaremur in re publica, Q. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur.

Párvi enim foris sunt arma, nisi sit consiliúm domi.

Nec plus Africanus, singularis et vir et imperator, in excidenda Numantia rei publicae profuit, quam eodem tempore P. Nasica privatus, quum Ti. Gracchum interemit. Quamquam haec quidem res non solum ex domestica est ratione — attingit enim bellicam, quoniam vi manuque confecta est; — sed tamen id ipsum gestum est consilio urbano, sine exercitu. 77. Illud autem optimum est, in quod invadi solere ab improbis et invidis audio:

Cedant arma togae, concedat laurea linguae.

Ut enim alios omittam, nobis rem publicam gubernantibus nonne togae arma cessere? Neque enim periculum in re publica fuit gravius unquam nec maius otium. Ita consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. Quae res igitur gesta unquam in bello tanta? Qui triumphus conferendus? 78. Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem et hereditas huius gloriae et factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus hoc tribuit, ut diceret frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in rem publicam beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. Sunt igitur domesticae fortitudines non inferiores militaribus; in quibus plus etiam quam in his operae studique ponendum est.

XXIII. 79. Omnino illud honestum, quod ex animo excelso magnificoque quaerimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen corpus et ita afficiendum est, ut obedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis et in labore tolerando. Honestum autem id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura et cogitatione; in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati rei publicae praesunt, quam qui bellum gerunt. Itaque eorum consilio saepe aut non suscepta aut confecta bella sunt, nonnunquam etiam illata: ut M. Catonis bellum Punicum tertium, in quo etiam mortui valuit auctoritas. 80. Quare expetenda quidem magis est decernendi ratio quam decertandi fortitudo, sed cavendum ne id bellandi magis fuga quam utilitatis ratione faciamus.

Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud nisi pax quaesita videatur. Fortis vero et constantis est non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu deiici, ut dicitur, sed praesenti animo uti et consilio, nec a ratione discedere. 81. Quamquam hoc animi, illud etiam ingéni magni est, praecipere cogitatione futura et aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem, et quid agendum sit quum quid evenerit, nec committere, ut aliquando dicendum sit: *Non putaram.* Haec sunt opera magni animi et excelsi et prudentia consilioque fidentis. Temere autem in acie versari et manu cum hoste confligere immane quiddam et beluarum simile est. Sed quum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est et mors servituti turpitudinique anteponenda. XXIV. 82. De vertendis autem diripiendisque urbibus valde considerandum est, ne quid temere, ne quid crudeliter. Idque est viri magni, rebus agitatis punire sontes, multitudinem conservare, in omni fortuna recta atque honesta retinere. Ut enim sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponant: sic reperias multos, quibus periculosa et calida consilia quietis et cogitatis et splendidiora et maiora videantur. 83. Nunquam omnino periculi fuga committendum est ut imbelles timidique videamur; sed fugiendum illud etiam ne offeramus nos periculis sine causa, quo nihil potest esse stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter aegrotantes leniter curant, gravioribus autem morbis periculosas curationes

et ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempestatem adversam optare dementis est, subvenire autem tempestati quavis ratione sapientis, eoque magis, si plus adipiscare re explicata boni, quam addubitata mali. Periculosae autem rerum actiones partim iis sunt, qui eas suscipiunt, partim reipublicae. Itemque alii de vita, alii de gloria et benevolentia civium in discrimen vocantur. Promptiores igitur debemus esse ad nostra pericula quam ad communia, dimicareque paratius de honore et gloria quam de ceteris commodis.

84. Inventi autem multi sunt, qui non modo pecuniam sed etiam vitam profundere pro patria parati essent, iidem gloriae iacturam ne minimam quidem facere vellent, ne re publica quidem postulante: ut Callicratidas, qui quum Lacedaemoniorum dux fuisset Peloponnesiaco bello multaque fecisset egregie, vertit ad extremum omnia, quum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginusis removendam nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit, Lacedaemonios classe illa amissa aliam parare posse, se fugere sine suo dedecore non posse. Atque haec quidem Lacedaemoniis plaga mediocris; illa pestifera, qua, quum Cleombrotus invidiam timens temere cum Epaminonda conflixisset, Lacedaemoniorum opes corruerunt. Quanto Q. Maximus melius! de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem:
Non hic rumores ponebat ante salutem.
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

Quod genus peccandi vitandum est etiam in rebus urbanis. Sunt enim qui, quod sentiunt, etiamsi optimum sit, tamen invidiae metu non audent dicere.

XXV. 85. Omnino, qui rei publicae praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant: unum, utilitatem civium sic tueantur, ut quaecumque agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reipublicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Ut enim tutela, sic procuratio rei publicae ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam: ex quo evenit, ut alii populares, alii studiosi optimi cuiusque vi-

deantur, pauci universorum. 86. Hinc apud Athenienses magnae discordiae, in nostra re publica non solum seditiones sed etiam pestifera bella civilia; quae gravis et fortis civis et in re publica dignus principatu fugiet atque oderit, tradetque se totum rei publicae, neque opes aut potentiam consectabitur, totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. Nec vero criminibus falsis in odium aut invidiam quemquam vocabit, omninoque ita iustitiae honestatique adhaerescet, ut, dum ea conservet, quamvis graviter offendat mortemque oppetat potius, quam deserat illa quae dixi. 87. Miserrima omnino est ambitio honorumque contentio, de qua praeclare apud eundem est Platonem: *Similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius rem publicam administraret, ut si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret.* Idemque praecipit ut *eos adversarios existimemus, qui arma contra ferant, non eos, qui suo iudicio tueri rem publicam velint:* qualis fuit inter P. Africanum et P. Metellum sine acerbitate dissensio.

88. Nec vero audiendi qui graviter irascendum inimicis putabunt, idque magnanimi et fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia. In liberis vero populis et in iuris aequabilitate exercenda etiam est facilitas et lenitudo animi, quae dicitur, ne, si irascamur aut intempestive accedentibus aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem et odiosam incidamus. Et tamen ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur rei publicae causa severitas, sine qua administrari civitas non potest. Omnis autem et animadversio et castigatio contumelia vacare debet, neque ad eius, qui punitur aliquem aut verbis castigat, sed ad rei publicae utilitatem referri. 89. Cavendum est etiam ne maior poena quam culpa sit, et ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maxime est ira in puniendo. Nunquam enim, iratus qui accedet ad poenam, mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum, — quae placet Peripateticis, et recte placet, modo ne laudarent iracundiam et dicerent utiliter a natura datam. Illa vero omnibus in rebus repudianda est, optandumque ut ii, qui praesunt rei publicae, legum similes sint, quae ad puniendum non iracundia sed aequitate ducuntur.

XXVI. 90. Atque etiam in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam magno opere, fastidium arrogantiamque fugiamus. Nam ut adversas res, sic secundas immoderate ferre levitatis est, praeclaraque est aequabilitas in omni vita, et idem semper vultus eademque frons, ut de Socrate itemque de C. Laelio accepimus. Philippum quidem, Macedonum regem, rebus gestis et gloria superatum a filio, facilitate et humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter semper magnus, alter saepe turpissimus, ut recte praecipere videantur qui monent, ut, quanto superiores simus, tanto nos geramus submissius. Panaetius quidem Africanum, auditorem et familiarem suum, solitum ait dicere: *ut equos propter crebras contentiones proeliorum ferocitate exsultantes domitoribus tradere soleant, ut iis facilioribus possint uti: sic homines secundis rebus effrenatos sibique praefidentes tanquam in gyrum rationis et doctrinae duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem varietatemque fortunae.* 91. Atque etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum, iisque maior etiam quam ante tribuenda auctoritas. Iisdemque temporibus cavendum est ne assentatoribus patefaciamus aures, neve adulari nos sinamus; in quo falli facile est. Tales enim nos esse putamus, ut iure laudemur. Ex quo nascuntur innumerabilia peccata, quum homines inflati opinionibus turpiter irridentur et in maximis versantur erroribus. Sed haec quidem hactenus.

92. Illud autem sic est iudicandum, maximas geri res et maximi animi ab iis, qui res publicas regant, quod earum administratio latissime pateat ad plurimosque pertineat; esse autem magni animi et fuisse multos etiam in vita otiosa, qui aut investigarent aut conarentur magna quaedam seseque suarum rerum finibus continerent, aut interiecti inter philosophos et eos, qui rem publicam administrarent, delectarentur re sua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes neque excludentes ab eius usu suos, potiusque et amicis impertientes et rei publicae, si quando usus esset. Quae primum bene parta sit nullo neque turpi quaestu neque odioso; tum quam plurimis, modo dignis, se utilem praebeat; deinde augeatur ratione, diligentia, parsimonia, nec libidini potius luxuriaeque quam liberali-

tati et beneficentiae pateat. Haec praescripta servantem licet magnifice, graviter animoseque vivere, atque etiam simpliciter, fideliter vitaeque hominum amice.

XXVII. 93. Sequitur ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit, in qua verecundia et quasi quidam ornatus vitae, temperantia et modestia omnisque sedatio perturbationum animi et rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici Latine decorum potest: Graece enim πρέπον dicitur. Huius vis ea est, ut ab honesto non queat separari. Nam et quod decet honestum est, et quod honestum est decet. 94. Qualis autem differentia sit honesti et decori, facilius intelligi quam explanari potest. Quidquid est enim quod deceat, id tum apparet, quum antegressa est honestas. Itaque non solum in hac parte honestatis, de qua hoc loco disserendum est, sed etiam in tribus superioribus, quid deceat, apparet. Nam et ratione uti et oratione prudenter, et agere quod agas considerate, omnique in re, quid sit veri, videre et tueri decet; contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare et mente esse captum: et iusta omnia decora sunt; iniusta contra ut turpia, sic indecora. Similis est ratio fortitudinis. Quod enim viriliter animoque magno fit, id dignum viro et decorum videtur; quod contra, id ut turpe, sic indecorum. 95. Quare pertinet quidem ad omnem honestatem hoc quod dico decorum, et ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu. Est enim quiddam — idque intelligitur in omni virtute — quod deceat; quod cogitatione magis a virtute potest quam re separari. Ut venustas et pulchritudo corporis secerni non potest a valetudine: sic hoc de quo loquimur decorum, totum illud quidem est cum virtute confusum, sed mente et cogitatione distinguitur. 96. Est autem eius descriptio duplex. Nam et generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honestate versatur, et aliud huic subiectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis. Atque illud superius sic fere definiri solet: *Decorum* id esse, *quod consentaneum sit hominis excellentiae in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differat.* Quae autem pars subiecta generi est, eam sic definiunt, ut id *decorum* velint esse, *quod ita naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie quadam liberali.*

XXVIII. 97. Haec ita intelligi, possumus existimare ex eo decoro, quod poëtae sequuntur, de quo alio loco plura dici solent. Sed tum servare illud poëtas, quod deceat, dicimus, quum id, quod quaque persona dignum est, et fit et dicitur. Ut si Aeacus aut Minos diceret:

Oderint, dum metuant!

aut:

Natis sepulcro ipse est parens:

indecorum videretur, quod eos fuisse iustos accepimus; at Atreo dicente plausus excitantur: est enim digna persona oratio. Sed poëtae quid quemque deceat ex persona iudicabunt; nobis autem personam imposuit ipsa natura, magna cum excellentia praestantiaque animantium reliquarum. 98. Quocirca poëtae in magna varietate personarum, etiam vitiosis quid conveniat et quid deceat, videbunt; nobis autem quum a natura constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae partes datae sint, quumque eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos adversus homines geramus: efficitur ut et illud, quod ad omnem honestatem pertinet, decorum quam late fusum sit appareat, et hoc, quod spectatur in uno quoque genere virtutis. Ut enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine et constantia et moderatione dictorum omnium atque factorum. 99. Adhibenda est igitur quaedam reverentia adversus homines et optimi cuiusque et reliquorum. Nam negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed [etiam] omnino dissoluti. Est autem quod differat in hominum ratione habenda inter iustitiam et verecundiam. Iustitiae partes sunt non violare homines; verecundiae non offendere: in quo maxime vis perspicitur decori. His igitur expositis, quale sit id quod decere dicimus, intellectum puto.

100. Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primum habet viam, quae deducit ad convenientiam conservationemque naturae. Quam si sequemur ducem: nunquam aberrabimus assequemurque et id, quod acutum et perspicax natura est, et id, quod ad hominum consociationem accommodatum, et id, quod

vehemens atque forte. Sed maxima vis decori in hac inest parte, de qua disputamus. Neque enim solum corporis, qui ad naturam apti sunt, sed multo etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati sunt. 101. Duplex est enim vis animorum atque natura: una pars in appetitu posita est, quae est ὁρμή Graece, quae hominem huc et illuc rapit; altera in ratione, quae docet et explanat quid faciendum fugiendumve sit. Ita fit ut ratio praesit, appetitus obtemperet. XXIX. Omnis autem actio vacare debet temeritate et negligentia, nec vero agere quidquam, cuius non possit causam probabilem reddere. 102. Haec est enim fere descriptio offici. Efficiendum autem est ut appetitus rationi obediant, eamque neque praecurrant nec propter pigritiam aut ignaviam deserant, sintque tranquilli atque omni animi perturbatione careant. Ex quo elucebit omnis constantia omnisque moderatio. Nam qui appetitus longius evagantur et tanquam exsultantes sive cupiendo sive fugiendo non satis a ratione retinentur, ii sine dubio finem et modum transeunt. Relinquunt enim et abiiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui sunt subiecti lege naturae: a quibus non modo animi perturbantur, sed etiam corpora. Licet ora ipsa cernere iratorum aut eorum, qui aut libidine aliqua aut metu commoti sunt aut voluptate nimia gestiunt: quorum omnium vultus, voces, motus statusque mutantur. 103. Ex quibus illud intelligitur, (ut ad offici formam revertamur,) appetitus omnes contrahendos sedandosque esse excitandamque animadversionem et diligentiam, ut ne quid temere ac fortuitu, inconsiderate neglienterque agamus. Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et iocum facti esse videamur, [sed] ad severitatem potius et ad quaedam studia graviora atque maiora. Ludo autem et ioco uti illo quidem licet, sed, sicut somno et quietibus ceteris, tum quum gravibus seriisque [rebus] satisfecerimus; ipsumque genus iocandi non profusum neque immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quae ab honestis actionibus non sit aliena: sic in ipso ioco aliquod probi ingéni lumen eluceat. 104. Duplex omnino est iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster

et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt, multaque multorum facete dicta: ut ea quae a sene Catone collecta sunt, quae vocant ἀποφθέγματα. Facilis igitur est distinctio ingenui et illiberalis ioci. Alter est, si tempore fit, remisso homine dignus; alter ne libero quidem, si rerum turpitudo adhibetur aut verborum obscenitas. Ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem et campus noster et studia venandi honesta exempla ludendi.

XXX. 105. Sed pertinet ad omnem offici quaestionem semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque beluis antecedat. Illae nihil sentiunt nisi voluptatem ad eamque feruntur omni impetu; hominis autem mens discendo alitur et cogitando, semper aliquid aut anquirit aut agit, videndique et audiendi delectatione ducitur. Quin etiam si quis est paullo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere; (sunt enim quidam homines non re, sed nomine;) sed si quis est paullo erectior, quamvis voluptate capiatur: occultat et dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam. 106. Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis praestantia, eamque contemni et reiici oportere; sin sit quispiam, qui aliquid tribuat voluptati: diligenter ei tenendum esse eius fruendae modum. Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referatur et ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam si considerare volumus quae sit in natura hominis excellentia et dignitas, intelligemus quam sit turpe diffluere luxuria et delicate ac molliter vivere, quam honestum parce, continenter, severe, sobrie.

107. Intelligendum etiam est, duabus quasi nos a natura indutos esse personis, quarum una communis est ex eo, quod omnes participes sumus rationis praestantiaeque eius, qua antecellimus bestiis, a qua omne honestum decorumque trahitur et ex qua ratio inveniendi offici exquiritur; altera autem, quae proprie singulis est tributa. Ut enim in corporibus magnae dissimilitudines sunt: (alios [enim] videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere; itemque in formis aliis dignitatem inesse, aliis venustatem:) sic in animis exsistunt maiores

etiam varietates. 108. Erat in L. Crasso [et] in L. Philippo multus lepos, maior etiam magisque de industria in C. Caesare, L. f.; at iisdem temporibus in M. Scauro et in M. Druso adolescente singularis severitas, in C. Laelio multa hilaritas, in eius familiari Scipione ambitio maior, vita tristior. De Graecis autem dulcem et facetum festivique sermonis atque in omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Graeci nominarunt, Socratem accepimus; contra, Pythagoram et Periclem summam auctoritatem consecutos sine ulla hilaritate. Callidum Hannibalem ex Poenorum, ex nostris ducibus Q. Maximum accepimus facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, praecipere hostium consilia. In quo genere Graeci Themistoclem et Pheraeum Iasonem ceteris anteponunt, in primisque versutum et callidum factum Solonis, qui, quo et tutior vita eius esset et plus aliquando rei publicae prodesset, furere se simulavit. 109. Sunt iis alii multum dispares, simplices et aperti, qui nihil ex occulto, nihil de insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici; itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deserviant, dum quod velint consequantur: ut Sullam et M. Crassum videbamus. Quo in genere versutissimum et patientissimum Lacedaemonium Lysandrum accepimus; contraque Callicratidam, qui praefectus classis proximus post Lysandrum fuit; — itemque in sermonibus alium quem, quamvis praepotens sit, efficere, ut unus de multis esse videatur: quod iu Catulo, et in patre et in filio, idemque in Q. Mucio Mancia vidimus. Audivi ex maioribus natu, hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica; contra patrem eius, illum, qui Ti. Gracchi conatus perditos vindicavit, nullam comitatem habuisse sermonis; [ne Xenocratem quidem, severissimum philosophorum, ob eamque rem ipsam magnum clarumque fuisse.] Innumerabiles aliae dissimilitudines sunt naturae morumque, minime tamen vituperandorum. XXXI. 110. Admodum autem tenenda sunt sua cuique, non vitiosa sed tamen propria, quo facilius decorum illud quod quaerimus retineatur. Sic enim est faciendum, ut contra universam naturam nihil contendamus, ea tamen conservata propriam naturam sequamur; ut, etiamsi sint alia graviora atque meliora, tamen nos studia nostra nostrae naturae regula metiamur. Neque enim attinet naturae repugnare, nec quidquam sequi quod

assequi non queas. Ex quo magis emergit, quale sit decorum illud, ideo, quia nihil decet invita Minerva (ut aiunt), id est, adversante et repugnante natura. 111. Omnino si quidquam est decorum, nihil est profecto magis quam aequabilitas universae vitae, tum singularum actionum: quam conservare non possis, si aliorum naturam imitans omittas tuam. Ut enim sermone eo debemus uti, qui notus est nobis, ne, ut quidam, Graeca verba inculcantes iure optimo rideamur: sic in actiones omnemque vitam nullam discrepantiam conferre debemus. 112. Atque haec differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnunquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat, alius in eadem causa non debeat. Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri qui se in Africa Caesari tradiderunt? Atqui ceteris forsitan vitio datum esset, si se interemissent, propterea quod lenior eorum vita et mores fuerant faciliores; Catoni, quum incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipse perpetua constantia roboravisset semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriundum potius quam tyranni vultus adspiciendus fuit. 113. Quam multa passus est Ulixes in illo errore diuturno, quum et mulieribus (si Circe et Calypso mulieres appellandae sunt) inserviret et in omni sermone omnibus affabilem et iucundum esse se vellet; domi vero etiam contumelias servorum ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, veniret. At Aiax, quo animo traditur, millies oppetere mortem quam illa perpeti maluisset. Quae contemplantes expendere oportebit quid quisque habeat sui, eaque moderari, nec velle experiri, quam se aliena deceant. Id enim maxime quemque decet, quod est cuiusque maxime suum. 114. Suum quisque igitur noscat ingenium acremque se et bonorum et vitiorum suorum iudicem praebeat, ne scenici plus quam nos videantur habere prudentiae. Illi enim non optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt: qui voce freti sunt, Epigonos Medumque; qui gestu, Melanippam, Clytaemnestram; semper Rupilius, quem ego memini, Antiopam; non saepe Aesopus Aiacem. Ergo histrio hoc videbit in scena; non videbit sapiens vir in vita? Ad quas igitur res aptissimi erimus, in iis potissimum elaborabimus. Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quae nostri ingeni non erunt: omnis adhibenda erit cura, me-

ditatio, diligentia, ut ea, si non decore, at quam minime indecore facere possimus; nec tam est enitendum ut bona, quae nobis data non sint, sequamur, quam ut vitia fugiamus.

XXXII. 115. Ac duabus iis personis, quas supra dixi, tertia adiungitur, quam casus aliqui aut tempus imponit; quarta etiam, quam nobismet ipsi iudicio nostro accommodamus. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitiae, opes, eaque quae sunt his contraria, in casu sita, temporibus gubernantur; ipsi autem gerere quam personam velimus, a nostra voluntate proficiscitur. Itaque se alii ad philosophiam, alii ad ius civile, alii ad eloquentiam applicant, ipsarumque virtutum in alia alius mavult excellere. 116. Quorum vero patres aut maiores aliqua gloria praestiterunt, ii student plerumque eodem in genere laudis excellere: ut Q. Mucius, P. f., in iure civili, Paulli filius Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas a patribus acceperunt, addunt aliquam suam: ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam. Quod idem fecit Timotheus, Cononis filius, qui, quum belli laude non inferior fuisset quam pater, ad eam laudem doctrinae et ingeni gloriam adiecit. Fit autem interdum, ut nonnulli omissa imitatione maiorum suum quoddam institutum consequantur; maximeque in eo plerumque elaborant ii, qui magna sibi proponunt, obscuris orti maioribus. 117. Haec igitur omnia, quum quaerimus quid deceat, complecti animo et cogitatione debemus. In primis autem constituendum est, quos nos et quales esse velimus et in quo genere vitae: quae deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim adolescentia, quum est maxima imbecillitas consili, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamavit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit quod optimum esset iudicare. 118. Namque quod Herculem Prodicium dicunt, ut est apud Xenophontem, quum primum pubesceret, — quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est, — exisse in solitudinem atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse, quum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius esset: hoc Herculi, Iovis satu edito, potuit fortasse contingere; nobis non item, qui imitamur quos cuique visum est, atque ad eorum

studia institutaque impellimur, plerumque autem parentium praeceptis imbuti ad eorum consuetudinem moremque deducimur. Alii multitudinis iudicio feruntur, quaeque maiori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant; nonnulli tamen sive felicitate quadam sive bonitate naturae sive parentium disciplina rectam vitae secuti sunt viam. XXXIII. 119. Illud autem maxime rarum genus est eorum, qui aut excellente ingéni magnitudine aut praeclara eruditione atque doctrina aut utraque re ornati spatium etiam deliberandi habuerunt, quem potissimum vitae cursum sequi vellent: in qua deliberatione ad suam cuiusque naturam consilium est omne revocandum. Nam quum in omnibus, quae aguntur, ex eo, quo modo quisque natus est, ut supra dictum est, quid deceat exquirimus; tum in tota vita constituenda multo est ei rei cura maior adhibenda, ut constare in perpetuitate vitae possimus nobismet ipsis nec in ullo officio claudicare. 120. Ad hanc autem rationem quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam: utriusque omnino habenda ratio est in deligendo genere vitae, sed naturae magis. Multo enim et firmior est et constantior, ut fortuna nonnunquam ipsa — mortalis cum immortali natura pugnare videatur. Qui igitur ad naturae suae non vitiosae genus consilium vivendi omne contulerit, is constantiam teneat: id enim maxime decet; — nisi forte se intellexerit errasse in deligendo genere vitae. Quod si acciderit: (potest autem accidere:) facienda morum institutorumque mutatio est. Eam mutationem si tempora adiuvabunt: facilius commodiusque faciemus; sin minus: sensim erit pedetentimque facienda, — ut amicitias, quae minus delectent et minus probentur, magis decere censent sapientes sensim dissuere quam repente praecidere. 121. Commutato autem genere vitae omni ratione curandum est, ut id bono consilio fecisse videamur. Sed quoniam paullo ante dictum est imitandos esse maiores: primum illud exceptum sit, ne vitia sint imitanda; deinde, si natura non feret, ut quaedam imitari possit: ut superioris filius Africani, qui hunc Paullo natum adoptavit, propter infirmitatem valetudinis non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui; — si igitur non poterit sive causas defensitare sive populum concionibus tenere sive bella gerere: illa tamen praestare debebit quae erunt in ipsius potestate, iustitiam

fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam, quo minus ab eo id, quod desit, requiratur. Optima autem hereditas a patribus traditur liberis omnique patrimonio praestantior gloria virtutis rerumque gestarum: cui dedecori esse nefas et impium iudicandum est.

XXXIV. 122. Et quoniam officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur, aliaque sunt iuvenum alia seniorum: aliquid etiam de hac distinctione dicendum est. Est igitur adolescentis maiores natu vereri exque iis deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est. Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis, ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat industria. Atque etiam quum relaxare animos et dare se iucunditati volent: caveant intemperantiam, meminerint verecundiae; quod erit facilius, si in eiusmodi quidem rebus maiores natu velint interesse. 123. Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendae videntur; danda vero opera, ut et amicos et iuventutem et maxime rem publicam consilio et prudentia quam plurimum adiuvent. Nihil autem magis cavendum est senectuti, quam ne languori se desidiaeque dedat. Luxuria vero quum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem etiam libidinum intemperantia accesserit: duplex malum est, quod et ipsa senectus dedecus concipit et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.

124. Ac ne illud quidem alienum est, de magistratuum, de privatorum, de civium, de peregrinorum officiis dicere. Est igitur proprium munus magistratus intelligere, se gerere personam civitatis debereque eius dignitatem et decus sustinere, servare leges, iura describere, ea fidei suae commissa meminisse. Privatum autem oportet aequo et pari cum civibus iure vivere, neque submissum et abiectum neque se efferentem; tum in re publica ea velle, quae tranquilla et honesta sint. Talem enim solemus et sentire bonum civem et dicere. 125. Peregrini autem atque incolae officium est nihil praeter suum negotium agere, nihil de alio anquirere minimeque esse in aliena re publica curiosum. Ita fere officia reperientur, quum quaere-

tur quid deceat et quid aptum sit personis, temporibus, aetatibus. Nihil est autem quod tam deceat, quam in omni re gerenda consilioque capiendo servare constantiam.

XXXV. 126. Sed quoniam decorum illud in omnibus factis, dictis, in corporis denique motu et statu cernitur, idque positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto, — difficilibus ad eloquendum; sed satis erit intelligi; — in his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur iis, quibuscum apud quosque vivamus: his quoque de rebus pauca dicantur. Principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem: quae formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu; quae partes autem corporis ad naturae necessitatem datae adspectum essent deformem habiturae atque turpem, eas contexit atque abdidit. 127. Hanc naturae tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Quae enim natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, removent ab oculis, ipsique necessitati dant operam ut quam occultissime pareant; quarumque partium corporis usus sunt necessarii, eas neque partes neque earum usus suis nominibus appellant; quodque facere turpe non est, modo occulte, id dicere obscenum est. Itaque nec actio rerum illarum aperta petulantia vacat, nec orationis obscenitas. 128. Nec vero audiendi sunt Cynici aut si qui fuerunt Stoici paene Cynici, qui reprehendunt et irrident, quod ea, quae re turpia non sint, moribus ac verbis flagitiosa ducamus, illa autem, quae turpia sint, nominibus appellemus suis. Latrocinari, fraudare, adulterare re turpe est, sed dicitur non obscene: liberis dare operam re honestum est, nomine obscenum: pluraque in eam sententiam ab eisdem contra verecundiam disputantur. Nos autem naturam sequamur et ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus. 129. Status, incessus, sessio, accubitio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. Quibus in rebus duo maxime sunt fugienda: ne quid effeminatum aut molle et ne quid durum aut rusticum sit. Nec vero histrionibus oratoribusque concedendum est, ut iis haec apta sint, nobis dissoluta. Scenicorum quidem mos tantam habet vetere disciplina verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat ne-

mo. Verentur enim ne, si quo casu evenerit ut corporis partes quaedam aperiantur, adspiciantur non decore. Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lavantur. Retinenda igitur est huius generis verecundia, praesertim natura ipsa magistra et duce. XXXVI. 130. Quum autem pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas: venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. Ergo et a forma removeatur omnis viro non dignus ornatus, et huic simile vitium in gestu motuque caveatur. Nam et palaestrici motus sunt saepe odiosiores, et histrionum nonnulli gestus ineptiis non vacant, et in utroque genere, quae sunt recta et simplicia, laudantur. Formae autem dignitas coloris bonitate tuenda est, color exercitationibus corporis. Adhibenda praeterea munditia est, non odiosa neque exquisita nimis, tantum quae fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. Eadem ratio [est] habenda vestitus, in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est. 131. Cavendum autem est ne aut tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quae quum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam. Sed multo etiam magis elaborandum est ne animi motus a natura recedant: quod assequemur, si cavebimus ne in perturbationes atque exanimationes incidamus, et si attentos animos ad decoris conservationem tenebimus. 132. Motus autem animorum duplices sunt, alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in vero exquirendo maxime versatur; appetitus impellit ad agendum. Curandum est igitur ut cogitatione ad res quam optimas utamur, appetitum rationi obedientem praebeamus. XXXVII. Et quoniam magna vis orationis est, eaque duplex, altera contentionis, altera sermonis: contentio disceptationibus tribuatur iudiciorum, concionum, senatus; sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versetur, sequatur etiam convivia. Contentionis praecepta rhetorum sunt, nulla sermonis; quanquam haud scio, an possint haec quoque esse. Sed discentium studiis inveniuntur magistri, huic autem qui studeant sunt nulli; rhetorum turba referta omnia. Quanquam quae verborum sen-

tentiarumque praecepta sunt, eadem ad sermonem pertinebunt. 133. Sed quum orationis indicem vocem habeamus, in voce autem duo sequamur, ut clara sit, ut suavis: utrumque omnino a natura petendum est; verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentium et leniter. Nihil fuit in Catulis, ut eos exquisito iudicio putares uti literarum; (quanquam erant literati; sed etiam alii —;) hi autem optime uti lingua Latina putabantur. Sonus erat dulcis; literae neque expressae neque oppressae, ne aut obscurum esset aut putidum; sine contentione vox, nec languens nec canora. Uberior oratio L. Crassi, nec minus faceta; sed bene loquendi de Catulis opinio non minor. Sale vero et facetiis Caesar, Catuli patris frater, vicit omnes, ut in ipso illo forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone vinceret. In omnibus igitur his elaborandum est, si in omni re quid deceat exquirimus.

134. Sit ergo hic sermo, in quo Socratici maxime excellunt, lenis minimeque pertinax; insit in eo lepos. Nec vero, tanquam in possesionem suam venerit, excludat alios; sed quum reliquis in rebus tum in sermone communi vicissitudinem non iniquam putet, ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis, severitatem adhibeat; si iocosis, leporem. In primisque provideat ne sermo vitium aliquod indicet inesse in moribus, quod maxime tum solet evenire, quum studiose de absentibus detrahendi causa, aut per ridiculum aut severe, maledice contumelioseque dicitur. 135. Habentur autem plerumque sermones aut de domesticis negotiis aut de re publica aut de artium studiis atque doctrina. Danda igitur opera est ut, etiamsi aberrare ad alia coeperit, ad haec revocetur oratio; sed utcunque aderunt: neque enim omnes iisdem de rebus nec omni tempore nec similiter delectamur. Animadvertendum est etiam, quatenus sermo delectationem habeat; et ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus. XXXVIII. 136. Sed quomodo in omni vita rectissime praecipitur, ut perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios rationi non obtemperantes: sic eiusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ira exsistat, aut cupiditas aliqua aut pigritia aut ignavia aut tale aliquid appareat, maximeque curandum est ut eos, quibuscum sermonem conferemus, et vereri et diligere videamur. Obiurgationes etiam nonnunquam incidunt;

necessariae, in quibus utendum est fortasse et vocis contentione maiore et verborum gravitate acriore. Id agendum etiam, ut ea facere videamur irati. Sed ut ad urendum et secandum, sic et ad hoc genus castigandi raro invitique veniemus, nec unquam nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina. Sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest. 137. Magnam autem partem clementi castigatione licet uti, gravitate tamen adiuncta, ut et severitas adhibeatur et contumelia repellatur; atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est, ipsius id causa, qui obiurgetur, esse susceptum. Rectum est autem etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere. Quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt neque [ab] iis, qui adsunt, probari. Deforme est etiam de se ipsum praedicare, falsa praesertim, et cum irrisione audientium imitari *militem gloriosum.*

XXXIX. 138. Et quoniam omnia persequimur — volumus quidem certe: dicendum est etiam, qualem hominis honorati et principis d o m u m placeat esse: cuius finis est usus, ad quem accommodanda est aedificandi descriptio et tamen adhibenda commoditatis dignitatisque diligentia. Cn. Octavio, qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse accepimus, quod praeclaram aedificasset in Palatio et plenam dignitatis domum: quae quum vulgo viseretur, suffragata domino, novo homini, ad consulatum putabatur. Hanc Scaurus demolitus accessionem adiunxit aedibus. Itaque ille in suam domum consulatum primus attulit; hic, summi et clarissimi viri filius, in domum multiplicatam non repulsam solum retulit, sed ignominiam etiam et calamitatem. 139. Ornanda enim est dignitas domo, non ex domo tota quaerenda; nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. Et ut in ceteris habenda ratio non sua solum, sed etiam aliorum: sic in domo clari hominis, in quam et hospites multi recipiendi et admittenda hominum cuiusque modi multitudo, adhibenda cura est laxitatis. Aliter ampla domus dedecori domino saepe fit, si est in ea solitudo; et maxime, si aliquando alio domino solita est frequentari. Odiosum est enim, quum a praetereuntibus dicitur:

o domus antiqua, heu, quam dispari
Dominare domino!

quod quidem his temporibus in multis licet dicere. 140. Cavendum autem est, praesertim si ipse aedifices, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo est. Studiose enim plerique, praesertim in hanc partem, facta principum imitantur: ut L. Luculli, summi viri, virtutem quis? at quam multi villarum magnificentiam imitati [sunt]! Quarum quidem certe est adhibendus modus ad mediocritatemque revocandus. 141. Eademque mediocritas ad omnem usum cultumque vitae transferenda est. Sed haec hactenus.

In omni autem actione suscipienda tria sunt tenenda: primum ut appetitus rationi pareat, quo nihil est ad officia conservanda accommodatius; deinde ut animadvertatur, quanta illa res sit, quam efficere velimus, ut neve maior neve minor cura et opera suscipiatur quam causa postulet; tertium est, ut caveamus ut ea, quae pertinent ad liberalem speciem et dignitatem, moderata sint. Modus autem est optimus decus ipsum tenere, de quo ante diximus, nec progredi longius. Horum tamen trium praestantissimum est appetitum obtemperare rationi.

XL. 142. Deinceps de ordine rerum et opportunitate temporum dicendum est. Haec autem scientia continentur ea, quam Graeci *εὐταξίαν* nominant: non hanc, quam interpretamur modestiam (quo in verbo modus inest); sed illa est *εὐταξία*, in qua intelligitur ordinis conservatio. Itaque, ut eandem nos modestiam appellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit *scientia earum rerum, quae agentur aut dicentur, loco suo collocandarum.* Ita videtur eadem vis ordinis et collocationis fore. Nam et ordinem sic definiunt, *compositionem rerum aptis et accommodatis locis: locum* autem *actionis* opportunitatem temporis esse dicunt. *Tempus* autem *actionis opportunum* Graece *εὐκαιρία*, Latine appellatur occasio. Sic fit, ut modestia haec, quam ita interpretamur ut dixi, *scientia* sit *opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.* 143. Sed potest eadem esse prudentiae definitio, de qua principio diximus. Hoc autem loco de moderatione et temperantia et earum similibus virtutibus quaerimus. Itaque, quae erant

prudentiae propria, suo loco dicta sunt; quae autem harum virtutum, de quibus iam diu loquimur, quae pertinent ad verecundiam et ad eorum approbationem, quibuscum vivimus, nunc dicenda sunt. 144. Talis est igitur ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se et convenientia. Turpe est enim valdeque vitiosum in re severa convívi dicta aut delicatum aliquem inferre sermonem. Bene Pericles, quum haberet collegam in praetura Sophoclem [poëtam], hique de communi officio convenissent et casu formosus puer praeteriret dixissetque Sophocles „O puerum pulchrum, Pericle!“, „At enim praetorem, Sophocle, decet non solum manus sed etiam oculos abstinentes habere.“ Atque hoc idem Sophocles si in athletarum probatione dixisset: iusta reprehensione caruisset. Tanta vis est et loci et temporis. Ut si quis, quum causam sit acturus, in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur aut si quid aliud attentius cogitet: non reprehendatur; at hoc idem si in convivio faciat: inhumanus videatur inscitia temporis. 145. Sed ea, quae multum ab humanitate discrepant, ut si quis in foro cantet aut si qua est alia magna perversitas, facile apparent nec magno opere admonitionem et praecepta desiderant; quae autem parva videntur esse delicta neque a multis intelligi possunt, ab iis est diligentius declinandum. Ut in fidibus aut in tibiis, quamvis paullum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet: sic videndum est in vita, ne forte quid discrepet, — vel multo etiam magis, quo maior et melior actionum quam sonorum concentus est. XLI. 146. Itaque ut in fidibus musicorum aures vel minima sentiunt, sic nos, si acres ac diligentes esse volumus animadversores vitiorum, magna saepe intelligemus ex parvis. Ex oculorum obtutu, ex superciliorum aut remissione aut contractione, ex maestitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis et submissione, ex ceteris similibus facile iudicabimus quid eorum apte fiat, quid ab officio naturaque discrepet. Quo in genere non est incommodum, quale quidque eorum sit, ex aliis iudicare, ut si quid dedeceat in illis, vitemus ipsi. Fit enim, nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. Itaque facillime corriguntur in discendo, quorum vitia imitantur emen-

dandi causa magistri. 147. Nec vero alienum est ad ea eligenda, quae dubitationem afferunt, adhibere doctos homines vel etiam usu peritos et, quid iis de quoque offici genere placeat, exquirere. Maior enim pars eo fere deferri solet, quo a natura ipsa deducitur. In quibus videndum est non modo quid quisque loquatur, sed etiam quid quisque sentiat, atque etiam qua de causa [quisque] sentiat. Ut enim pictores et ii, qui signa fabricantur, et vero etiam poëtae suum quisque opus a vulgo considerari vult, ut, si quid reprehensum sit a pluribus, id corrigatur, iique et secum et cum aliis, quid in eo peccatum sit, exquirunt: sic aliorum iudicio permulta nobis et facienda et non facienda, et mutanda et corrigenda sunt. 148. Quae vero more agentur institutisque civilibus, de iis nihil est praecipiendum. Illa enim ipsa praecepta sunt, nec quemquam hoc errore duci oportet, ut, si quid Socrates aut Aristippus contra morem consuetudinemque civilem fecerint locutive sint, idem sibi arbitretur licere. Magnis illi et divinis bonis hanc licentiam assequebantur. Cynicorum vero ratio tota est eiicienda: est enim inimica verecundiae, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum. 149. Eos autem, quorum vita perspecta in rebus honestis atque magnis est, bene de re publica sentientes ac bene meritos aut merentes sic, ut aliquo honore aut imperio affectos, observare et colere debemus; tribuere etiam multum senectuti; cedere iis, qui magistratum habebunt; habere delectum civis et peregrini, in ipsoque peregrino, privatimne an publice venerit. Ad summam, ne agam de singulis, communem totius generis hominum conciliationem et consociationem colere, tueri, servare debemus.

XLII. 150. Iam de artificiis et quaestibus, qui liberales habendi, qui sordidi sint, haec fere accepimus. Primum improbantur ii quaestus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut feneratorum. Illiberales autem et sordidi quaestus mercenariorum omniumque, quorum operae, non quorum artes emuntur: est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus quod statim vendant. Nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Nec vero est quidquam turpius vanitate. Opificesque omnes in sordida arte versantur. Nec enim quidquam

ingenuum potest habere officinà. Minimeque artes hae probandae, quae ministrae sunt voluptatum,

Cetárii, lanií, coqui, fartóres, piscatóres,

ut ait Terentius. Adde huc, si placet, unguentarios, saltatores totumque ludum talarium. 151. Quibus autem artibus aut prudentia maior inest aut non mediocris utilitas quaeritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, eae sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestae. Mercatura autem si tenuis est; sordida putanda est; sin magna et copiosa, multa undique apportans multisque sine vanitate impertiens: non est admodum vituperanda. Atque etiam si satiata quaestu vel contenta potius, ut saepe, ex alto in portum, ex ipso portu se in agros possessionesque contulit: videtur iure optimo posse laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. De qua quoniam in *Catone maiore* satis multa diximus, illinc assumes quae ad hunc locum pertinebunt.

XLIII. 152. Sed ab iis partibus, quae sunt honestatis, quemadmodum officia ducerentur, satis expositum videtur. Eorum autem ipsorum, quae honesta sunt, potest incidere saepe contentio [et comparatio], de duobus honestis utrum honestius. Qui locus a Panaetio est praetermissus. Nam quum omnis honestas manet a partibus quatuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hae in deligendo officio saepe inter se comparentur necesse est.

153. Placet igitur aptiora esse naturae ea officia quae ex communitate, quam eá quae ex cognitione ducantur. Idque hoc argumento confirmari potest. Quod si contigerit ea vita sapienti, ut [in] omnium rerum affluentibus copiis omnia, quae cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret et contempletur; tamen, solitudo si tanta sit ut hominem videre non possit, excedat e vita. Princepsque omnium virtutum illa sapientia, quam σοφίαν Graeci vocant: — prudentiam enim, quam Graeci φρόνησιν dicunt, aliam quandam intelligimus, quae est *rerum expetendarum fugiendarumque scientia*. Illa autem sapientia, quam principem dixi, *rerum* est *divinarum atque*

humanarum scientia, in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter ipsos. Ea si maxima est, ut est: necesse est, quod a communitate ducatur officium, id esse maximum. Etenim cognitio contemplatioque naturae manca quodam modo atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur. Ea autem actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur. 154. Pertinet igitur ad societatem generis humani. Ergo haec cognitioni anteponenda est. Atque id optimus quisque re ipsa ostendit et iudicat. Quis enim est tam cupidus in perspicienda cognoscendaque rerum natura, ut, si ei tractanti contemplantique res cognitione dignissimas subito sit allatum periculum discrimenque patriae, cui subvenire opitularique possit, non illa omnia relinquat atque abiiciat, etiamsi dinumerare se stellas aut metiri mundi magnitudinem posse arbitretur? Atque hoc idem in parentis, in amici re aut periculo fecerit. 155. Quibus rebus intelligitur studiis officiisque scientiae praeponenda esse officia iustitiae, quae pertinent ad hominum caritatem, qua nihil homini esse debet antiquius. XLIV. Atque illi, quorum studia vitaque omnis in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis hominum utilitatibus et commodis non recesserunt. Nam et erudiverunt multos, quo meliores cives utilioresque rebus suis publicis essent: ut Thebanum Epaminondam Lysis Pythagoreus, Syracusium Dionem Plato, multique multos; nosque ipsi, quidquid ad rem publicam attulimus, (si modo aliquid attulimus,) a doctoribus atque a doctrina instructi ad eam et ornati accessimus. 156. Neque solum vivi atque praesentes studiosos discendi erudiunt atque docent; sed hoc idem etiam post mortem monumentis literarum assequuntur. Neque enim locus ullus praetermissus [est] ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam rei publicae pertineret: ut otium suum ad nostrum negotium contulisse videantur. Ita illi ipsi doctrinae studiis et sapientiae dediti ad hominum utilitatem suam intelligentiam prudentiamque potissimum conferunt; ob eamque causam eloqui copiose, modo prudenter, melius est quam vel acutissime sine eloquentia cogitare, quod cogitatio in se ipsa vertitur, eloquentia complectitur eos quibuscum communitate iuncti sumus. 157. Atque ut apum examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed, quum congregabilia natura sint, fingunt

favos: sic homines, ac multo etiam magis, natura congregati adhibent agendi cogitandique sollertiam. Itaque nisi ea virtus, quae constat ex hominibus tuendis, id est, ex societate generis humani, attingat cognitionem rerum, solivaga cognitio et ieiuna videatur; itemque magnitudo animi, remota communitate coniunctioneque humana, feritas sit quaedam et immanitas. Ita fit ut vincat cognitionis studium consociatio hominum atque communitas. 158. Nec verum est quod dicitur a quibusdam, propter necessitatem vitae, quod ea, quae natura desideraret, consequi sine aliis atque efficere non possemus, idcirco initam esse cum hominibus communitatem et societatem. Quodsi omnia nobis, quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut aiunt, suppeditarentur: tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione et scientia collocaret. Non est ita. Nam et solitudinem fugeret et socium studii quaereret; tum docere tum discere vellet, tum audire tum dicere. Ergo omne officium, quod ad coniunctionem hominum et ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio, quod cognitione et scientia continetur.

XLV. 159. Illud forsitan quaerendum sit, num haec communitas, quae maxime est apta naturae, sit etiam moderationi modestiaeque semper anteponenda. Non placet. Sunt enim quaedam partim ita foeda partim ita flagitiosa, ut ea ne conservandae quidem patriae causa sapiens facturus sit. Ea Posidonius collegit permulta; sed ita taetra quaedam, ita obscena, ut dictu quoque videantur turpia. Haec igitur non suscipiet rei publicae causa; nec res publica quidem pro se suscipi volet. Sed hoc commodius se res habet, quod non potest accidere tempus, ut intersit rei publicae quidquam illorum facere sapientem.

160. Quare hoc quidem effectum sit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum societate. Etenim cognitionem prudentiamque sequetur considerata actio. Ita fit ut agere considerate pluris sit quam cogitare prudenter. Atque haec quidem hactenus. Patefactus enim locus est ipse, ut non difficile sit in exquirendo officio, quid cuique sit praeponendum, videre. In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus quid cuique praestet intelligi possit: ut pri-

ma diis immortalibus, secunda patriae, tertia parentibus, deinceps gradatim reliquis debeantur.

161. Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, non solum id homines solere dubitare, honestumne an turpe sit; sed etiam duobus propositis honestis, utrum honestius. Hic locus a Panaetio est, ut supra dixi, praetermissus. Sed iam ad reliqua pergamus.

M. TULLI CICERONIS
DE OFFICIIS
AD MARCUM FILIUM
LIBER SECUNDUS.

I. 1. Quemadmodum officia ducerentur ab honestate, Marce fili, atque ab omni genere virtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. Sequitur ut haec officiorum genera persequar, quae pertinent ad vitae cultum et ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultatem, ad opes, ad copias: [in quo tum quaeri dixi, quid utile, quid inutile; tum ex utilibus quid utilius aut quid maxime utile]. De quibus dicere aggrediar, si pauca prius de instituto ac de iudicio meo dixero.

2. Quanquam enim libri nostri complures non modo ad legendi sed etiam ad scribendi studium excitaverunt: tamen interdum vereor ne quibusdam bonis viris philosophiae nomen sit invisum, mirenturque in ea tantum me operae et temporis ponere. Ego autem, quamdiu res publica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam; quum autem dominatu unius omnia tenerentur neque esset usquam consilio aut auctoritati locus, socios denique tuendae rei publicae, summos viros, amisissem: nec me angoribus dedidi, quibus essem confectus nisi iis restitissem, nec

rursum indignis homine docto voluptatibus. 3. Atque utinam res publica stetisset quo coeperat statu, nec in homines non tam commutandarum quam evertendarum rerum cupidos incidisset! Primum enim, ut stante re publica facere solebamus, in agendo plus quam in scribendo operae poneremus; deinde ipsis scriptis non ea, quae nunc, sed actiones nostras mandaremus, ut saepe fecimus. Quum autem res publica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino: illae scilicet literae conticuerunt forenses et senatoriae. 4. Nihil agere autem quum animus non posset: in his studiis ab initio versatus aetatis, existimavi honestissime [molestias] posse deponi, si me ad philosophiam retulissem. Cui quum multum adolescens discendi causa temporis tribuissem: posteaquam honoribus inservire coepi meque totum rei publicae tradidi, tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et rei publicae temporibus. Id autem omne consumebatur in legendo; scribendi otium non erat. II. 5. Maximis igitur in malis hoc tamen boni assecuti videmur, ut ea literis mandaremus, quae nec erant satis nota nostris et erant cognitione dignissima. Quid enim est, per deos, optabilius sapientia? quid praestantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, philosophi nominantur; nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, praeter *studium sapientiae*. Sapientia autem est, ut a veteribus philosophis definitum est, *rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus eae res continentur, scientia.* Cuius studium qui vituperat, haud sane intelligo, quidnam sit quod laudandum putet. 6. Nam sive oblectatio quaeritur animi requiesque curarum: quae conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt quod spectet et valeat ad bene beateque vivendum? sive ratio constantiae virtutisque ducitur: aut haec ars est aut nulla omnino, per quam eas assequamur. Nullam dicere maximarum rerum artem esse, quum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium atque in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina virtutis: ubi ea quaeretur, quum ab hoc discendi genere discesseris? Sed haec, quum ad philosophiam cohortamur, accuratius disputari solent: quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbati

rei publicae muneribus ad hoc nos studium potissimum contulissemus.

7. Occurritur autem nobis, et quidem a doctis et eruditis quaerentibus, satisne constanter facere videamur, qui, quum percipi nihil posse dicamus, tamen et aliis de rebus disserere soleamus et hoc ipso tempore praecepta offici persequamur. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam quid sequatur. Quae enim esset ista mens vel quae vita potius, non modo disputandi sed etiam vivendi ratione sublata? Nos autem, ut ceteri alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab his dissentientes alia probabilia, contra alia esse dicimus. 8. Quid est igitur quod me impediat ea, quae probabilia mihi videantur, sequi, quae contra, improbare, atque affirmandi arrogantiam vitantem fugere temeritatem, quae a sapientia dissidet plurimum? Contra autem omnia disputatur a nostris, quod hoc ipsum probabile elucere non possit, nisi ex utraque parte causarum esset facta contentio. Sed haec explanata sunt in *Academicis* nostris satis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quanquam in antiquissima nobilissimaque philosophia, Cratippo auctore, versaris, iis simillimo, qui ista praeclara pepererunt; tamen haec nostra, finitima vestris, ignota esse nolui. Sed iam ad instituta pergamus.

III. 9. Quinque igitur rationibus propositis offici persequendi, quarum duae ad decus honestatemque pertinerent, duae ad commoda vitae, copias, opes, facultates, quinta ad eligendi iudicium, si quando ea quae dixi pugnare inter se viderentur: honestatis pars confecta est, quam quidem tibi cupio esse notissimam. Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appellatur. In quo verbo lapsa consuetudo deflexit de via sensimque eo deducta est, ut honestatem ab utilitate secernens constitueret, esse honestum aliquid quod utile non esset, et utile quod non honestum; qua nulla pernicies maior hominum vitae potuit afferri. 10. Summa quidem auctoritate philosophi, severe sane atque honeste, haec tria, genere confusa, cogitatione distinguunt. Quidquid enim iustum sit, id etiam utile esse censent; itemque quod honestum, idem iustum. Ex quo

efficitur ut, quidquid honestum sit, idem sit utile. Quod qui parum perspiciunt, ii saepe, versutos homines et callidos admirantes, malitiam sapientiam iudicant. Quorum error eripiendus est opinioque omnis ad eam spem traducenda, ut honestis consiliis iustisque factis, non fraude et malitia se intelligant ea quae velint consequi posse.

11. Quae ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea quae gignuntur e terra, ut alia generis eiusdem, partim animalia, quae habent suos impetus et rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia sunt, alia ratione utentia. Expertes rationis equi, boves, reliquae pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum usum atque vitam. Ratione autem utentium duo genera ponunt, deorum unum, alterum hominum. Deos placatos pietas efficiet et sanctitas; proxime autem [et] secundum deos homines hominibus maxime utiles esse possunt. 12. Earumque item rerum, quae noceant et obsint, eadem divisio est. Sed quia deos nocere non putant, his exceptis homines hominibus obesse plurimum arbitrantur.

Ea enim ipsa, quae inanima diximus, pleraque sunt hominum operis effecta, quae nec haberemus nisi manus et ars accessisset, nec eis sine hominum administratione uteremur. Neque enim valitudinis curatio nec navigatio nec agricultura neque frugum fructuumque reliquorum perceptio et conservatio sine hominum opera ulla esse potuisset. 13. Iam vero et earum rerum, quibus abundaremus, exportatio et earum, quibus egeremus, invectio certe nulla esset, nisi iis muneribus homines fungerentur. Eademque ratione nec lapides ex terra exciderentur ad usum nostrum necessarii, nec

ferrum, aes, argentum, aurum effoderetur *penitus abditum*

sine hominum labore et manu. IV. Tecta vero, quibus et frigorum vis pelleretur et calorum molestiae sedarentur, unde aut initio generi humano dari potuissent aut postea subveniri, si aut vi tempestatis aut terrae motu aut vetustate cecidissent, nisi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didicisset? 14. Adde ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppositas fluctibus, portus manu

factos: quae unde sine hominum opere habere possemus? Ex quibus multisque aliis perspicuum est, qui fructus quaeque utilitates ex rebus iis, quae sunt inanimae, percipiantur, eas nos nullo modo sine hominum manu atque opera capere potuisse. Qui denique ex bestiis fructus aut quae commoditas, nisi homines adiuvarent, percipi posset? Nam et qui principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque belua usum habere possemus, homines certe fuerunt; nec hoc tempore sine hominum opera aut pascere eas aut domare aut tueri aut tempestivos fructus ex iis capere possemus; ab eisdemque et eae quae nocent interficiuntur, et quae usui possunt esse capiuntur. 15. Quid enumerem artium multitudinem, sine quibus vita omnino nulla esse potuisset? Quid enim aegris subveniret, quae esset oblectatio valentium, qui victus aut cultus, nisi tam multae nobis artes ministrarent? Quibus rebus exculta hominum vita tantum distat a victu et cultu bestiarum. Urbes vero sine hominum coetu non potuissent nec aedificari nec frequentari: ex quo leges moresque constituti, tum iuris aequa descriptio certaque vivendi disciplina: quas res et mansuetudo animorum consecuta et verecundia est, effectumque ut esset vita munitior, atque ut dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et commodandis nulla re egeremus. V. 16. Longiores hoc loco sumus quam necesse est. Quis est enim cui non perspicua sint illa, quae pluribus verbis a Panaetio commemorantur, neminem neque ducem belli nec principem domi magnas res et salutares sine hominum studiis gerere potuisse? Commemoratur ab eo Themistocles, Pericles, Cyrus, Agesilaus, Alexander, quos negat sine adiumentis hominum tantas res efficere potuisse. Utitur in re non dubia testibus non necessariis. Atque ut magnas utilitates adipiscimur conspiratione hominum atque consensu: sic nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur. Est Dicaearchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni et copiosi, qui collectis ceteris causis, eluvionis, pestilentiae, vastitatis, beluarum etiam repentinae multitudinis, quarum impetu docet quaedam hominum genera esse consumpta, deinde comparat quanto plures deleti sint homines hominum impetu, id est, bellis aut seditionibus, quam omni reliqua calamitate.

17. Quum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quia

homines plurimum hominibus et prosint et obsint: proprium hoc statuo esse virtutis, conciliare animos hominum et ad usus suos adiungere. Itaque quae in rebus inanimis quaeque in usu et tractatione beluarum fiunt utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operosis; hominum autem studia ad amplificationem nostrarum rerum promta ac parata virorum praestantium sapientia et virtute excitantur. 18. Etenim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur, quarum una est in perspiciendo quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei causa sit; alterum, cohibere motus animi turbatos, quos Graeci πάθη nominant, appetitionesque, quas illi ὁρμάς, obedientes efficere rationi; tertium, iis, quibuscum congregamur, uti moderate et scienter, quorum studiis ea, quae natura desiderat, expleta cumulataque habeamus, per eosdemque, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantaque poena afficiamus, quantam aequitas humanitasque patitur.

VI. 19. Quibus autem rationibus hanc facultatem assequi possimus, ut hominum studia complectamur eaque teneamus, dicemus, neque ita multo post: sed pauca ante dicenda sunt. Magnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res vel adversas, quis ignorat? Nam et quum prospero flatu eius utimur, ad exitus pervehimur optatos, et quum reflavit, affligimur. Haec igitur ipsa fortuna ceteros casus rariores habet, primum ab inanimis procellas, tempestates, naufragia, ruinas, incendia; deinde a bestiis ictus, morsus, impetus. Haec ergo, ut dixi, rariora. 20. At vero interitus exercituum, ut proxime trium, saepe multorum; clades imperatorum, ut nuper summi et singularis viri; invidiae praeterea multitudinis atque ob eas bene meritorum saepe civium expulsiones, calamitates, fugae; rursusque secundae res, honores, imperia, victoriae, quanquam fortuita sunt, tamen sine hominum opibus et studiis neutram in partem effici possunt. Hoc igitur cognito dicendum est, quonam modo hominum studia ad utilitates nostras allicere atque excitare pos-

simus. Quae si longior fuerit oratio: cum magnitudine utilitatis comparetur; ita fortasse etiam brevior videbitur.

21. Quaecunque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum, aut benevolentiae gratia faciunt, quum aliqua de causa quempiam diligunt, aut honoris, si cuius virtutem suspiciunt quemque dignum fortuna quam amplissima putant, aut cui fidem habent et bene rebus suis consulere arbitrantur, aut cuius opes metuunt; aut contra, a quibus aliquid expectant, ut quum reges popularesve homines largitiones aliquas proponunt; aut postremo pretio ac mercede ducuntur: quae sordidissima est illa quidem ratio et inquinatissima et his, qui ea tenentur, et illis, qui ad eam confugere conantur. 22. Male enim se res habet, quum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Sed quoniam nonnunquam hoc subsidium necessarium est: quemadmodum sit utendum eo, dicemus, si prius iis de rebus, quae virtuti propiores sunt, dixerimus. Atque etiam subiiciunt se homines imperio alterius et potestati de causis pluribus. Ducuntur enim aut benevolentia aut beneficiorum magnitudine aut dignitatis praestantia aut spe, sibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut spe largitionis promissisque capti, aut postremo, ut saepe in nostra re publica videmus, mercede conducti. VII. 23. Omnium autem rerum nec aptius est quidquam ad opes tuendas ac tenendas quam diligi, nec alienius quam timeri. Praeclare enim Ennius:

Quém metuunt, odére; quem quisque ódit, periisse éxpetit.

Multorum autem odiis nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. Nec vero huius tyranni solum, quem armis oppressa pertulit civitas paretque quum maxime mortuo, interitus declarat, quantum odium hominum valet ad pestem; sed reliquorum similes exitus tyrannorum, quorum haud fere quisquam interitum [talem] effugit. Malus enim est custos diuturnitatis metus; contraque benevolentia fidelis vel ad perpetuitatem. 24. Sed iis, qui vi oppressos imperio coërcent, sit sane adhibenda saevitia, ut heris in famulos, si aliter teneri non possunt; qui vero in libera civitate ita se instruunt, ut metuantur, iis nihil potest esse dementius. Quamvis enim sint demersae leges alicuius opibus, quamvis timefacta libertas: emergunt

tamen haec aliquando aut iudiciis tacitis aut occultis de honore suffragiis. Acriores autem morsus sunt intermissae libertatis quam retentae. Quod igitur latissime patet, neque ad incolumitatem solum sed etiam ad opes et potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus absit, caritas retineatur. Ita facillime, quae volemus, et privatis in rebus et in re publica consequemur. Etenim qui se metui volent, a quibus metuentur, eosdem metuant ipsi necesse est. 25. Quid enim censemus superiorem illum Dionysium quo cruciatu timoris angi solitum, qui cultros metuens tonsorios candente carbone sibi adurebat capillum? Quid Alexandrum Pheraeum quo animo vixisse arbitramur, qui, ut scriptum legimus, quum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens barbarum et eum quidem, ut scriptum est, compunctum notis Thraciis destricto gladio iubebat anteire, praemittebatque de stipatoribus suis qui scrutarentur arculas muliebres et, ne quod in vestimentis telum occultaretur, exquirerent? O miserum, qui fideliorem et barbarum et stigmatiam putaret quam coniugem! Nec eum fefellit. Ab ea est enim ipsa propter pellicatus suspicionem interfectus. Nec vero ulla vis impéri tanta est, quae premente metu possit esse diuturna. 26. Testis est Phalaris, cuius est praeter ceteros nobilitata crudelitas: qui non ex insidiis interiit, ut is quem modo dixi Alexander, non a paucis, ut hic noster; sed in quem universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid, Macedones nonne Demetrium reliquerunt universique se ad Pyrrhum contulerunt? Quid, Lacedaemonios iniuste imperantes nonne repente omnes fere socii deseruerunt spectatoresque se otiosos praebuerunt Leuctricae calamitatis? VIII. Externa libentius in tali re quam domestica recordor. Verumtamen quamdiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur, non iniuriis: bella aut pro sociis aut de imperio gerebantur, exitus erant bellorum aut mites aut necessarii, regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus; 27. nostri autem magistratus imperatoresque ex hac una re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios aequitate et fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terrae verius quam imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem et disciplinam iam antea minuebamus, post vero Sullae victoriam penitus

amisimus: desitum est enim videri quidquam in socios iniquum, quum exstitisset in cives tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est honestam causam non honesta victoria. Est enim ausus dicere, hasta posita quum bona in foro venderet et bonorum virorum et locupletium et certe civium, *praedam se suam vendere.* Secutus est qui in causa impia, victoria etiam foediore non singulorum civium bona publicaret, sed universas provincias regionesque uno calamitatis iure comprehenderet. 28. Itaque, vexatis ac perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperi portari in triumpho Massiliam vidimus et ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam nostri imperatores ex Transalpinis bellis triumpharunt. Multa praeterea commemorarem nefaria in socios, si hoc uno quidquam sol vidisset indignius. Iure igitur plectimur. Nisi enim multorum impunita scelera tulissemus: nunquam ad unum tanta pervenisset licentia, a quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos [improbos] venit hereditas. 29. Nec vero unquam bellorum civilium semen et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint et sperabunt, quam P. Sulla quum vibrasset dictatore propinquo suo, idem sexto tricesimo anno post a sceleratiore hasta non recessit; alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quaestor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus praemiis propositis nunquam defutura bella civilia. Itaque parietes modo urbis stant et manent, iique ipsi iam extrema scelera metuentes; rem vero publicam penitus amisimus. Atque in has clades incidimus (redeundum est enim ad propositum), dum metui quam cari esse et diligi maluimus. Quae si populo Romano iniuste imperanti accidere potuerunt: quid debent putare singuli? Quod quum perspicuum sit, benevolentiae vim esse magnam, metus imbecillam: sequitur ut disseramus, quibus rebus facillime possimus eam, quam volumus, adipisci cum honore et fide caritatem. 30. Sed ea non pariter omnes egemus: nam ad cuiusque vitam institutam accommodandum est, a multisne opus sit an satis sit a paucis diligi. Certum igitur hoc sit, idque et primum et maxime necessarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum et nostra mirantium. Haec enim est una res prorsus, ut non multum differat inter summos et mediocres viros, eaque utrisque est propemodum comparanda.

31. Honore et gloria et benevolentia civium fortasse non aeque omnes egent; sed tamen si cui haec suppetunt, adiuvant aliquantum quum ad cetera tum ad amicitias comparandas.

IX. Sed de amicitia alio libro dictum est, qui inscribitur *Laelius*. Nunc dicamus de gloria, quanquam ea quoque de re duo sunt nostri libri; — sed attingamus, quandoquidem ea in rebus maioribus administrandis adiuvat plurimum. Summa igitur et perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo; si fidem habet; si cum admiratione quadam honore dignos putat. Haec autem, si est simpliciter breviterque dicendum, quibus rebus pariuntur a singulis, eisdem fere a multitudine. Sed est alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tanquam influere possimus.

32. Ac primum de illis tribus, quae ante dixi, benevolentiae praecepta videamus: quae quidem capitur beneficiis maxime, secundo autem loco voluntate benefica benevolentia movetur, etiamsi res forte non suppetit. Vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione liberalitatis, beneficentiae, iustitiae, fidei omniumque earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem. Etenim illud ipsum, quod honestum decorumque dicimus, quia per se nobis placet animosque omnium natura et specie sua commovet maximeque quasi perlucet ex iis, quas commemoravi, virtutibus: idcirco illos, in quibus eas virtutes esse remur, a natura ipsa diligere cogimur. Atque hae quidem causae diligendi gravissimae: possunt enim praeterea nonnullae esse leviores.

33. Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti coniunctam cum iustitia prudentiam. Nam et iis fidem habemus, quos plus intelligere quam nos arbitramur, quosque et futura prospicere credimus et, quum res agatur in discrimenque ventum sit, expedire rem et consilium ex tempore capere posse. Hanc enim utilem omnes existimant veramque prudentiam. Iustis autem et fidis hominibus, id est, bonis viris, ita fides habetur, ut nulla sit in iis fraudis iniuriaeque suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur. 34. Harum igitur duarum ad fidem faciendam iustitia plus pollet; quippe quum ea

sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine iustitia nihil valeat ad faciendam fidem. Quo enim quis versutior et callidior, hoc invisior et suspectior, detracta opinione probitatis. Quam ob rem intelligentiae iustitia coniuncta, quantum volet, habebit ad faciendam fidem virium; iustitia sine prudentia multum poterit; sine iustitia nihil valebit prudentia. X. 35. Sed ne quis sit admiratus, cur, quum inter omnes philosophos constet a meque ipso saepe disputatum sit, qui unam haberet, omnes habere virtutes, nunc ita seiungam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, iustus esse: alia est illa, quum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas, alia, quum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quam ob rem, ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios viros bonos, alios prudentes dicamus. Popularibus enim verbis est agendum et usitatis, quum loquimur de opinione populari, idque eodem modo fecit Panaetius. Sed ad propositum revertamur.

36. Erat igitur ex tribus, quae ad gloriam pertinent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum honore ab iis digni iudicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quae magna praeter opinionem suam animadverterunt; separatim autem in singulis, si perspiciunt necopinata quaedam bona. Itaque eos viros suspiciunt maximisque efferunt laudibus, in quibus existimant se excellentes quasdam et singulares perspicere virtutes; despiciunt autem eos et contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. Non enim omnes eos contemnunt, de quibus male existimant. Nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant et ad faciendam iniuriam instructos, eos haud contemnunt quidem: neutiquam; sed de iis male existimant. Quam ob rem, ut ante dixi, contemnuntur ii, qui *nec sibi nec alteri* —, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est. 37. Admiratione autem afficiuntur ii, qui anteire ceteris virtute putantur et quum omni carere dedecore tum vero iis vitiis, quibus alii non facile possunt obsistere. Nam et voluptates, blandissimae dominae, maioris partis animos a virtute detorquent, et dolorum quum admoventur faces, praeter modum plerique exterrentur: vita, mors, divitiae, paupertas omnes

homines vehementissime permovent. Quae qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt, quumque aliqua iis ampla et honesta res obiecta est, totos ad se convertit et rapit: tum quis non admiretur splendorem puchritudinemque virtutis? XI. 38. Ergo et haec animi despicientia admirabilitatem magnam facit, et maxime iustitia, ex qua una virtute viri boni appellantur, mirifica quaedam res multitudini videtur: nec iniuria. Nemo enim iustus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exsilium, qui egestatem timet aut qui ea, quae sunt his contraria, aequitati anteponit. Maximeque admirantur eum, qui pecunia non movetur: quod in quo viro perspectum sit, hunc igni spectatum arbitrantur. Itaque illa tria, quae proposita sunt ad gloriam, omnia iustitia conficit: et benevolentiam, quod prodesse vult plurimis, et ob eandem causam fidem, et admirationem, quod eas res spernit et negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.

39. Ac mea quidem sententia omnis ratio atque institutio vitae adiumenta hominum desiderat, in primisque, ut habeat quibuscum possit familiares conferre sermones: quod est difficile, nisi speciem prae te boni viri feras. Ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti opinio iustitiae necessaria est, eoque etiam magis, quod, eam si non habebunt, iniusti habebuntur: nullis praesidiis septi multis afficientur iniuriis. 40. Atque iis etiam, qui vendunt emunt, conducunt locant, contrahendisque negotiis implicantur, iustitia ad rem gerendam necessaria est. Cuius tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine ulla particula iusitiae vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum; ille autem, qui archipirata dicitur, nisi aequabiliter praedam dispertiat, aut interficiatur a sociis aut relinquatur. Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. Itaque propter aequabilem praedae partitionem et Bardylis, Illyricus latro, de quo est apud Theopompum, magnas opes habuit et multo maiores Viriathus Lusitanus: cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt, quem C. Laelius, is, qui Sapiens usurpatur, praetor fregit et comminuit ferocitatemque eius ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet. Quum igitur tanta

vis iustitiae sit, ut ea etiam latronum opes firmet atque augeat: quantam eius vim inter leges et iudicia in constituta re publica fore putamus? XII. 41. Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud maiores nostros iustitiae fruendae causa videntur olim bene morati reges constituti. Nam quum premeretur initio multitudo ab iis, qui maiores opes habebant: ad unum aliquem confugiebant, virtute praestantem, qui, quum prohiberet iniuria tenuiores, aequitate constituenda summos cum infimis pari iure retinebat. Eademque constituendarum legum fuit causa, quae regum. 42. Ius enim semper est quaesitum aequabile: neque enim aliter esset ius. Id si ab uno iusto et bono viro consequebantur: erant eo contenti; quum id minus contingeret: leges sunt inventae, quae cum omnibus semper una atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset opinio multitudinis. Adiuncto vero, ut iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat quod homines iis auctoribus non posse consequi se arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda et retinenda iustitia est, quum ipsa propter sese (nam aliter iustitia non esset) tum propter amplificationem honoris et gloriae. Sed ut pecuniae non quaerendae solum ratio est, verum etiam collocandae, quae perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios sed etiam liberales: sic gloria et quaerenda et collocanda ratione est. 43. Quanquam praeclare Socrates *hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam* dicebat *esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset.* Quod si qui simulatione et inani ostentatione et ficto non modo sermone sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur: vehementer errant. Vera gloria radice sagit atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Testes sunt permulti in utramque partem; sed brevitatis causa familia contenti erimus una. Ti. enim Gracchus, P. f., tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit; at eius filii nec vivi probabantur a bonis et mortui numerum obtinent iure caesorum. XIII. Qui igitur adipisci veram gloriam volet, iustitiae fungatur officiis. Ea quae essent, dictum est in libro superiore.

44. Sed, ut facillime, quales simus, tales esse

'ideamur, etsi in eo ipso vis maxima est, ut simus ii qui haberi 'elimus, tamen quaedam praecepta danda sunt. Nam si quis ıb ineunte aetate habet causam celebritatis et nominis aut a pare acceptam (quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse) aut aliuo casu atque fortuna: in hunc oculi omnium coniiciuntur, atue in eum, quid agat, quemadmodum vivat, inquiritur et, anquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest iec dictum eius esse nec factum. 45. Quorum autem prima ıetas propter humilitatem et obscuritatem in hominum ignoraione versatur, ii simul ac iuvenes esse coeperunt, magna spetare et ad ea rectis studiis debent contendere: quod eō firmiore ınimo facient, quia non modo non invidetur illi aetati verum tiam favetur.

Prima est igitur adolescenti commendatio ad gloriam, si ua ex bellicis rebus comparari potest; in qua multi apud naiores nostros exstiterunt: semper enim fere bella gerebantur. Tua autem aetas incidit in id bellum, cuius altera pars sceleris ıimium habuit, altera felicitatis parum. Quo tamen in bello uum te Pompeius alae alteri praefecisset: magnam laudem et a ummo viro et ab exercitu consequebare equitando, iaculando, omni nilitari labore tolerando. Atque ea quidem tua laus pariter um re publica cecidit. Mihi autem haec oratio suscepta non de e est, sed de genere toto. Quam ob rem pergamus ad ea uae restant.

46. Ut igitur in reliquis rebus multo maiora sunt opera ınimi quam corporis: sic eae res, quas ingenio ac ratione ersequimur, gratiores sunt quam illae, quas viribus. Prima gitur commendatio proficiscitur a modestia cum pietate in arentes, in suos benevolentia. Facillime autem et n optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad laros et sapientes viros, bene consulentes rei ublicae, contulerunt; quibuscum si frequentes sunt, pinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ipsi lelegerint ad imitandum. 47. P. Rutili adolescentiam ad opiionem et innocentiae et iuris scientiae — P. Muci commenda'it domus. Nam L. quidem Crassus, quum esset admodum ıdolescens, non aliunde mutuatus est; sed sibi ipse peperit naximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa, — et

qua aetate, qui exercentur, laude affici solent, (ut de Demosthene accepimus,) ea aetate L. Crassus ostendit, id se in foro optime iam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari. XIV. 48. Sed quum duplex ratio sit orationis, quarum in altera sermo sit, in altera contentio: non est id quidem dubium quin contentio orationis maiorem vim habeat ad gloriam; — (ea est enim, quam eloquentiam dicimus;) — sed tamen difficile dictu est quanto opere conciliet animos comitas affabilitasque sermonis. Exstant epistolae et Philippi ad Alexandrum et Antipatri ad Cassandrum et Antigoni ad Philippum filium, trium prudentissimorum, (sic enim accepimus,) quibus praecipiunt *ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant militesque blande appellando deleniant.*

Quae autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea saepe universam excitat. Magna est enim admiratio copiose sapienterque dicentis, quem qui audiunt, intelligere etiam et sapere plus quam ceteros arbitrantur. Si vero inest in oratione mixta modestiae gravitas: nihil admirabilius fieri potest, eoque magis, si ea sunt in adolescente. 49. Sed, quum sint plura causarum genera, quae eloquentiam desiderent, multique in nostra re publica adolescentes et apud iudices et apud senatum dicendo laudem assecuti sint: maxima est admiratio in iudiciis, quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione et defensione constat; quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est. Dixi paullo ante de Crasso. Idem fecit adolescens M. Antonius. Etiam P. Sulpíci eloquentiam accusatio illustravit, quum seditiosum et inutilem civem, C. Norbanum, in iudicium vocavit. 50. Sed hoc quidem non est saepe faciendum, nec unquam nisi aut rei publicae causa, ut ii quos ante dixi, aut ulciscendi, ut duo Luculli, aut patrocini, ut nos pro Siculis, pro Sardis in Albucio Iulius. In accusando etiam M'. Aquillio L. Fúfi cognita industria est. Semel igitur aut non saepe certe. Sin erit cui faciendum sit saepius: rei publicae tribuat hoc muneris, cuius inimicos ulcisci saepius non est reprehendendum. Modus tamen adsit. Duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur periculum capitis inferre multis. Id quum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam com-

mittere, ut accusator nominere: quod contigit M. Bruto, summo genere nato, illius filio, qui iuris civilis in primis peritus fuit. 51. Atque etiam hoc praeceptum offici diligenter tenendum est, ne quem unquam innocentem iudicio capitis arcessas: id enim sine scelere fieri nullo pacto potest. Nam quid est tam inhumanum, quam eloquentiam a natura ad salutem hominum et ad conservationem datam ad bonorum pestem perniciemque convertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum est, item est habendum religioni nocentem aliquando, modo ne nefarium impiumque, defendere. Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis est semper in causis verum sequi; patroni nonnunquam veri simile, etiam si minus sit verum, defendere: quod scribere, praesertim quum de philosophia scriberem, non auderem, nisi idem placeret gravissimo Stoicorum, Panaetio. Maxime autem et gloria paritur et gratia defensionibus, eoque maior, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicuius opibus circumveniri urgerique videatur: ut nos et saepe alias et adolescentes contra L. Sullae dominantis opes pro S. Roscio Amerino fecimus; quae, ut scis, exstat oratio.

XV. 52. Sed expositis adolescentium officiis, quae valeant ad gloriam adipiscendam, deinceps de beneficentia ac de liberalitate dicendum est. Cuius est ratio duplex. Nam aut opera benigne fit indigentibus aut pecunia. Facilior est haec posterior, locupleti praesertim; sed illa lautior ac splendidior et viro forti claroque dignior. Quanquam enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas; tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur, largitioque, quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur, qua quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis. 53. At qui opera, id est virtute et industria, benefici et liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adiutores habebunt; dein consuetudine beneficentiae paratiores erunt et tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Praeclare in epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam Macedonum consectetur. *Quae te, (malum!)* inquit, *ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles*

putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et praebitorem sperent fore? Bene *ministrum et praebitorem*, quia sordidum regi; melius etiam, quod largitionem *corruptelam* dixit esse. Fit enim deterior qui accipit, atque ad idem semper exspectandum paratior. 54. Hoc ille filio; sed praeceptum putemus omnibus. Quam ob rem id quidem non dubium est, quin illa benignitas, quae constet ex opera et industria, et honestior sit et latius pateat et possit prodesse pluribus; nonnunquam tamen est largiendum nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum, et saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum, sed diligenter atque moderate. Multi enim patrimonia effuderunt inconsulte largiendo. Quid autem est stultius, quam, quod libenter facias, curare ut id diutius facere non possis? Atque etiam sequuntur largitionem rapinae. Quum enim dando egere coeperunt: alienis bonis manus afferre coguntur. Ita, quum benevolentiae comparandae causa benefici esse velint, non tanta studia assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. 55. Quam ob rem nec ita claudenda res est familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut pateat omnibus. Modus adhibeatur isque referatur ad facultates. Omnino meminisse debemus id, quod a nostris hominibus saepissime usurpatum iam in proverbi consuetudinem venit, *largitionem fundum non habere.* Etenim quis potest modus esse, quum et idem, qui consuerunt, et idem illud alii desiderent? XVI. Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis et viscerationibus et gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem aut nullam omnino sint relicturi. 56. Liberales autem, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt, aut aes alienum suscipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adiuvant, aut opitulantur in re vel quaerenda vel augenda. Itaque miror quid in mentem venerit Theophrasto in eo libro, quem *de divitiis* scripsit: in quo multa praeclare, illud absurde. Est enim multus in laudanda magnificentia et apparatione popularium munerum, taliumque sumptuum facultatem fructum divitiarum putat. Mihi autem ille

fructus liberalitatis, cuius pauca exempla posui, multo et maior videtur et certior. Quanto Aristo[teles] gravius et verius nos reprehendit, qui has pecuniarum effusiones non admiremur, quae fiunt ad multitudinem deleniendam. *At ii, qui ab hoste obsidentur, si emere aquae sextarium mina cogantur: hoc primo [auditu] incredibile nobis videri omnesque mirari; sed quum attenderint, veniam necessitati dare: in his imnanibus iacturis infinitisque sumptibus nihil nos magno opere mirari, quum praesertim neque necessitati subveniatur nec dignitas augeatur, ipsaque illa delectatio multitudinis sit ad breve exiguumque tempus, eaque a levissimo quoque, in quo tamen ipso una cum satietate memoria quoque moriatur voluptatis.* 57. Bene etiam colligit, *haec pueris et mulieribus et servis et servorum simillimis liberis esse grata, gravi vero homini et ea, quae fiunt, iudicio certo ponderanti probari posse nullo modo.* Quanquam intelligo in nostra civitate inveterasse iam bonis temporibus, ut splendor aedilitatum ab optimis viris postuletur. Itaque et P. Crassus, quum cognomine dives tum copiis, functus est aedilicio maximo munere, et paullo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo, Q. Mucio, magnificentissima aedilitate functus est; deinde C. Claudius, Appi filius; multi post, Luculli, Hortensius, Silanus. Omnes autem P. Lentulus me consule vicit superiores. Hunc est Scaurus imitatus. Magnificentissima vero nostri Pompéi munera secundo consulatu. In quibus omnibus quid mihi placeat, vides. XVII. 58. Vitanda tamen suspicio [est] avaritiae. Mamerco, homini divitissimo, praetermissio aedilitatis consulatus repulsam attulit. Quare et, si postulatur a populo, bonis viris si non desiderantibus attamen approbantibus, faciendum est, modo pro facultatibus, (nos ipsi ut fecimus,) et si quando aliqua res maior atque utilior populari largitione acquiritur: ut Oresti nuper prandia in semitis decumae nomine magno honori fuerunt. Ne M. quidem Seio vitio datum est, quod in [annonae] caritate asse modium populo dedit: magna enim se et inveterata invidia nec turpi iactura, quando erat aedilis, nec maxima liberavit. Sed honori summo nuper nostro Miloni fuit, quod gladiatoribus emptis rei publicae causa, quae salute nostra continebatur, omnes P. Clódi conatus furoresque compressit. Causa igitur largitionis est, si aut necesse est aut

utile. 59. In his autem ipsis mediocritatis regula optima est. L. quidem Philippus, Q. f., magno vir ingenio in primisque clarus, gloriari solebat se sine ullo munere adeptum esse omnia, quae haberentur amplissima. Dicebat idem Cotta, Curio. Nobis quoque licet in hoc quodammodo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus, nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini quos modo nominavi, sane exiguus sumptus aedilitatis fuit. 60. Atque etiam illae impensae meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniaque, quae ad usum rei publicae pertinent. Quamquam quod praesens tanquam in manum datur, iucundius est; haec tamen in posterum gratiora. Theatra, porticus, nova templa verecundius reprehendo propter Pompeium; sed doctissimi non probant, ut et hic ipse Panaetius, (quem multum in his libris secutus sum, non interpretatus,) et Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Graeciae, vituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa propylaea coniecerit. Sed de hoc genere toto in iis libris, quos *de re publica* scripsi, diligenter est disputatum. Tota igitur ratio talium largitionum genere vitiosa est, temporibus necessaria; et tum ipsa et ad facultates accommodanda et mediocritate moderanda est.

XVIII. 61. In illo autem altero genere largiendi, quod a liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus caussis affecti esse debemus. Alia causa est eius, qui calamitate premitur, et eius, qui res meliores quaerit, nullis suis rebus adversis. 62. Propensior benignitas esse debebit in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate. In iis tamen, qui se adiuvari volent, non ut ne affligantur sed ut altiorem gradum adscendant, restricti omnino esse nullo modo debemus; sed in deligendis idoneis iudicium et diligentiam adhibere. Nam praeclare Ennius:

Benefácta male locáta, malefácta árbitror.

63. Quod autem tributum est bono viro et grato, in eo quum ex ipso fructus est tum etiam ex ceteris. Temeritate enim remota gratissima est liberalitas; eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cuiusque bonitas commune perfugium est omnium. Danda igitur opera est ut iis beneficiis quam plurimos afficiamus, quorum memoria liberis posterisque prodatur,

ut iis ingratis esse non liceat. Omnes enim immemorem beneficii oderunt, eamque iniuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri eumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant. Atque haec benignitas etiam rei publicae est utilis, redimi e servitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem vulgo solitum fieri ab ordine nostro in oratione Crassi scriptum copiose videmus. Hanc ergo consuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. Haec est gravium hominum atque magnorum; illa quasi assentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quasi titillantium. 64. Conveniet autem quum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum, in omnique re contrahenda, vendendo emendo, conducendo locando, vicinitatibus et confiniis, aequum [et] facilem, multa multis de suo iure cedentem, a litibus vero quantum liceat, et nescio an paullo plus etiam quam liceat, abhorrentem. Est enim non modo liberale paullum nonnunquam de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum. Habenda autem ratio est rei familiaris, quam quidem dilabi sinere flagitiosum est; sed ita, ut illiberalitatis avaritiaeque absit suspicio. Posse enim liberalitate uti non spoliantem se patrimonio, nimirum is est pecuniae fructus maximus. Recte etiam a Theophrasto est laudata hospitalitas. Est enim, ut mihi quidem videtur, valde decorum patere domus hominum illustrium illustribus hospitibus; idque etiam rei publicae est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere. Est autem etiam vehementer utile iis, qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus et gratia. Theophrastus quidem scribit, *Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse: ita enim instituisse et villicis imperavisse, ut omnia praeberentur, quicunque Laciades in villam suam devertisset.* XIX. 65. Quae autem opera, non largitione, beneficia dantur, haec tum in universam rem publicam tum in singulos cives conferuntur. Nam in iure cavere, consilio iuvare atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis vehementer et ad opes augendas pertinet et ad gratiam. Itaque quum multa praeclara maiorum, tum quod optime constituti iuris civilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio. Quam quidem ante hanc confusionem tem-

porum in possessione sua principes retinuerunt; nunc, ut honores, ut omnes dignitatis gradus, sic huius scientiae splendor deletus est: idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, quum is esset, qui omnes superiores, quibus honore par esset, scientia facile vicisset. Haec igitur opera grata multis et ad beneficiis obstringendos homines accommodata. 66. Atque huic arti finitima est dicendi [gravior] facultas et gratior et ornatior. Quid enim eloquentia praestabilius, vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum, qui defensi sunt, gratia? Huic [quoque] ergo a maioribus nostris est in toga dignitatis principatus datus. Diserti igitur hominis et facile laborantis, quodque in patriis est moribus, multorum causas et non gravate et gratuito defendentis beneficia et patrocinia late patent. 67. Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermissionem eloquentiae, ne dicam interitum, deplorarem: ni vererer, ne de me ipso aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus exstinctis oratoribus quam in paucis spes, quanto in paucioribus facultas, quam in multis sit audacia. Quum autem omnes non possint, ne multi quidem, aut iurisperiti esse aut diserti: licet tamen opera prodesse multis, beneficia petentem, commendantem iudicibus et magistratibus, vigilantem pro re alterius, eos ipsos, qui aut consuluntur aut defendunt, rogantem; quod qui faciunt, plurimum gratiae consequuntur latissimeque eorum manat industria. 68. Iam illud non sunt admonendi, (est enim in promptu,) ut animum advertant, quum iuvare alios velint, ne quos offendant. Saepe enim aut eos laedunt, quos non debent, aut eos, quos non expedit. Si imprudentes: negligentiae est; si scientes: temeritatis. Utendum etiam est excusatione adversus eos, quos invitus offendas, quacunque possit, quare id, quod feceris, necesse fuerit non aliter facere potueris; ceterisque operis et officiis erit id, quod violatum est, compensandum. XX. 69. Sed quum in hominibus iuvandis aut mores spectari aut fortuna soleat: dictu quidem est proclive, itaque vulgo loquuntur, se in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam sequi. Honesta oratio est. Sed quis est tandem qui inopis et optimi viri causae non anteponat in opera danda gratiam fortunati et potentis? A quo enim expeditior et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est vo-

luntas nostra propensior. Sed animadvertendum est diligentius, quae natura rerum sit. Nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiamsi referre gratiam non potest, habere certe potest. Commode autem, quicunque dixit, *pecuniam qui habeat, non reddidisse: qui reddiderit, non habere; gratiam autem et, qui retulerit, habere et, qui habeat, retulisse.* At, qui se locupletes, honoratos, beatos putant, ii ne obligari quidem beneficio volunt; quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, quum ipsi quamvis magnum aliquod acceperint, atque etiam a se postulari aut exspectari aliquid suspicantur; patrocinio vero se usos aut clientes appellari mortis instar putant. 70. At vero ille tenuis, quum, quidquid factum sit, se spectatum, non fortunam, putet, non modo illi, qui est meritus, sed etiam illis, a quibus exspectat, (eget enim multis,) gratum se videri studet; neque vero verbis auget suum munus, si quo forte fungitur, sed etiam extenuat. Videndumque illud est: quodsi opulentum fortunatumque defenderis: in uno illo aut forte in liberis eius manet gratia; sin autem inopem, probum tamen et modestum: omnes non improbi humiles (quae magna in populo multitudo est) praesidium sibi paratum vident. Quam ob rem melius apud bonos quam apud fortunatos beneficium collocari puto. 71. Danda omnino opera est ut omni generi satisfacere possimus; sed si res in contentionem veniet: nimirum Themistocles est auctor adhibendus, qui, quum consuleretur utrum bono viro pauperi an minus probato diviti filiam collocaret, *Ego vero,* inquit, *malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quae viro.* Sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum. Quarum magnitudo quid ad unum quemque nostrûm pertinet? Illum fortasse adiuvat, qui habet. Ne id quidem semper. Sed fac iuvare: utentior sane sit; honestior vero quomodo? Quodsi etiam bonus erit vir: ne impediant divitiae quo minus iuvetur, modo ne adiuvent; sitque omne iudicium, non quam locuples, sed qualis quisque sit. Extremum autem praeceptum in beneficiis operaque danda [est], ne quid contra aequitatem contendas, ne quid pro iniuria. Fundamentum enim est perpetuae commendationis et famae iustitia, sine qua nihil potest esse laudabile.

XXI. 72. Sed quoniam de eo genere beneficiorum dictum

est, quae ad singulos spectant: deinceps de iis, quae ad universos quaeque ad rem publicam pertinent, disputandum est. Eorum autem ipsorum partim eiusmodi sunt, ut ad universos cives pertineant, partim, singulos ut attingant: quae sunt etiam gratiora. Danda opera est omnino, si possit, utrisque; nec minus, ut etiam singulis consulatur, sed ita, ut ea res aut prosit aut certe ne obsit rei publicae. C. Gracchi frumentaria magna largitio: exhauriebat igitur aerarium; modica M. Octávi et rei publicae tolerabilis et plebi necessaria: ergo et civibus et rei publicae salutaris. 73. In primis autem videndum erit ei, qui rem publicam administrabit, ut suum quisque teneat neque de bonis privatorum publice deminutio fiat. Perniciose enim Philippus in tribunatu, quum legem agrariam ferret, (quam tamen antiquari facile passus est, et in eo vehementer se moderatum praebuit,) sed quum in agendo multa populariter, tum illud male, *non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent.* Capitalis oratio et ad aequationem bonorum pertinens: qua peste quae potest esse maior? Hanc enim ob causam maxime, ut sua tenerent, res publicae civitatesque constitutae sunt. Nam etsi duce natura congregabantur homines: tamen spe custodiae rerum suarum urbium praesidia quaerebant. 74. Danda etiam opera est ne, quod apud maiores nostros saepe fiebat propter aerári tenuitátem assiduitatemque bellorum, tributum sit conferendum; idque ne eveniat, multo ante erit providendum. Sin quae necessitas huius muneris alicui rei publicae obvenerit: (malo enim [alienae] quam nostrae ominari, neque tantum de nostra, sed de omni re publica disputo:) danda erit opera ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum. Atque etiam omnes, qui rem publicam gubernabunt, consulere debebunt ut earum rerum copia sit, quae sunt necessariae. Quarum qualis comparatio fieri soleat et debeat, non est necesse disputare: est enim in promptu; tantum locus attingendus fuit.

75. Caput autem est in omni procuratione negóti et muneris publici, ut avaritiae pellatur etiam minima suspicio. *Utinam*, inquit C. Pontius Samnis, *ad illa tempora me fortuna reservavisset et tum essem natus, si quando Romani dona accipere coepissent! Non essem passus diutius eos imperare!* Nae illi multa

saecula exspectanda fuerunt! Modo enim hoc malum in hanc rem publicam invasit. Itaque facile patior tunc potius Pontium fuisse, si quidem in illo tantum fuit [roboris]. Nondum centum et decem anni sunt, quum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est, nulla antea quum fuisset. At vero postea tot leges, et proximae quaeque duriores, tot rei, tot damnati, tantum Italicum bellum propter iudiciorum metum excitatum, tanta sublatis legibus et iudiciis expilatio direptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus. XXII. Laudat Africanum Panaetius, quod fuerit abstinens. Quidni laudet? Sed in illo alia maiora. 76. Laus abstinentiae non hominis est solum, sed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Paullus; tantum in aerarium pecuniae invexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum. At hic nihil domum suam praeter memoriam nominis sempiternam detulit. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine eversa. Quid? qui eius collega in censura fuit L. Mummius, numquid copiosior, quum copiosissimam urbem funditus sustulisset? Italiam ornare quam domum suam maluit. Quanquam Italia ornata domus ipsa mihi videtur ornatior. 77. Nullum igitur vitium tetrius, (ut eo, unde degressa est, referat se oratio,) quam avaritia, praesertim in principibus rem publicam gubernantibus. Habere enim quaestui rem publicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculum edidit, *Spartam nulla re alia nisi avaritia esse perituram*, id videtur non solum Lacedaemoniis sed et omnibus opulentis populis praedixisse. Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui rei publicae praesunt, quam abstinentia et continentia.

78. Qui vero populares se esse volunt ob eamque causam aut agrariam rem tentant, ut possessores pellantur suis sedibus, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, ii labefactant fundamenta rei publicae: concordiam primum, quae esse non potest, quum aliis adimuntur aliis condonantur pecuniae, deinde aequitatem, quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium, ut supra dixi, civitatis atque urbis, ut sit libera et non sollicita suae rei cuiusque

custodia. 79. Atque in hac pernicie rei publicae ne illam quidem consequuntur, quam putant, gratiam. Nam cui res erepta est, est inimicus; cui data est, etiam dissimulat se accipere voluisse, et maxime in pecuniis creditis occultat suum gaudium, ne videatur non fuisse solvendo. At vero ille, qui accipit iniuriam, et meminit et prae se fert dolorem suum; nec, si plures sunt ii, quibus improbe datum est, quam illi, quibus iniuste ademptum est, idcirco plus etiam valent. Non enim numero haec iudicantur, sed pondere. Quam autem habet aequitatem, ut agrum multis annis aut etiam saeculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat? XXIII. 80. Ac propter hoc iniuriae genus Lacedaemonii Lysandrum ephorum expulerunt, Agin regem, quod nunquam antea apud eos acciderat, necaverunt; exque eo tempore tantae discordiae secutae sunt, ut et tyranni exsisterent et optimates exterminarentur et praeclarissime constituta res publica dilaberetur. Nec vero solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Graeciam evertit contagionibus malorum, quae a Lacedaemoniis profecta manarunt latius. Quid? nostros Gracchos, Ti. Gracchi, summi viri, filios, Africani nepotes, nonne agrariae contentiones perdiderunt? 81. At vero Aratus Sicyonius iure laudatur, qui, quum eius civitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem clandestino introitu urbe est potitus, quumque tyrannum Nicoclem improviso oppressisset, sexcentos exsules, qui locupletissimi fuerant eius civitatis, restituit remque publicam adventu suo liberavit. Sed quum magnam animadverteret in bonis et possessionibus difficultatem, quod et eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum arbitrabatur et quinquaginta annorum possessiones moveri non nimis aequum putabat, propterea quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur sine iniuria: iudicavit neque illis adimi neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. 82. Quum igitur statuisset, opus esse ad eam rem constituendam pecunia: Alexandriam se proficisci velle dixit, remque integram ad reditum suum iussit esse. Isque celeriter ad Ptolemaeum, suum hospitem, venit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam. Cui quum exposuisset patriam se liberare velle, cau-

samque docuisset: a rege opulento vir summus facile impetravit, ut grandi pecunia adiuvaretur. Quam quum Sicyonem attulisset: adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus causas cognovit et eorum qui aliena tenebant, et eorum qui sua amiserant, perfecitque aestimandis possessionibus ut persuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent, aliis, ut commodius putarent numerari sibi, quod tanti esset, quam suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes concordia constituta sine querela discederent. 83. O virum magnum dignumque, qui in re publica nostra natus esset! Sic par est agere cum civibus, non, (ut bis iam vidimus,) hastam in foro ponere et bona civium voci subiicere praeconis. At ille Graecus (id quod fuit sapientis et praestantis viri) omnibus consulendum putavit: eaque est summa ratio et sapientia boni civis, commoda civium non divellere atque omnes aequitate eadem continere. Habitent gratis in alieno? Quid ita? Ut, quum ego emerim aedificarim, tuear impendam, tu me invito fruare meo? Quid est aliud aliis sua eripere, aliis dare aliena? 84. Tabulae vero novae quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum, eum tu habeas, ego non habeam pecuniam? XXIV. Quam ob rem, ne sit aes alienum, quod rei publicae noceat, providendum est; (quod multis rationibus caveri potest;) non, si fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res vehementius rem publicam continet quam fides, quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. Nunquam vehementius actum est quam me consule, ne solveretur. Armis et castris tentata res est ab omni genere hominum et ordine: quibus ita restiti, ut hoc tantum malum de re publica tolleretur. Nunquam nec maius aes alienum fuit, nec melius nec facilius dissolutum est. Fraudandi enim spe sublata solvendi necessitas consecuta est. At vero hic nunc victor, tum quidem victus, quae cogitarat, ea perfecit, quum eius iam nihil interesset. Tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipsum eum delectaret, peccare, etiamsi causa non esset. 85. Ab hoc igitur genere largitionis, ut aliis detur aliis auferatur, aberunt ii, qui rem publicam tuebuntur; in primisque operam dabunt, ut iuris et iudiciorum aequitate suum quisque teneat, et neque tenuiores propter humilitatem circum-

veniantur neque locupletibus ad sua vel tenenda vel recuperanda obsit invidia; praeterea, quibuscunque rebus vel belli vel domi poterunt, rem publicam augeant imperio, agris, vectigalibus. Haec magnorum hominum sunt, haec apud maiores nostros factitata, haec genera officiorum qui persequuntur, cum summa utilitate rei publicae magnam ipsi adipiscentur et gratiam et gloriam.

86. *In his* autem *utilitatum praeceptis* Antipater Tyrius, Stoicus, qui Athenis nuper est mortuus, *duo praeterita* censet *esse a Panaetio*, *valitudinis curationem et pecuniae.* Quas res a summo philosopho praeteritas arbitror, quod essent faciles. Sunt certe utiles. Sed valitudo sustentatur notitia sui corporis et observatione, quae res aut prodesse soleant aut obesse, et continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi causa, et praetermittendis voluptatibus, postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent. 87. Res autem familiaris quaeri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo, conservari autem diligentia et parsimonia, eisdem etiam rebus augeri. Has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui *Oeconomicus* inscribitur: quem nos, ista fere aetate quum essemus, qua es tu nunc, e Graeco in Latinum convertimus.

XXV. 88. Sed utilitatum comparat[illegible](quoniam hic locus erat quartus a Panaetio praetermissus) sa[illegible]st necessaria. Nam et corporis commoda cum externis et externa cum corporis et ipsa inter se corporis et externa cum externis comparari solent. Cum externis corporis hoc modo comparantur, valere ut malis quam dives esse; cum corporis externa hoc modo, dives esse potius quam maximis corporis viribus; ipsa inter se corporis sic, ut bona valitudo voluptati anteponatur, vires celeritati; externorum autem, ut gloria divitiis, vectigalia urbana rusticis. 89. Ex quo genere comparationis illud est Catonis senis: a quo quum quaereretur, *quid maxime in re familiari expediret:* respondit „*Bene pascere.*“ *Quid secundum:* „*Satis* „*bene pascere.*“ *Quid tertium:* „*Male pascere.*“ *Quid quartum:* „*Arare.*“ Et, quum ille, qui quaesierat, dixisset: *Quid fenerari?* tum Cato: „*Quid hominem occidere?*“ Ex quo et multis aliis intelligi debet, utilitatum comparationes fieri solere recteque hoc adiunctum esse quartum exquirendorum

officiorum genus. 90. Sed toto hoc de genere, de quaerenda, de collocanda pecunia, vellem etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis viris ad Ianum medium sedentibus quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. Sunt tamen ea cognoscenda: pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro disputatum est. Reliqua deinceps persequemur.

M. TULLI CICERONIS

DE OFFICIIS

AD MARCUM FILIUM

LIBER TERTIUS.

I. 1. **P.** Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus est, *dicere solitum* scripsit Cato, qui fuit fere eius aequalis, „*Nunquam se minus otiosum esse, quam quum otiosus, nec minus solum, quam quum solus esset.*" Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna: quae declarat illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum, ut neque cessaret unquam et interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duae res, quae languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo. Vellem nobis hoc idem vere dicere liceret; sed si minus imitatione tantam ingéni praestantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus. Nam et a re publica forensibusque negotiis armis impiis vique prohibiti otium persequimur, et ob eam causam urbe relicta rura peragrantes saepe soli sumus. 2. Sed neque hoc otium cum Africani otio nec haec solitudo cum illa comparanda est. Ille enim requiescens a rei publicae pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat aliquando et a coetu hominum frequentiaque interdum, tanquam in portum, se in solitudinem recipiebat; nostrum autem otium negóti inopia, non requiescendi studio constitutum

est. Exstincto enim senatu deletisque iudiciis quid est, quod dignum nobis aut in curia aut in foro agere possimus? 3. Itaque qui in maxima celebritate atque in oculis civium quondam vixerimus, nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos quantum licet, et saepe soli sumus. Sed quia sic ab hominibus doctis accepimus, *non solum ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere ex [his] ipsis, si quid inesset boni:* propterea et otio fruor, non illo quidem, quo debebat is, qui quondam peperisset otium civitati, nec eam solitudinem languere patior, quam mihi affert necessitas, non voluntas. 4. Quanquam Africanus maiorem laudem meo iudicio assequebatur. Nulla enim eius ingéni monumenta mandata literis, nullum opus óti, nullum solitudinis munus exstat. Ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione investigationeque earum rerum, quas cogitando consequébatur, neque otiosum nec solum unquam fuisse. Nos autem, qui non tantum roboris habemus ut cogitatione tacita [a] solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium curamque convertimus. Itaque plura brevi tempore eversâ, quam multis annis stante re publica, scripsimus. II. 5. Sed quum tota philosophia, mi Cicero, frugifera et fructuosa nec ulla pars eius inculta ac deserta sit: tum nullus feracior in ea locus est nec uberior, quam de officiis, a quibus constanter honesteque vivendi praecepta ducuntur. Quare quanquam a Cratippo nostro, principe huius memoriae philosophorum, haec te assidue audire atque accipere confido: tamen conducere arbitror, talibus aures tuas vocibus undique circumsonari nec eas, si fieri possit, quidquam aliud audire. 6. Quod quum omnibus est faciendum, qui vitam honestam ingredi cogitant, tum haud scio an nemini potius quam tibi. Sustines enim non parvam exspectationem imitandae industriae nostrae, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. Suscepisti onus praeterea grave et Athenarum et Cratippi; ad quos quum tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus: inanem redire turpissimum est, dedecorantem et urbis auctoritatem et magistri. Quare quantum conniti animi potes, quantum labore contendere, (si discendi labor est potius quam voluptas,) tantum fac ut efficias, neve committas ut, quum omnia suppeditata sint a nobis, tute tibi de-

fuisse videare. Sed haec hactenus: multa enim saepe ad te cohortandi gratia scripsimus. Nunc ad reliquam partem propositae divisionis revertamur.

7. Panaetius igitur, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit quemque nos correctione quadam adhibita potissimum secuti sumus, *tribus generibus* propositis, *in quibus deliberare homines et consultare de officio solerent*, *uno*, *quum dubitarent honestumne id esset, de quo ageretur, an turpe*, *altero*, *utilene esset an inutile*, *tertio*, *si id quod speciem haberet honesti pugnaret cum eo quod utile videretur*, *quomodo ea discerni oporteret*, de duobus generibus primis tribus libris explicavit, de *tertio* autem *genere deinceps se* scripsit *dicturum*, nec exsolvit [id] quod promiserat. 8. Quod eo magis miror, quia scriptum a discipulo eius Posidonio est, *triginta annis vixisse Panaetium*, *posteaquam illos libros edidisset*. Quem locum miror a Posidonio breviter esse tactum in quibusdam commentariis, praesertim quum scribat, *nullum esse locum in tota philosophia tam necessarium*. 9. Minime vero assentior iis, qui negant *eum locum a Panaetio praetermissum*, *sed consulto relictum*, *nec omnino scribendum fuisse*, *quia nunquam posset utilitas cum honestate pugnare*. De quo alterum potest habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, quod in divisione Panaéti tertium est, an plane omittendum; alterum dubitari non potest, quin a Panaetio susceptum sit, sed relictum. Nam qui e divisione tripartita duas partes absolverit, huic necesse est restare tertiam. Praeterea in extremo libro tertio *de hac parte* pollicetur *se deinceps esse dicturum*. 10. Accedit eodem testis locuples Posidonius, qui etiam scribit in quadam epistola, *P. Rutilium Rufum dicere solere*, qui Panaetium audierat, „*ut nemo pictor esset inventus*, *qui Coae Veneris eam partem*, *quam Apelles inchoatam reliquisset*, *absolveret*:“ (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat:) „*sic ea*, *quae Panaetius praetermisisset et non perfecisset*, *propter eorum quae perfecisset praestantiam*, *neminem esse persecutum*.“

III. 11. Quam ob rem de iudicio Panaéti dubitari non potest; rectene autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adiunxerit an secus, de eo fortasse disputari potest. Nam sive honestum solum bonum est, ut Stoicis placet, sive, quod

honestum est, id ita summum bonum est, quemadmodum Peripateticis vestris videtur, ut omnia ex altera parte collocata vix minimi momenti instar habeant: dubitandum non est quin nunquam possit utilitas cum honestate contendere. Itaque accepimus Socratem exsecrari solitum eos, qui primum haec natura cohaerentia opinione distraxissent. Cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut et, quidquid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile quidquam, quod non honestum. 12. Quod si is esset Panaetius, qui virtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis esset, ut ii qui res expetendas vel voluptate vel indolentia metiuntur: liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honestate pugnare; sed quum sit is, qui id solum bonum iudicet quod honestum sit, quae autem huic repugnent specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem vitam fieri nec decessione peiorem: non videtur debuisse eiusmodi deliberationem introducere, in qua quod utile videretur cum eo, quod honestum est, compararetur. 13. Etenim quod summum bonum a Stoicis dicitur, *convenienter naturae vivere*, id habet hanc, ut opinor, sententiam: cum virtute congruere semper; cetera autem, quae secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent. Quod quum ita sit: putant quidam hanc comparationem non recte introductam, nec omnino de eo genere quidquam praecipiendum fuisse. Atque illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis neque a virtute divelli unquam potest. In iis autem, in quibus sapientia perfecta non est, ipsum illud quidem perfectum honestum nullo modo, similitudines honesti esse possunt. 14. Haec enim [omnia] officia, de quibus his libris disputamus, (media Stoici appellant,) ea communia sunt et late patent, quae et ingéni bonitate multi assequuntur et progressione discendi; illud autem officium, quod rectum iidem appellant, perfectum atque absolutum est et, ut iidem dicunt, omnes numeros habet, nec praeter sapientem cadere in quemquam potest. 15. Quum autem aliquid actum est, in quo media officia compareant: id cumulate videtur esse perfectum propterea, quod vulgus quid absit a perfecto non fere intelligit; quatenus autem intelligit, nihil putat praetermissum. Quod item in poëmatis, in picturis usu venit, in aliis-

que compluribus, ut delectentur imperiti laudentque ea, quae laudanda non sint, ob eam, credo, causam, quod insit in iis aliquid probi, quod capiat ignaros, qui iidem, quid in una quaque re viti sit, nequeant iudicare. Itaque quum sint docti a peritis: desistunt facile sententia.

IV. Haec igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda quaedam honesta esse dicunt, non sapientium modo propria sed cum omni hominum genere communia. 16. Itaque iis omnes, in quibus est virtutis indoles, commoventur. Nec vero, quum duo Decii aut duo Scipiones *fortes viri* commemorantur aut quum Fabricius Aristidesve *iustus* nominatur, aut ab illis fortitudinis aut ab his iustitiae, tanquam a sapiente, petitur exemplum. Nemo enim horum sic sapiens est, ut sapientem volumus intelligi; nec ii, qui sapientes habiti et nominati, M. Cato et C. Laelius, sapientes fuerunt, — ne illi quidem septem; sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebant speciemque sapientium. 17. Quocirca nec id, quod vere honestum est, fas est cum utilitatis repugnantia comparari, nec id quod communiter appellamus honestum quod colitur ab iis qui bonos se viros haberi volunt, cum emolumentis unquam est comparandum; tamque id honestum, quod in nostram intelligentiam cadit, tuendum conservandumque nobis est, quam illud, quod proprie dicitur vereque est honestum, sapientibus. Aliter enim teneri non potest, si qua ad virtutem est facta progressio. Sed haec quidem de iis, qui conservatione officiorum existimantur boni. 18. Qui autem omnia metiuntur emolumentis et commodis neque ea volunt praeponderari honestate, ii solent in deliberando honestum cum eo, quod utile putant, comparare; boni viri non solent. Itaque existimo, Panaetium, quum dixerit *homines solere in hac comparatione dubitare*, hoc ipsum sensisse, quod dixerit *solere* modo, non etiam *oportere*. Etenim non modo pluris putare quod utile videatur, quam quod honestum, sed etiam haec inter se comparare et in his addubitare turpissimum est. Quid ergo est, quod nonnunquam dubitationem afferre soleat considerandumque videatur? Credo, si quando dubitatio accidit, quale sit id de quo consideretur. 19. Saepe enim tempore fit ut, quod turpe plerumque haberi

soleat, inveniatur non esse turpe. Exempli causa ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod potest maius esse scelus, quam non modo hominem sed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur se adstrinxit scelere, si qui tyrannum occidit quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus praeclaris factis illud pulcherrimum existimat. Vicit ergo utilitas honestatem? Immo vero honestatem utilitas consecuta est.

Itaque, ut sine ullo errore diiudicare possimus, si quando cum illo, quod honestum intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, formula quaedam constituenda est: quam si sequemur in comparatione rerum, ab officio nunquam recedemus. 20. Erit autem haec formula Stoicorum rationi disciplinaeque maxime consentanea: quam quidem his libris propterea sequimur, quod, quanquam [et] a veteribus Academicis et a Peripateticis vestris, qui quondam iidem erant, quae honesta sunt, anteponuntur iis, quae videntur utilia; tamen splendidius haec ab eis disseruntur, quibus, quidquid honestum est, idem utile videtur, nec utile quidquam, quod non honestum, quam ab iis, quibus aut honestum aliquid non utile, aut utile non honestum. Nobis autem nostra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcunque maxime probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere. Sed redeo ad formulam.

V. 21. Detrahere igitur alteri aliquid et hominem hominis incommodo suum augere commodum magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera quae possunt aut corpori accidere aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum et societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum: disrumpi necesse est eam, quae maxime est secundum naturam, humani generis societatem. 22. Ut, si unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valitudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset: sic, si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratia, societas hominum et communitas evertatur necesse est. Nam, sibi ut quisque

malit, quod ad usum vitae pertineat, quam alteri acquirere, concessum est, non repugnante natura; illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. 23. Neque vero hoc solum natura et iure gentium sed etiam legibus populorum, quibus in singulis civitatibus res publica continetur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri. Hoc enim spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium coniunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, vinclis, damno coërcent. Atque hoc multo magis efficit ipsa naturae ratio, quae est lex divina et humana: cui parere qui velit, (omnes autem parebunt qui secundum naturam volent vivere,) nunquam committet ut alienum appetat et id, quod alteri detraxerit, sibi assumat. 24. Etenim multo magis est secundum naturam excelsitas animi et magnitudo itemque comitas, iustitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiae: quae quidem contemnere et pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi et excelsi est. Detrahere autem de altero sui commodi causa magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera generis eiusdem. 25. Itemque magis est secundum naturam pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut iuvandis maximos labores molestiasque suscipere imitantem Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum memor in concilio coelestium collocavit, quam vivere in solitudine non modo sine ullis molestiis sed etiam in maximis voluptatibus abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine et viribus. Quocirca optimo quisque et splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. Ex quo efficitur hominem naturae obedientem homini nocere non posse. 26. Deinde qui alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil existimat se facere contra naturam, aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuiquam iniuriam. Si nihil existimat contra naturam fieri hominibus violandis: quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat? Sin fugiendum id quidem censet, sed [et] multo illa peiora, mortem, paupertatem, dolorem: errat in eo, quod ullum aut corporis aut fortunae vitium animi vitiis gravius existimat. VI. Ergo unum

debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas unius cuiusque et universorum: quam si ad se quisque rapiet, dissolvetur omnis humana consortio. 27. Atque etiam si hoc natura praescribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit: necesse est secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est: una continemur omnes et eadem lege naturae; idque ipsum si ita est: certe violare alterum naturae lege prohibemur. Verum autem primum: verum igitur extremum. 28. Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt parenti se aut fratri nihil detracturos sui commodi causa, aliam rationem esse civium reliquorum. Hi sibi nihil iuris, nullam societatem communis utilitatis causa statuunt esse cum civibus: quae sententia omnem societatem distrahit civitatis. Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, ii dirimunt communem humani generis societatem; qua sublata beneficentia, liberalitas, bonitas, iustitia funditus tollitur. Quae qui tollunt, etiam adversus deos immortales impii iudicandi sunt. Ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt, cuius societatis artissimum vinculum est magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa vel corporis vel etiam ipsius animi, quae non vacent iustitia. 29. Haec enim una virtus omnium est domina et regina virtutum. Forsitan quispiam dixerit: „Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili?“ Minime vero. Non enim mihi est vita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violem commodi mei gratia. Quid, si Phalarim, crudelem tyrannum et immanem, vir bonus, ne ipse frigore conficiatur, vestitu spoliare possit: nonne faciat? 30. Haec ad iudicandum sunt facillima. Nam si quid ab homine ad nullam partem utili utilitatis tuae causa detraxeris: inhumane feceris contra[que] naturae legem. Sin autem is tu sis, qui multam utilitatem rei publicae atque hominum societati, si in vita remaneas, afferre possis, — si quid ob eam causam alteri detraxeris: non sit reprehendendum. Sin autem id non sit eiusmodi: suum cuique incommodum ferendum est potius, quam de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis est contra

naturam morbus aut egestas aut quid eiusmodi, quam detractio aut appetitio alieni; sed communis utilitatis derelictio contra naturam est: est enim iniusta. 31. Itaque lex ipsa naturae, quae utilitatem hominum conservat et continet, decernit profecto, ut ab homine inerti atque inutili ad sapientem, bonum, fortem virum transferantur res ad vivendum necessariae: qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxerit; modo hoc ita faciat, ut ne ipse de se bene existimans seseque diligens hanc causam habeat ad iniuriam. Ita semper officio fungetur, utilitati consulens hominum et ei, quam saepe commemoro, humanae societati. 32. Nam quod ad Phalarim attinet, perfacile iudicium est. Nulla enim societas nobis cum tyrannis, sed potius summa distractio est; neque est contra naturam spoliare eum, si possis, quem est honestum necare: atque hoc omne genus pestiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum est. Etenim ut membra quaedam amputantur, si et ipsa sanguine et tanquam spiritu carere coeperunt et nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas et immanitas beluae a communi tanquam humanitatis corpore segreganda est. Huius generis quaestiones sunt omnes eae, in quibus ex tempore officium exquiritur. VII. 33. Eiusmodi igitur, credo, res Panaetium persecuturum fuisse, nisi aliqui casus aut occupatio eius consilium peremisset. Ad quas ipsas consultationes ex superioribus libris satis multa praecepta sunt, quibus perspici possit quid sit propter turpitudinem fugiendum, quid idcirco fugiendum non sit, quid omnino turpe non sit.

Sed quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto tanquam fastigium imponimus, ut geometrae solent non omnia docere, sed postulare ut quaedam sibi concedantur, quo facilius quae volunt explicent: sic ego a te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil praeter id, quod honestum sit, propter se esse expetendum. Sin hoc non licet per Cratippum; at illud certe dabis, quod honestum sit, id esse maxime propter se expetendum. Mihi utrumvis satis est, et tum hoc tum illud probabilius videtur, nec praeterea quidquam probabile. 34. Ac primum in hoc Panaetius defendendus est, quod non utilia *cum honestis pugnare aliquando posse* dixerit, (neque enim ei fas erat,) sed *ea*, *quae*

viderentur utilia. Nihil vero utile quod non idem honestum, nihil honestum quod non idem utile sit, saepe testatur, negatque *ullam pestem maiorem in vitam hominum invasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxerint.* Itaque non, ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed ut ea sine errore diiudicaremus, si quando incidissent, induxit eam, quae videretur esse, non quae esset, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro. Neque enim quidquam est de hac parte post Panaetium explicatum, quod quidem mihi probaretur de iis, quae in manus meas venerint.

VIII. 35. Quum igitur aliqua species utilitatis obiecta est, commoveri necesse est. Sed si, quum animum attenderis, turpitudinem videas adiunctam ei rei, quae speciem utilitatis attulerit: tum non utilitas relinquenda est, sed intelligendum, ubi turpitudo sit, ibi utilitatem esse non posse. Quod si nihil est tam contra naturam quam turpitudo, (recta enim et convenientia et constantia natura desiderat aspernaturque contraria,) nihilque tam secundum naturam quam utilitas: certe in eadem re utilitas et turpitudo esse non potest. Itemque si ad honestatem nati sumus, eaque aut sola exspetenda est, ut Zenoni visum est, aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia, quod Aristoteli placet: necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum aut summum bonum; quod autem bonum, id certe utile: ita quidquid honestum, id utile. 36. Quare error hominum non proborum, quum aliquid, quod utile visum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto. Hinc sicae, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur; hinc furta, peculatus, expilationes direptionesque sociorum et civium; hinc opum nimiarum potentiae non ferendae, postremo etiam in liberis civitatibus regnandi exsistunt cupiditates, quibus nihil nec tetrius nec foedius excogitari potest. Emolumenta enim rerum fallacibus iudiciis vident; poenam, non dico legum, quas saepe perrumpunt, sed ipsius turpitudinis, quae acerbissima est, non vident. 37. Quam ob rem hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio, (est enim totum sceleratum et impium,) qui deliberant, utrum id sequantur quod honestum esse videant, an se scientes scelere contaminent: in ipsa enim dubitatione fa-

cinus inest, etiamsi ad id non pervenerint. Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. Atque etiam ex omni deliberatione celandi et occultandi spes opinioque removenda est. Satis enim nobis, si modo in philosophia aliquid profecimus, persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum. IX. 38. Hinc ille Gyges inducitur a Platone, qui, quum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, descendit in illum hiatum, aëneumque equum, ut ferunt fabulae, animadvertit, cuius in lateribus fores essent; quibus apertis corpus hominis mortui vidit magnitudine inusitata anulumque aureum in digito; quem ut detraxit, ipse induit; (erat autem regius pastor;) tum in concilium se pastorum recepit. Ibi quum palam eius anuli ad palmam converterat: a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur, quum in locum anulum inverterat. Itaque hac opportunitate anuli usus reginae stuprum intulit, eaque adiutrice regem dominum interemit, sustulitque quos obstare arbitrabatur; nec in his eum facinoribus quisquam potuit videre. Sic repente anuli beneficio rex exortus est Lydiae. Hunc igitur ipsum anulum si habeat sapiens: nihilo plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet. Honesta enim bonis viris, non occulta quaeruntur. 39. Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi quidem sed non satis acuti, *fictam et commenticiam fabulam prolatam* dicunt *a Platone*. Quasi vero ille aut factum id esse aut fieri potuisse defendat. Haec est vis huius anuli et huius exempli: si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, quum aliquid divitiarum, potentiae, dominationis, libidinis causa feceris, si id diis hominibusque futurum sit semper ignotum: sisne facturus? — Negant id fieri posse. — Quanquam potest id quidem; sed quaero, quod negant posse, id si posset, quidnam facerent? — Urgent rustice sane. Negant enim posse et in eo perstant; hoc verbum quid valeat, non vident. Quum enim quaerimus, si possint [celare], quid facturi sint: non quaerimus possintne celare, sed tanquam tormenta quaedam adhibemus, ut, si responderint se impunitate proposita facturos quod expediat, facinorosos se esse fa-

teantur, si negent, omnia turpia per se ipsa fugienda esse concedant. Sed iam ad propositum revertamur.

X. 40. Incidunt multae saepe causae, quae conturbent animos utilitatis specie, non, quum hoc deliberetur, derelinquendane sit honestas propter utilitatis magnitudinem; (nam id quidem improbum est;) sed illud, possitne id, quod utile videatur, fieri non turpiter. Quum Collatino collegae Brutus imperium abrogabat: poterat videri facere id iniuste. Fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti consiliorum et adiutor. Quum autem consilium hoc principes cepissent, cognationem Superbi nomenque Tarquiniorum et memoriam regni esse tollendam: quod erat utile, patriae consulere, id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet. Itaque utilitas valuit propter honestatem, sine qua ne utilitas quidem esse potuisset. At in eo rege, qui urbem condidit, non item. 41. Species enim utilitatis animum pepulit eius: cui quum visum esset utilius solum quam cum altero regnare, fratrem interemit. Omisit hic et pietatem et humanitatem, ut id, quod utile videbatur neque erat, assequi posset; et tamen muri causam opposuit, speciem honestatis neque probabilem nec sane idoneam. 42. Peccavit igitur: pace vel Quirini vel Romuli dixerim. Nec tamen nostrae nobis utilitates omittendae sunt aliisque tradendae, quum iis ipsi egeamus; sed suae cuique utilitati, quod sine alterius iniuria fiat, serviendum est. Scite Chrysippus, ut multa, *Qui stadium*, inquit, *currit, eniti et contendere debet, quam maxime possit, ut vincat; supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere nullo modo debet. Sic in vita sibi quemque petere, quod pertineat ad usum, non iniquum est; alteri deripere ius non est.*

43. Maxime autem perturbantur officia in amicitiis, quibus et non tribuere, quod recte possis, et tribuere, quod non sit aequum, contra officium est. Sed huius generis totius breve et non difficile praeceptum est. Quae enim videntur utilia, honores, divitiae, voluptates, cetera generis eiusdem, haec amicitiae nunquam anteponenda sunt. At neque contra rem publicam neque contra ius iurandum ac fidem amici causa vir bonus faciet, ne si iudex quidem erit de ipso amico. Ponit enim personam amici, quum induit iudicis. Tantum dabit

amicitiae, ut veram amici causam esse malit, ut orandae litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. 44. Quum vero iurato sententia dicenda sit: meminerit se deum habere testem, id est, ut ego arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit deus ipse divinius. Itaque praeclarum a maioribus accepimus morem rogandi iudicis, si eum teneremus, QUAE SALVA FIDE FACERE POSSET. Haec rogatio ad ea pertinet, quae paullo ante dixi honeste amico a iudice posse concedi. Nam si omnia facienda sint, quae amici velint: non amicitiae tales sed coniurationes putandae sint. 45. Loquor autem de communibus amicitiis: nam in sapientibus viris perfectisque nihil potest esse tale. Damonem et Phintiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, quum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset: — vas factus [est] alter eius sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Qui quum ad diem se recepisset: admiratus eorum fidem tyrannus petivit, ut se ad amicitiam tertium adscriberent. XI. 46. Quum igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honestum est, comparatur: iaceat utilitatis species, valeat honestas. Quum autem in amicitia, quae honesta non sunt, postulabuntur: religio et fides anteponatur amicitiae. Sic habebitur is, quem exquirimus, delectus offici.

Sed utilitatis specie in re publica saepissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri. Durius etiam Athenienses, qui sciverunt ut Aeginetis, qui classe valebant, pollices praeciderentur. Hoc visum est utile: nimis enim imminebat propter propinquitatem Aegina Piraeeo. Sed nihil, quod crudele, utile: est enim hominum naturae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. 47. Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent eosque exterminant, ut Fannius apud patres nostros, Papius nuper. Nam ESSE PRO CIVE, QUI CIVIS NON SIT, rectum est non licere: quam legem tulerunt sapientissimi consules, Crassus et Scaevola; usu vero urbis prohibere peregrinos sane inhumanum est. Illa praeclara, in quibus publicae utilitatis species prae honestate contemnitur. Plena exemplorum est nostra res publica quum saepe alias tum maxime bello

Punico secundo, quae Cannensi calamitate accepta maiores animos habuit, quam unquam rebus secundis. Nulla timoris significatio, nulla mentio pacis. Tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis obscuret. 48. Athenienses quum Persarum impetum nullo modo possent sustinere statuerentque, *ut urbe relicta, coniugibus et liberis Troezene depositis, naves conscenderent libertatemque Graeciae classe defenderent:* Cyrsilum quendam suadentem, *ut in urbe manerent Xerxemque reciperent*, lapidibus cooperuerunt. Atque ille utilitatem sequi videbatur; sed ea nulla erat repugnante honestate. 49. Themistocles post victoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione *se habere consilium rei publicae salutare, sed id sciri non opus esse.* Postulavit *ut aliquem populus daret, quicum communicaret.* Datus est Aristides. Huic ille, *classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse, quo facto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset.* Quod Aristides quum audisset: in concionem magna exspectatione venit dixitque *perutile [esse] consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum.* Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt. Melius hi, quam nos, qui piratas immunes, socios vectigales habemus. XII. Maneat ergo, quod turpe sit, id nunquam utile esse, ne tum quidem, quum id, quod esse utile putes, adipiscare. Hoc enim ipsum, utile putare quod turpe sit, calamitosum est.

50. Sed incidunt, ut supra dixi, saepe causae, quum repugnare utilitas honestati videtur; ut animadvertendum sit, repugnetne plane an possit cum honestate coniungi. Eius generis hae sunt quaestiones: Si, exempli gratia, vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia et fame summaque annonae caritate; si idem sciat complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit: dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? Sapientem et bonum virum fingimus: de eius deliberatione et consultatione quaerimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe iudicet; sed dubitet, turpe sit an turpe non

sit. 51. In huiusmodi causis aliud Diogeni Babylonio videri solet, magno et gravi Stoico, aliud Antipatro, discipulo eius, homini acutissimo. Antipatro, *omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret;* Diogeni, *venditorem, quatenus iure civili constitutum sit, dicere vitia oportere, cetera sine insidiis agere, et, quoniam vendat, velle quam optime vendere. „Advexi, exposui, vendo meum non pluris quam ceteri, fortasse etiam minoris, quum maior est copia: cui fit iniuria?“* 52. Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: *„Quid ais? Tu quum hominibus consulere debeas et servire humanae societati, eaque lege natus sis et ea habeas principia naturae, quibus parere et quae sequi debeas, ut utilitas tua communis sit utilitas vicissimque communis utilitas tua sit: celabis homines, quid iis adsit commoditatis et copiae?“* Respondebit Diogenes fortasse sic: *„Aliud est celare, aliud tacere. Neque ego nunc te celo, si tibi non dico, quae natura deorum sit, qui sit finis bonorum, — quae tibi plus prodessent cognita, quam tritici vilitas. Sed non, quidquid tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est.“* — 53. *„Immo vero* [inquiet ille] *necesse est, si quidem meministi esse inter homines natura coniunctam societatem.“* — *„Memini,* inquiet ille; *sed num ista societas talis est, ut nihil suum cuiusquam sit? Quod si ita est: ne vendendum quidem quidquam est, sed donandum.“* XIII. Vides in hac tota disceptatione non illud dici: *Quamvis hoc turpe sit, tamen, quoniam expedit, faciam;* sed: *ita expedire, ut turpe non sit;* ex altera autem parte: *ea re, quia turpe sit, non esse faciendum.* — 54. Vendat aedes vir bonus propter aliqua vitia, quae ipse norit, ceteri ignorent: pestilentes sint, et habeantur salubres; ignoretur, in omnibus cubiculis apparere serpentes; male materiatae, ruinosae: sed haec praeter dominum nemo sciat. Quaero: si hoc emptoribus venditor non dixerit aedesque vendiderit pluris multo, quam se venditurum putarit: num iniuste aut improbe fecerit. 55. *„Ille vero,“* inquit Antipater. *„Quid est enim aliud* ERRANTI VIAM NON MONSTRARE, *(quod Athenis exsecrationibus publicis sanctum est,) si hoc non est, emptorem pati ruere et per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam est, quam viam non monstrare: nam est scientem in errorem alterum inducere.“* Diogenes contra: *„Num te emere coëgit, qui*

ne hortatus quidem est? Ille, quod non placebat, proscripsit; tu, quod placebat, emisti. Quodsi, qui proscribunt VILLAM BONAM BENEQUE AEDIFICATAM, *non existimantur fefellisse, etiamsi illa nec bona est nec aedificata ratione: multo minus, qui domum non laudarit. Ubi enim iudicium emptoris est, ibi fraus venditoris quae potest esse? Sin autem dictum non omne praestandum est: quod dictum non est, id praestandum putas? Quid vero est stultius, quam venditorem eius rei, quam vendat, vitia narrare? Quid autem tam absurdum, quam si domini iussu ita praeco praedicet:* DOMUM PESTILENTEM VENDO —? 56. Sic ergo in quibusdam [causis] dubiis ex altera parte defenditur honestas, ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile videatur, non modo facere honestum sit, sed etiam non facere turpe. Haec est illa, quae videtur utilium fieri cum honestis saepe dissensio. Quae diiudicanda sunt. Non enim, ut quaereremus, exposuimus, sed ut explicaremus. 57. Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodios, nec hic aedium venditor celare emptores debuisse. Neque enim id est celare, quidquid reticeas; sed quum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causa velis eos, quorum intersit id scire. Hoc autem celandi genus quale sit et cuius hominis, quis non videt? Certe non aperti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non boni viri; versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Haec tot et alia plura nonne inutile est vitiorum subire nomina?

XIV. 58. Quod si vituperandi sunt, qui reticuerunt: quid de iis existimandum est, qui orationis vanitatem adhibuerunt? C. Canius, eques Romanus, nec infacetus et satis litteratus, quum se Syracusas *otiandi*, ut ipse dicere solebat, *non negotiandi causa* contulisset, dictitabat *se hortulos aliquos emere velle, quo invitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset.* Quod quum percrebuisset: Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, *venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis,* et simul ad coenam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Quum ille promisisset: tum Pythius, qui esset ut argentarius apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit et ab iis petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque quid eos

facere vellet. Ad coenam tempori venit Canius. Opipare a Pythio apparatum convivium; cymbarum ante oculos multitudo; pro se quisque quod ceperat, afferebat; ante pedes Pythi pisces abiiciebantur. 59. Tum Canius „*Quaeso*", inquit „*quid est hoc, Pythi? Tantumne hic piscium? tantumne cymbarum?*" Et ille „*Quid mirum?*" inquit. „*Hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium; hic aquatio; hac villa isti carere non possunt.*" Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio, ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? impetrat. Emit homo cupidus et locuples tanti, quanti Pythius voluit, et emit instructos. Nomina facit, negotium conficit. Invitat Canius postridie familiares suos. Venit ipse mature. Scalmum nullum videt. Quaerit ex proximo vicino, *num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret.* „*Nullae, quod sciam,*" inquit ille; „*sed hic piscari nulli solent: itaque heri mirabar, quid accidisset.*" Stomachari Canius. 60. Sed quid faceret? Nondum enim Aquillius, collega et familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas; in quibus ipsis quum ex eo quaereretur, *Quid esset dolus malus*, respondebat, *Quum esset aliud simulatum, aliud actum.* Hoc quidem sane luculente, ut ab homine perito definiendi. Ergo et Pythius et omnes, aliud agentes aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi. Nullum igitur eorum factum potest utile esse, quum sit tot vitiis inquinatum. XV. Quodsi Aquilliana definitio vera est: ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est. Ita nec, ut emat melius, nec ut vendat, quidquam simulabit aut dissimulabit vir bonus. 61. Atque iste dolus malus et legibus erat vindicatus, ut tutela XII tabulis, circumscriptio adolescentium lege Plaetoria, et sine lege iudiciis, in quibus additur EX FIDE BONA. Reliquorum autem iudiciorum haec verba maxime excellunt: in arbitrio rei uxoriae, MELIUS AEQUIUS; in fiducia, UT INTER BONOS BENE AGIER. Quid ergo? Aut in eo, quod MELIUS AEQUIUS, potest ulla pars inesse fraudis; aut, quum dicitur, INTER BONOS BENE AGIER; quidquam agi dolose aut malitiose potest? Dolus autem malus in simulatione, ut ait Aquillius, continetur. Tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. Non illicitatorem venditor, non, qui contra se liceatur, emptor apponet. Uterque, si ad eloquendum venerit, non plus quam

semel eloquetur. 62. Q. quidem Scaevola, P. f., quum postulasset, ut sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset, dixit *se pluris aestimare:* addidit centum millia. Nemo est qui hoc viri boni fuisse neget; sapientis negant, ut, si minoris, quam potuisset, vendidisset. Haec igitur est illa pernicies, quod alios bonos alios sapientes existimant. Ex quo Ennius, *nequidquam sapere sapientem, qui ipse sibi prodesse non quiret.* Vere id quidem, si, quid esset *prodesse*, mihi cum Ennio conveniret. 63. Hecatonem quidem Rhodium, discipulum Panaetii, video in iis libris, quos *de officiis* scripsit Q. Tuberoni, dicere, *Sapientis esse, nihil contra mores, leges, instituta facientem, habere rationem rei familiaris. Neque enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeque rei publicae. Singulorum enim facultates et copiae divitiae sunt civitatis.* Huic Scaevolae factum, de quo paullo ante dixi, placere nullo modo potest. Etenim qui omnino tantum se negat facturum compendi sui causa, quod non liceat, huic nec laus magna tribuenda nec gratia est. 64. Sed sive et simulatio et dissimulatio dolus malus est: perpaucae res sunt, in quibus non dolus malus iste versetur; sive vir bonus est is, qui prodest quibus potest, nocet nemini: certe istum virum bonum non facile reperiemus. Nunquam est igitur utile peccare, quia semper est turpe, et quia semper est honestum virum bonum esse, semper est utile.

XVI. 65. Ac de iure quidem praediorum sanctum apud nos est iure civili, ut in iis vendendis vitia dicerentur, quae nota essent venditori. Nam quum ex XII [tabulis] satis esset ea praestari, quae essent lingua nuncupata; quae qui infitiatus esset, dupli poenam subiret: a iuris consultis etiam reticentiae poena est constituta. QUIDQUID ENIM ESSET IN PRAEDIO VITI, ID, statuerunt, SI VENDITOR SCIRET, NISI NOMINATIM DICTUM ESSET, PRAESTARI OPORTERE. 66. Ut, quum in arce augurium augures acturi essent iussissentque T. Claudium Centumalum, qui aedes in Caelio monte habebat, demoliri ea, quorum altitudo officeret auspiciis: Claudius proscripsit insulam, vendidit; emit P. Calpurnius Lanarius. Huic ab auguribus illud idem denuntiatum est. Itaque Calpurnius quum demoli-

tus esset cognossetque, Claudium aedes postea proscripsisse, quam esset ab auguribus demoliri iussus, arbitrum illum adegit, QUIDQUID SIBI DARE FACERE OPORTERET EX FIDE BONA. M. Cato sententiam dixit, huius nostri Catonis pater. (Ut enim ceteri ex patribus, sic, qui lumen illud progenuit, ex filio est nominandus.) Is igitur iudex ita pronuntiavit: *quum in vendendo rem eam scisset et non pronuntiasset: emptori damnum praestari oportere.* 67. Ergo ad fidem bonam statuit pertinere, notum esse emptori vitium, quod nosset venditor. Quod si recte iudicavit: non recte frumentarius ille, non recte aedium pestilentium venditor tacuit. Sed huiusmodi reticentiae iure civili omnes comprehendi non possunt; quae autem possunt, diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus, propinquus noster, C. Sergio Oratae vendiderat aedes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Hae serviebant. Sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Crassus urgebat, *quod viti venditor non dixisset, sciens, id oportere praestari;* aequitatem Antonius, *quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas aedes vendidisset, nihil fuisse necesse dici nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo iure esset, teneret.* 68. Quorsus haec? Ut illud intelligas, non placuisse maioribus nostris astutos. XVII. Sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere possunt; philosophi, quatenus ratione et intelligentia. Ratio igitur postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. Suntne igitur insidiae tendere plagas, etiamsi excitaturus non sis [feras] nec agitaturus? Ipsae enim ferae nullo insequente saepe incidunt. Sic tu aedes proscribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter vitia vendas: in eam aliquis incurrat imprudens? 69. Hoc quanquam video propter depravationem consuetudinis neque more turpe haberi neque aut lege sanciri aut iure civili: tamen naturae lege sanctum est. Societas est enim, (quod etsi saepe dictum est, dicendum est tamen saepius,) latissime quidem quae pateat, hominum inter omnes: interior eorum qui eiusdem gentis sint, propior eorum qui eiusdem civitatis. Itaque maiores aliud ius gentium, aliud [ius] civile esse voluerunt. Quod civile, non

idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus; umbra et imaginibus utimur. Eas ipsas utinam sequeremur! Feruntur enim ex optimis naturae et veritatis exemplis. 70. Nam quanti verba illa, UTI NE PROPTER TE FIDEMVE TUAM CAPTUS FRAUDATUSVE SIEM! Quam illa aurea, UT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET ET SINE FRAUDATIONE! Sed, qui sint *boni* et quid sit *bene agi*, magna quaestio est. Q. quidem Scaevola, pontifex maximus, *summam vim* dicebat *esse in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur* EX FIDE BONA, *fideique bonae nomen* existimabat *manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis venditis, conductis locatis, quibus vitae societas contineretur: in his magni esse iudicis statuere, (praesertim quum in plerisque essent iudicia contraria,) quid quemque cuique praestare oporteret.* 71. Quocirca astutiae tollendae sunt eaque malitia, quae vult illa quidem videri se esse prudentiam, sed abest ab ea distatque plurimum. **Prudentia** est enim locata in delectu bonorum et malorum; **malitia** (si omnia, quae turpia [sunt], mala sunt) mala bonis ponit ante.

Nec vero in praediis solum ius civile, ductum a natura, malitiam fraudemque vindicat; sed etiam in mancipiorum venditione fraus venditoris omnis excluditur. Qui enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis, [is] praestat edicto aedilium. Heredum alia causa est. 72. Ex quo intelligitur, quoniam iuris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscitia. Nec ulla pernicies vitae maior inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiae: ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur. Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate et ignoratione omnium proposita abstinere possit iniuria?

XVIII. 73. Periclitemur, si placet, et in iis quidem exemplis, in quibus peccari vulgus hominum fortasse non putet. Neque enim de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est, qui non verbis sunt et disputatione philosophorum sed vinculis et carcere fatigandi; sed haec consideremus, quae faciunt ii, qui habentur boni.

L. Minúci Basili, locupletis hominis, falsum testamentum quidam e Graecia Romam attulerunt. Quod quo facilius obtinerent, scripserunt heredes secum M. Crassum et Q. Hortensium, homines eiusdem aetatis potentissimos; qui, quum illud falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius essent conscii culpae, alieni facinoris munusculum non repudiaverunt. Quid ergo? Satin' est hoc, ut non deliquisse videantur? Mihi quidem non videtur, quanquam alterum vivum amavi, alterum non odi mortuum. 74. Sed quum Basilus M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferre voluisset, eumque fecisset heredem: (hunc dico patronum agri Píceni et Sabini: — o turpem notam temporum illorum!) num erat aequum principes cives rem habere, ad Satrium nihil praeter nomen pervenire? Etenim si is, qui non defendit iniuriam neque propulsat, quum potest, iniuste facit (ut in primo libro disserui): qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed etiam adiuvat iniuriam? Mihi quidem etiam verae hereditates non honestae videntur, si sunt malitiosis blanditiis, officiorum non veritate, sed simulatione quaesitae. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. 75. Falso: nam eadem utilitatis, quae honestatis est regula. Qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans, *Est istuc quidem honestum, verum hoc expedit*, res a natura copulatas audebit errore divellere; qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium. XIX. Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut, si digitis concrepuerit, possit in locupletium testamenta nomen eius irrepere: hac vi non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam suspicaturum. At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset heres: in foro, crede mihi, saltaret. Homo autem iustus isque, quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is se, quid sit vir bonus, nescire fateatur. 76. At vero, si qui voluerit animi sui complicatam notionem evolvere: iam se ipse doceat eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit, noceat nemini nisi lacessitus iniuria. Quid ergo? Hic non noceat, qui quodam quasi veneno perficiat, ut veros heredes moveat, in eorum

locum ipse succedat? „*Non igitur faciat*,“ dixerit quis, „*quod utile sit*, *quod expediat?*“ Immo intelligat nihil nec expedire nec utile esse, quod sit iniustum. Hoc qui non didicerit, bonus vir esse non poterit. 77. Fimbriam consularem audiebam de patre nostro puer iudicem M. Lutatio Pinthiae fuisse, equiti Romano sane honesto, quum is sponsionem fecisset NI VIR BONUS ESSET. Itaque ei dixisse Fimbriam, *se illam rem nunquam iudicaturum, ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra iudicavisset, aut statuisse videretur virum bonum esse aliquem, quum ea res innumerabilibus officiis et laudibus contineretur.* Huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat, nullo modo videri potest quidquam esse utile, quod non honestum sit. Itaque talis vir non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat praedicare. Haec non turpe est dubitare philosophos, quae ne rustici quidem dubitent? a quibus natum est id, quod [iam] contritum est vetustate proverbium. Quum enim fidem alicuius bonitatemque laudant: *dignum* esse dicunt *quicum in tenebris mices.* Hoc quam habet vim nisi illam, nihil expedire quod non deceat, etiamsi id possis nullo refellente obtinere? 78. Videsne hoc proverbio neque Gygi illi posse veniam dari neque huic, quem paullo ante fingebam digitorum percussione hereditates omnium posse converrere? Ut enim, quod turpe est, id, quamvis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest: sic, quod honestum non est, id utile ut sit, effici non potest, adversante et repugnante natura.

XX. 79. „At enim, quum permagna praemia sunt, est causa peccandi.“ C. Marius quum a spe consulatus longe abesset et iam septimum annum post praeturam iaceret neque petiturus unquam consulatum videretur: Q. Metellum, cuius legatus erat, summum virum et civem, quum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum Romanum criminatus est, *bellum illum ducere; si se consulem fecissent, brevi tempore aut vivum aut mortuum Iugurtham se in potestatem populi Romani redacturum.* Itaque factus est ille quidem consul; sed a fide iustitiaque discessit, qui optimum et gravissimum civem, cuius legatus et a quo missus esset, in invidiam falso crimine adduxerit. 80. Ne noster quidem Gratidianus officio

viri boni functus est tum, quum praetor esset collegiumque praetorum tribuni plebi adhibuissent, ut res nummaria de communi sententia constitueretur. Iactabatur enim temporibus illis nummus sic, ut nemo posset scire quid haberet. Conscripserunt communiter edictum cum poena atque iudicio constitueruntque, *ut omnes simul in Rostra post meridiem escenderent.* Et ceteri quidem alius alio; Marius ab subselliis in Rostra rectâ idque, quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res, si quaeris, ei magno honori fuit. Omnibus vicis statuae; ad eas tus, cerei. Quid multa? Nemo unquam multitudini fuit carior. 81. Haec sunt quae conturbent in deliberatione nonnunquam, quum id, in quo violatur aequitas, non ita magnum, illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur: ut Mario praeripere collegis et tribunis plebi popularem gratiam non ita turpe, consulém ob eam rem fieri, quod sibi tum proposuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una regula est, quam tibi cupio esse notissimam: aut illud, quod utile videtur, turpe ne sit; aut, si turpe est, ne videatur esse utile. Quid igitur? possumusne aut illum Marium virum bonum iudicare, aut hunc? Explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quae sit in ea species, forma et notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum mentiri emolumenti sui causa, criminari, praeripere, fallere? Nihil profecto minus. 82. Est ergo ulla res tanti aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni et splendorem et nomen amittas? Quid est quod afferre tantum utilitas ista, quae dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit? fidem iustitiamque detraxerit? Quid enim interest, utrum ex homine se quis convertat in beluam, an in hominis figura immanitatem gerat beluae? XXI. Quid, qui omnia recta et honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, nonne idem faciunt quod is, qui etiam socerum habere voluit eum, cuius ipse audacia potens esset? Utile ei videbatur plurimum posse alterius invidia. Id quam iniustum in patriam, quam turpe, quam inutile esset, non videbat. Ipse autem socer in ore semper Graecos versus *de Phoenissis* habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen, ut res possit intelligi:

Nam si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum, quod omnium sceleratissimum fuerit, exceperit. 83. Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupiverit idque perfecerit. Hanc cupiditatem si honestam quis esse dicit, amens est. Probat enim legum et libertatis interitum, earumque oppressionem tetram et detestabilem gloriosam putat. Qui autem fatetur honestum non esse in ea civitate, quae libera fuit quaeque esse debeat, regnare, sed ei, qui id facere possit, esse utile: qua hunc obiurgatione aut quo potius convicio a tanto errore coner avellere? Potest enim, dii immortales! cuiquam esse utile foedissimum et teterrimum parricidium patriae, quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civibus *Parens* nominetur? Honestate igitur dirigenda utilitas est, et quidem sic, ut haec duo verbo inter se discrepare, re unum sonare videantur. 84. Non habeo, ad vulgi opinionem quae maior utilitas quam regnandi esse possit; nihil contra inutilius ei, qui id iniuste consecutus sit, invenio, quum ad veritatem coepi revocare rationem. Possunt enim cuiquam esse utiles angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus, vita insidiarum periculorumque plenissima?

Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni,

inquit Accius. At cui regno? Quod a Tantalo et Pelope proditum iure obtinebatur. Nam quanto plures ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum ipsum Romanum oppressisset civitatemque non modo liberam, sed etiam gentibus imperantem servire sibi coëgisset? 85. Hunc tu quas conscientiae labes in animo censes habuisse? quae vulnera? Cuius autem vita ipsi potest utilis esse, quum eius vitae ea conditio sit, ut, qui illam eripuerit, in maxima et gratia futurus sit et gloria? Quodsi haec utilia non sunt, quae maxime videntur, quia plena sunt dedecoris ac turpitudinis: satis persuasum esse debet nihil esse utile, quod non honestum sit. XXII. 86. Quanquam id quidem quum saepe alias tum Pyrrhi bello a C. Fabricio, consule iterum, et a senatu nostro iudicatum est.

Quum enim rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset, quumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente: perfuga ab eo venit in castra Fabrici eique est pollicitus, *si praemium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum.* Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque eius factum laudatum a senatu est. Atqui si speciem utilitatis opinionemque quaerimus: magnum illud bellum perfuga unus et gravem adversarium impéri sustulisset; sed magnum dedecus et flagitium, quicum laudis certamen fuisset, eum non virtute sed scelere superatum. 87. Utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis fuit, vel senatui nostro, qui nunquam utilitatem a dignitate seiunxit, armis cum hoste certare an venenis? Si gloriae causa imperium expetendum est: scelus absit, in quo non potest esse gloria; sin ipsae opes expetuntur quoquo modo: non poterunt utiles esse cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi, Q. f., sententia, *quas civitates L. Sulla pecunia accepta ex senatus consulto liberavisset, ut eae rursus vectigales essent, neque iis pecuniam*, quam pro libertate dederant, *redderemus.* Et senatus est assensus. Turpe imperio! Piratarum enim melior fides [quam senatus]. — At aucta vectigalia: utile igitur. — Quousque audebunt dicere quidquam utile, quod non honestum? 88. Potest autem ulli imperio, quod gloria debet fultum esse et benevolentia sociorum, utile esse odium et infamia? Ego etiam cum Catone meo saepe dissensi. Nimis mihi praefracte videbatur aerarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis; quum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris solemus, — eoque magis, quo illa ordinum coniunctio ad salutem rei publicae pertinebat. Male etiam Curio, quum *causam Transpadanorum aequam esse* dicebat, semper autem addebat: „*Vincat utilitas [rei publicae]!*“ Potius diceret non esse aequam, quia non esset utilis rei publicae, quam, quum *utilem* diceret *non esse, aequam esse* fateretur.

XXIII. 89. Plenus est sextus liber de officiis Hecatonis talium quaestionum: *Sitne boni viri in maxima caritate annonae familiam non alere.* In utramque partem disputat; sed ta-

men ad extremum utilitate officium dirigit magis quam humanitate. Quaerit, *si in mari iactura facienda sit, equine pretiosi potius iacturam faciat an servuli vilis.* Hic alio res familiaris, alio ducit humanitas. *Si tabulam de naufragio stultus arripuerit: extorquebitne eam sapiens, si potuerit?* Negat, *quia sit iniurium. Quid dominus navis? eripietne suum? Minime: non plus, quam navigantem in alto eiicere de navi velit, quia sua sit. Quoad enim perventum sit eo, quo sumpta navis est, non domini navis est, sed navigantium.* 90. *Quid, si una tabula sit, duo naufragi, iique sapientes: sibine uter rapiat, an alter cedat alteri? Cedat vero, sed ei, cuius magis intersit vel sua vel rei publicae causa vivere. Quid, si haec paria in utroque? Nullum erit certamen, sed quasi sorte aut micando victus alteri cedet alter. Quid, si pater fana expilet, cuniculos agat ad aerarium: indicetne id magistratibus filius? Nefas id quidem: quin etiam defendat patrem, si arguatur. Non igitur patria praestat omnibus officiis? Immo vero; sed ipsi patriae conducit pios habere cives in parentes. Quid, si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater: silebitne filius? Immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet: accusabit, minabitur etiam, — ad extremum, si ad perniciem patriae res spectabit, patriae salutem anteponet saluti patris.* 91. Quaerit etiam, *si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis, quum id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis.* Diogenes ait; Antipater negat, cui potius assentior. *Qui vinum fugiens vendat sciens, debeatne dicere. Non necesse* putat Diogenes; Antipater *viri boni* existimat. Haec sunt quasi controversa iura Stoicorum! *In mancipio vendendo dicendane vitia, non ea, quae nisi dixeris, redhibeatur mancipium iure civili, sed haec, mendacem esse, aleatorem, furacem, ebriosum?* 92. Alteri dicenda videntur; alteri non videntur. *Si quis aurum vendens orichalcum se putet vendere: indicetne ei vir bonus aurum illud esse, an emat denario, quod sit mille denarium?* Perspicuum iam est et quid mihi videatur et quae sit inter eos philosophos, quos nominavi, controversia.

XXIV. Pacta et promissa semperne servanda sint, QUAE NEC VI NEC DOLO MALO, ut praetores solent, FACTA SINT? Si

quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem pepigeritque, *si eo medicamento sanus factus esset, ne illo medicamento unquam postea uteretur;* si eo medicamento sanus factus sit et annis aliquot post inciderit in eundem morbum nec ab eo, quicum pepigerat, impetret ut iterum eo liceat uti: quid faciendum sit. Quum sit is inhumanus, qui non concedat, nec ei quidquam fiat iniuriae: vitae et saluti consulendum. 93. Quid, si qui sapiens rogatus ab eo, qui eum heredem faciat, *quum ei testamento sestertium millies relinquatur, ut ante, quam hereditatem adeat, luce palam in foro saltet*, idque se facturum promiserit, quod aliter eum heredem scripturus ille non esset: faciat quod promiserit, necne? Promisisse nollem, et id arbitror fuisse gravitatis. Quoniam promisit: si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit; nisi forte eam pecuniam in rei publicae magnum aliquod tempus contulerit, ut vel saltare eum, quum patriae consulturus sit, turpe non sit.

XXV. 94. Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quae non sunt iis ipsis utilia, quibus illa promiseris. Sol Phaëthonti filio (ut redeamus ad fabulas) *facturum se esse* dixit, *quidquid optasset;* optavit *ut in currum patris tolleretur;* sublatus est, atque is, antequam constitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum! Quid, quod Theseus exegit promissum a Neptuno? Cui quum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti [fili], quum is patri suspectus esset de noverca: quo optato impetrato Theseus in maximis fuit luctibus. 95. Quid? Agamemnon, quum devovisset Dianae, *quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno,* immolavit Iphigeniam, qua nihil erat [in] eo quidem anno natum pulchrius. Promissum potius non faciendum, quam tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergo et promissa non facienda nonnunquam, neque semper deposita reddenda. Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens: reddere peccatum sit, officium non reddere. Quid, si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriae: reddasne depositum? Non, credo: facias enim contra rem publicam, quae debet esse carissima. Sic multa, quae honesta natura videntur esse, tem-

poribus fiunt non honesta. Facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate, fiunt non honesta. Ac de iis quidem, quae videntur esse utilitates contra iustitiam, simulatione prudentiae, satis arbitror dictum.

96. Sed quoniam a quatuor fontibus honestatis primo libro officia duximus, in eisdem versabimur, quum docebimus ea, quae videntur esse utilia neque sunt, quam sint virtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia, itemque de iustitia, quae semper est utilis, disputatum est. Reliquae sunt duae partes honestatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine et praestantia cernitur, altera in conformatione et moderatione continentiae et temperantiae. XXVI. 97. Utile videbatur Ulixi, ut quidem poëtae tragici prodiderunt: nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Ulixe nulla suspicio est; sed insimulant eum tragoediae simulatione insaniae militiam subterfugere voluisse. Non honestum consilium. „At utile“ (ut aliquis fortasse dixerit) „regnare et Ithacae vivere otiose cum parentibus, cum uxore, cum filio. Ullum tu decus in quotidianis laboribus et periculis cum hac tranquillitate conferendum putas?“ Ego vero istam contemnendam et abiiciendam, quoniam, quae honesta non sit, ne utilem quidem esse arbitror. 98. Quid enim auditurum putas fuisse Ulixem, si in illa simulatione perseverasset? qui, quum maximas res gesserit in bello, tamen haec audiat ab Aiace:

Cuius ípse princeps iúris iurandí fuit,
Quod ómnes scitis, sólus neglexít fidem.
Furere dssimulare, né coiret, ínstitit.
Quod ní Palamedis pérspicax prudéntia
Istíus percepset málitiosam audáciam:
Fidé sacratae iús perpetuo fálleret.

99. Illi vero non modo cum hostibus, verum etiam cum fluctibus, id quod fecit, dimicare melius fuit, quam deserere consentientem Graeciam ad bellum barbaris inferendum. Sed omittamus et fabulas et externa; ad rem factam nostraque veniamus. M. Attilius Regulus, quum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xanthippo Lacedaemonio, imperatore autem patre Hannibalis, Hamilcare, iuratus missus

est ad senatum, ut, nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Karthaginem. Is quum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam, ut res declarat, falsam iudicavit; quae erat talis: manere in patria; esse domi suae cum uxore, cum liberis; quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunae bellicae iudicantem tenere consularis dignitatis gradum. Quis haec neget esse utilia? Quem censes? Magnitudo animi et fortitudo negat. XXVII. 100. Num locupletiores quaeris auctores? Harum enim est virtutum proprium nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. Itaque quid fecit? In senatum venit; mandata exposuit; sententiam ne diceret, recusavit: *quamdiu iure iurando hostium teneretur, non esse se senatorem.* Atque illud etiam, (*o stultum hominem*, dixerit quispiam, *et repugnantem utilitati suae!*) reddi captivos, negavit esse utile: *illos enim adolescentes esse et bonos duces, se iam confectum senectute.* Cuius quum valuisset auctoritas: captivi retenti sunt, ipse Karthaginem rediit, neque eum caritas patriae retinuit nec suorum. Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci; sed ius iurandum conservandum putabat. Itaque tum, quum vigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi senex captivus, periurus consularis remansisset. 101. „At stulte, qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit.“ Quomodo stulte? Etiamne si rei publicae conducebat? Potest autem, quod inutile rei publicae sit, id cuiquam civi utile esse? XXVIII. Pervertunt homines ea, quae sunt fundamenta naturae, quum utilitatem ab honestate seiungunt. Omnes enim expetimus utilitatem ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est, qui utilia fugiat; aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? Sed quia nusquam possumus nisi in laude, decore, honestate utilia reperire, propterea illa et prima et summa habemus; *utilitatis* nomen non tam splendidum quam necessarium ducimus. 102. „Quid est igitur,“ dixerit quis, „in iure iurando? num iratum timemus Iovem? At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negoti dicunt, nihil exhibere alteri, sed eorum

etiam, qui deum semper agere aliquid et moliri volunt, *nunquam nec irasci deum nec nocere.* Quid autem iratus Iupiter plus nocere potuisset, quam nocuit sibi ipse Regulus? Nulla igitur vis fuit religionis, quae tantam utilitatem praeverteret. An, ne turpiter faceret? Primum, *minima de malis.* Num igitur tantum mali turpitudo ista habebat, quantum ille cruciatus? Deinde illud etiam apud Accium,

Fregistín' fidem?
Néque dedi neque do ínfideli cuíquam,

quanquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur." 103. Addunt etiam, „quem ad modum nos dicamus videri quaedam utilia, quae non sint: sic se dicere videri quaedam honesta, quae non sint: ut hoc ipsum videtur honestum, conservandi iuris iurandi causa ad cruciatum revertisse; sed fit non honestum, quia, quod per vim [hostium] esset actum, ratum esse non debuit." Addunt etiam, „quidquid valde utile sit, id fieri honestum, etiamsi antea non videretur." XXIX. 104. Haec fere contra Regulum. Sed prima videamus. „Non fuit Iupiter metuendus, ne iratus noceret: qui neque irasci solet nec nocere." Haec quidem ratio non magis contra Reguli, quam contra omne ius iurandum valet. Sed in iure iurando, non qui metus, sed quae vis sit, debet intelligi. Est enim ius iurandum *affirmatio religiosa.* Quod autem affirmate quasi deo teste promiseris, id tenendum est. Iam enim non ad iram deorum, quae nulla est, sed ad iustitiam et ad fidem pertinet. Nam praeclare Ennius:

O' Fides alma, ápta pinnis, ét ius iurandúm Iovis!

Qui ius igitur iurandum violat, is *fidem* violat, *quam in Capitolio vicinam Iovis Optimi Maximi* (ut in Catonis oratione est) *maiores nostri esse voluerunt.* 105. „At enim ne iratus quidem Iupiter plus Regulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus." Certe, si nihil malum esset nisi dolere. Id autem non modo summum malum, sed ne malum quidem esse maxima auctoritate philosophi affirmant. Quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an gravissimum, Regulum, nolite, quaeso, vituperare. Quem enim locupletiorem quaerimus, quam principem populi Romani, qui retinendi offici causa cruciatum subierit voluntarium? Nam quod aiunt, *minima de malis*, id est, ut

turpiter potius quam calamitose: — an est ullum maius malum turpitudine? Quae si in deformitate corporis habeat aliquid offensionis: quanta illa depravatio et foeditas turpificati animi debet videri? 106. Itaque, nervosius qui ista disserunt, *solum* audent *malum* dicere *id*, *quod turpe sit;* qui autem remissius, ii tamen non dubitant *summum malum* dicere. Nam illud quidem,

Néque dedi, neque do infideli cuíquam:

idcirco recte a poëta, quia, quum tractaretur Atreus, personae serviendum fuit. Sed si hoc sibi sumunt, nullam esse fidem, quae infideli data sit: videant ne quaeratur latebra periurio. 107. Est autem ius etiam bellicum fidesque iuris iurandi saepe cum hoste servanda. Quod enim ita iuratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est; quod aliter, id si non feceris, nullum est periurium. Ut, si praedonibus pactum pro capite pretium non attuleris: nulla fraus est, ne si iuratus quidem id non feceris. Nam pirata non est perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium: cum hoc nec fides debet nec ius iurandum esse commune. 108. Non enim falsum iurare periurare est; sed, quod EX ANIMI TUI SENTENTIA iuraris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere periurium est. Scite enim Euripides:

Iurávi lingua, méntem iniuratám gero.

Regulus vero non debuit condictiones pactionesque bellicas et hostiles perturbare periurio. Cum iusto enim et legitimo hoste res gerebatur, adversus quem et totum ius fetiale et multa sunt iura communia. Quod ni ita esset: nunquam claros viros senatus vinctos hostibus dedidisset. XXX. 109. At vero T. Veturius et Sp. Postumius, quum iterum consules essent, quia, quum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub iugum missis pacem cum Samnitibus fecerant, dediti sunt iis: iniussu enim populi senatusque fecerant. Eodemque tempore Ti. Numicius, Q. Maelius, qui tum tribuni plebi erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti sunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque huius deditionis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit. Quod idem multis annis post C. Mancinus, qui, ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate foedus fecerat, dederetur, rogationem

suasit eam, quam P. Furius, S. Attilius ex senatus consulto ferebant: qua accepta est hostibus deditus. Honestius hic, quam Q. Pompeius, quo, quum in eadem causa esset, deprecante accepta lex non est. Hic ea, quae videbatur utilitas, plus valuit quam honestas; apud superiores utilitatis species falsa ab honestatis auctoritate superata est. 110. „At non debuit ratum esse, quod erat actum per vim." Quasi vero forti viro vis possit adhiberi. „Cur igitur ad senatum proficiscebatur, quum praesertim [de captivis] dissuasurus esset?" Quod maximum in eo est, id reprehenditis. Non enim suo iudicio stetit, sed suscepit causam, ut esset iudicium senatus; cui nisi ipse auctor fuisset: captivi profecto [Poenis] redditi essent. Ita incolumis in patria Regulus restitisset. Quod quia patriae non utile putavit, idcirco sibi honestum et sentire illa et pati credidit. Nam, quod aiunt, quod valde utile sit, id fieri honestum: immo vero esse, non fieri. Est enim nihil utile, quod idem non honestum; nec, quia utile, honestum est, sed, quia honestum, utile. Quare ex multis mirabilibus exemplis haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius aut praestantius. XXXI. 111. Sed ex tota hac laude Reguli unum illud est admiratione dignum, quod captivos retinendos censuit. Nam quod rediit, nobis nunc mirabile videtur; illis quidem temporibus aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed temporum. Nullum enim vinculum ad adstringendam fidem iure iurando maiores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII tabulis, indicant sacratae, indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides, indicant notiones animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentius quam de iure iurando iudicabant. 112. L. Manlio, A. f., quum dictator fuisset, M. Pomponius, tribunus plebi, diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset: criminabatur etiam, *quod Titum filium*, qui postea est Torquatus appellatus, *ab hominibus relegasset et ruri habitare iussisset.* Quod quum audivisset adolescens filius, negotium exhiberi patri: accurrisse Romam et cum primo luci Pomponi domum venisse dicitur. Cui quum esset nuntiatum: qui illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo, remotisque arbitris ad se adolescentem iussit

venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit iuravitque [*se*] *illum confestim interfecturum, nisi ius iurandum sibi dedisset se patrem missum esse facturum.* Iuravit hoc coactus terrore Pomponius. Rem ad populum detulit; docuit cur sibi causa desistere necesse esset: Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis ius iurandum valebat. Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto cognomen invenit, cuius tertio consulatu Latini ad Veserim fusi et fugati, magnus vir in primis et qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium. XXXII. 113. Sed ut laudandus Regulus in conservando iure iurando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam iuratos ad senatum misit Hannibal, se in castra redituros ea, quorum potiti erant Poeni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus auctor in primis, scribit *ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, novem revertisse, a senatu re non impetrata; unum* [*ex decem*], *qui paullo post, quam erat egressus e castris, redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansisse.* Reditu enim in castra liberatum se esse iure iurando interpretabatur: non recte: fraus enim adstringit, non dissolvit periurium. Fuit igitur stulta calliditas, perverse imitata prudentiam. Itaque decrevit senatus, ut ille veterator et callidus vinctus ad Hannibalem duceretur. 114. Sed illud maximum: Octo hominum millia tenebat Hannibal, non quos in acie cepisset aut qui periculum mortis defugissent, sed qui relicti in castris fuissent a Paullo et a Varrone consulibus. Eos senatus non censuit redimendos, quum id parva pecunia fieri posset: ut esset insitum militibus nostris aut vincere aut emori. *Qua quidem re audita fractum animum Hannibalis* scribit idem, *quod senatus populusque Romanus rebus afflictis tam excelso animo fuisset.* Sic honestatis comparatione, ea, quae videntur utilia, vincuntur. 115. Acilius autem, qui Graece scripsit historiam, *plures* ait *fuisse, qui in castra revertissent eadem fraude, ut iure iurando liberarentur, eosque a censoribus omnibus ignominiis notatos.* Sit iam huius loci finis. Perspicuum est enim [ea], quae timido animo, humili, demisso fractoque fiant, (quale fuisset Reguli factum, si aut de captivis, quod

ipsi opus esse videretur, non quod rei publicae, censuisset aut domi remanere voluisset,) non esse utilia, quia sint flagitiosa, foeda, turpia.

XXXIII. 116. Restat quarta pars, quae decore, moderatione, modestia, continentia, temperantia continetur. Potest igitur quidquam utile esse, quod sit huic talium virtutum choro contrarium? Atqui ab Aristippo Cyrenaici atque Annicerii philosophi nominati *omne bonum in voluptate* posuerunt, *virtutemque* censuerunt *ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis.* Quibus obsoletis floret Epicurus, eiusdem fere adiutor auctorque sententiae. Cum his, viris equisque, ut dicitur, si honestatem tueri ac retinere sententia est, decertandum est. 117. Nam si non modo utilitas, sed *vita omnis beata corporis firma constitutione eiusque constitutionis spe explorata*, ut a Metrodoro scriptum est, *continetur:* certe haec utilitas, et quidem summa, (sic enim censent,) cum honestate pugnabit. Nam ubi primum prudentiae locus dabitur? An, ut conquirat undique suavitates? Quam miser virtutis famulatus, servientis voluptati! Quod autem munus prudentiae? An legere intelligenter voluptates? Fac nihil isto esse iucundius: quid cogitari potest turpius? Iam qui *dolorem summum malum* dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quae est *dolorum laborumque contemptio?* Quamvis enim multis locis dicat Epicurus, sicut dicit, satis fortiter de dolore: tamen non id spectandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala dolore. Ut, si illum audiam de continentia et temperantia: dicit ille quidem multa multis locis; sed aqua haeret, ut aiunt. Nam qui potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in voluptate? Est enim temperantia libidinum inimica, libidines autem consectatrices voluptatis. 118. Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide tergiversantur. Prudentiam introducunt *scientiam suppeditantem voluptates, depellentem dolores.* Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, quum tradunt *rationem negligendae mortis, perpetiendi doloris.* Etiam temperantiam inducunt non facillime illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt: dicunt enim *voluptatis magnitudinem*

doloris detractione finiri. Iustitia vacillat, vel iacet potius, omnesque eae virtutes, quae in communitate cernuntur et in societate generis humani. Neque enim bonitas nec liberalitas nec comitas esse potest, non plus quam amicitia, si haec non per se expetantur, sed ad voluptatem utilitatemve referantur. 119. Conferamus igitur in pauca. Nam ut utilitatem nullam esse docuimus, quae honestati esset contraria: sic omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam. Quo magis reprehendendos Calliphonem et Dinomachum iudico, qui se dirempturos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem, tanquam cum homine pecudem, copulavissent. Non recipit istam coniunctionem honestas; aspernatur, repellit. Nec vero finis bonorum et malorum, qui simplex esse debet, ex dissimillimis rebus misceri et temperari potest. 120. Sed de hoc (magna enim res est) alio loco pluribus. Nunc ad propositum. Quem ad modum igitur, si quando ea, quae videretur utilitas, honestati repugnat, diiudicanda res sit, satis est supra disputatum. Sin autem speciem utilitatis etiam voluptas habere dicitur: nulla potest esse ei cum honestate coniunctio. Nam ut tribuamus aliquid voluptati: condimenti fortasse nonnihil, utilitatis certe nihil habebit.

121. Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem sententia magnum; sed perinde erit, ut acceperis. Quanquam hi tibi tres libri inter Cratippi commentarios tanquam hospites erunt recipiendi. Sed ut si ipse venissem Athenas, (quod quidem esset factum, nisi me e medio cursu clara voce patria revocasset,) aliquando me quoque audires: sic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox est mea, tribues iis temporis quantum poteris: poteris autem, quantum voles. Quum vero intellexero te hoc scientiae genere gaudere: tum et praesens tecum propediem, ut spero, et, dum aberis, absens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibique persuade esse te quidem mihi carissimum, sed multo fore cariorem, si talibus monimentis praeceptisque laetabere.